



7 a 8.2.









R - 9603 R. P. *Comprato el 20 de Sept
de J. de Monroyo*

MARTINI BECANI
Del Coll. del Card. de S. de la Granada
SOCIETATIS IESV
Theologi, in Archiepiscopali
Academia Moguntina olim
Professoris.

THEOLOGIAE SCHOLASTICÆ
PARS TERTIA.
tertius sextus
TRACTATUS SECUNDUS
De Sacramentis Ecclesie.



LUGDVNI,
Sūmpt. ANTONII PILLEHOTTE,
Sub signo Sanctiss. TRINITATIS.

M. DC. XXX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

፩፻፲፭

በመጀመሪያ የዕለታዊ ስምምነት

የተደረገበት አጠቃላይ



የኢትዮጵያ ባንክ
የኢትዮጵያ ባንክ

የኢትዮጵያ ባንክ

የኢትዮጵያ ባንክ



Reuerendissimo, atque Illustrissimo Principi,
ac Domina,

D. GREGORIO FRIDERICO,
S. MOGVNTINÆ SEDIS
Archiepiscopo, S. R. Imperij per Germaniam
Archicancellario, Principi Electori,
Episcopo VVormatiensi, Domino suo
clementissimo,

Collegium Societatis I E S V Moguntium.

SEMPIT. FOELICITATEM.

Si, quod optandum esset,
Reuerendissime, ac Illustrissime Princeps Elector, in
hanc usque diem superuiueret Martinus Becanus, haud dubie iam
pridè Celsitudini tuæ suâ ipsem et manu lucubrationum aliquid inscripsisset,
obtulisset, & coram commendasset. Nam,
quo erat erga Celsitudinem tuam officio atque obseruantia viuens, diuturniorem

EPISTOLA

piorem moram passus non fuisset, quin protinus explicatis ingenij copiis Tuum optimi Principis honorem modis omnibus exornare studuisset. Etenim, sicut, dum viueret, è maximis Celsitudinis Tuæ ad veram solidamque gloriam progressionibus præsagia læta capiebat, ita, etiamnum si viueret, tantus ei gaudiorum cumulus accederet, quantam interea Tuæ Celsitudini accessionem gloriæ factam esse gaudemus. Duplex Infula sacra, geminus Principatus, Archiepiscopale pallium cum Eleitorali pileo, quæ in Tua Celsitudine coniuncta cerneret, bis Reuerendissime, bis Illusterrissime Præsul ac Princeps, mirifice illū recrearēt, permouerentque, ut Tuō splendore ac patrocinio duplo ornatiōra, tutioraque duplo proderet, quæ posterorum me moriæ prodi vellet. Nunc vero, quoniā diem ille suū obiit, & Collegio Moguntino, in quo tot annos docendo, scribendóque floruerat, scriptorū quorundam meritò diuulgandorum & pluriōrum

DEDICATORIA.

rimorum votis expetitorum curam re-
liquit, faciendum omnino nobis fuit,
quod ipse, si superstes fuisset, fieri vo-
luisset. Itaque Celsitudini Tuæ offeri-
mus, qui nunc lucem aspicit, ex operi-
bus eius librum posthumum, ac talem,
ut cum superemus non vno, sed pluri-
bus titulis, tum authoris sui, tum styli,
tum argumenti, quod pertractat, gra-
tum fore. Primò enim Author est Beca-
nus, Societatis nostræ Theologus, vir
omni eruditione, pietate, morumque
suavitate, Celsitudini Tuæ non solum,
sed & aliis Principibus viris, adeoque
augustissimis Imperatoribus olim com-
mendatissimus: Stylo deinde utitur di-
daetico & methodico, claro non minus
quam breui, prout solet ex vastis alio-
rum voluminib. quasi mellilegio facto,
& relictis furfuribus polline dato, pari
delectu & breuitate solidam doctrinam
sestari ac tradere. Denique, quod ad
rem subiectam attinet, agit de diuinis
Sacramentis, quæ vniuersim omnibus,

EPISTOLA DEDICAT.

quà speciatim singulis, vt vel ex hoc
capite tibi sacrati ordinis Hierarchæ, &
sacerdorum misteriorum Antistitii maxi-
mo, non minus appositiè, quàm iure de-
dicetur. Ergo, si placet, Reuerendissime
& Illūstrissime Princeps, ac Domine,
qualecunque hoc erga Celsitudinem
Tuam obsequi nostri testimonium, imò
debitum accipe, siquidem ad hoc tum
iam aliàs præclarissimis meritis sibi nos
obligauit, tum adhuc obligatos tenet,
tam sincerae & constantis benevolentiae
vinculis, quibus Societatem vniuersam,
sed in primis Collegium nostrum ob-
strictum fouet & complectitur. Cæte-
rum precabimur Deum Optimum Ma-
ximum enixè, vt Celsitudinem Tuam
cum cā, qua vtrobique, domi ac foris,
prudentiâ pollet, etiam integrâ valetu-
dine, & corpore vegeto, Nobis, Patriæ,
toti Imperio sospitem, quam diutissimè
seruet, & incolumem. Moguntiæ, Idibus
Septembris. ANNO M. DC. XXVIII.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis I E S V in Provincia
Lugdunensi.

Ego Stephanus Binetus Societatis I E S V in Provincia Lugdunensi Præpositus Provincialis. Iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque Superiorum eius permissione imprimant: Permitto Antonio Pillehotte, Lugdunensi Bibliopolæ, ut opus, quod inscribitur, *R. Patris Martini Becani Societatis I E S V Theologi, Tractatus secundus de Sacramentis*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni. 8. Octobris 1629.

STEPHANVS BINETVS.

CONSENSVS.

Ibrum hunc qui inscribitur, *Summa Theologie Scholastica*, authore R. P. Martino Becano è Societate I E S V, in 3. partem Diui Thomæ Aquin. de Sacramentis, ego Procurator Regis in Curia Lugdunensi Typis mandari, & demum in lucem exponi consentio. Lugduni 20. Septembris, 1629.

P V G E T.

PERMIS

PERMISSIO.

Librum hunc qui inscribitur, *Summa Theologiae Scolasticae*, Auctore R. P. Martino Becano è Societate I E S V in 3. Partem Diui Thome Aquino de Sacramentis, ab Antonio Pillehotte, Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus, simul ne quis citra factam ei potestatem denuò excudat, interdicimus: Datum Lugduni 20. Septembris 1629.

DE CHAPONAY.




TRACTATVS SECUNDVS.

D E

SACRAMENTIS IN COMMUNI.

DI V V S Thomas agit *Primo*, de natura & forma Sacramentorum. *Secundo*, de necessitate. *Tertio*, de effectu primario, qui est gratia. *Quarto*, de effectu secundario, qui est Character. *Quinto*, de Causa Instituente & ministrante. *Sexto*, de numero.



C A P V T I.

De Natura, Materia & Forma Sacramentorum.



IC A M *Primò*, de nomine Sacramenti. *Secundò*, de definitione. *Tertiò*, de materia & forma. Circa definitionem multa disputationi possunt. *Primò*, quomodo Catholici definiant Sacramentum. *Secundò*, an illa definitio sit vniuoca respectu Sacramentorum Veteris & Nouæ Legis. *Tertiò*, quomodo Lutherani definiant. *Quartò*, quomodo Caluinistæ.

Q V A E S T I O I.

De Nomine Sacramenti.

PRIMA Conclusio: Sacramentum deriuatur à sacro, & apud prophanos Autores sumitur duobus modis. *Primò*, pro pignore vel pecunia, quam litigantes apud

A

Pontifi

CAP. I. DE SACRAMENTIS

2 Pontifices in loco sacro solent deponere. Secundò, pro iuramento, quod per rem sacram, id est, Diuini numinis invocationem fieri solet, Bellarm. de Sacra. in genere 8.

3 Secunda Conclusio: Apud Ecclesiasticos scriptores sumuntur duobus modis. Primo, pro re sacra, occulta & latente. Secundò, pro signo rei sacræ, occultæ ac latentis. Vtique modo est idem quod mysterium. Prior acceptio patet ex illo Ephes. i. v. 9. *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Et Matth. 13. v. 11. *Vobis datum est nosse mysteria Regni cœlorum.* Posterior patet ex illo Eph. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Vbi Apostolus matrimonium vocat Sacramentum, id est, signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Vide D. Thom. art. 1.

3 Tertia Conclusio: Nos hoc loco sumimus Sacramentum in hac ultima acceptione, quatenus scilicet est signum rei sacræ, occultæ & latentis, ut deinceps patebit. Vide D. Thom. art. 2.

QVÆSTIO II.

Quomodo Catholici definiant Sacramentum?

1 Vix sunt Catholicorum definitiones. Prima vulgaris: *Sacramentum est signum rei sacræ.* Hæc imperfetta est, quia multa sunt signa rei sacræ, quæ non sunt Sacra menta, vt transitus maris rubri, Manna, Serpens æneus, & similia. Hæc enim signa erant rerum sacrarum. Nam transitus maris rubri significat sanctitatem per Baptismum conferendam. i. Cor. 10. v. 2. Manna sanctitatem significabat dandam per Eucharistiam. Ibid. v. 3. Et Serpens æneus significabat Christum in cruce pendentem. Ioan. 3. v. 14.

2 Secunda est Hugonis de S. Victore l. t. de Sacram. part. 9. c. 2. *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine representans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam.* Hæc definitio bona est, sed paulò longior & obscurior. Circa quam duo notanda. Primum, per elementum non intelligi corpora simplicia,

qua

quæ Philosophi vocant elementa; sed rem quamlibet, ut à verbo distinguitur: iuxta illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Secundum, per sanctificationem non intelligi aliquam benedictionem aut consecrationem præcedentem, cuiusmodi est illa, qua benedicatur aqua, ut male interpretatur Kemnitius: (nam etiam sine tali benedictione conferri potest sacramentum Baptismi) sed intelligi formam verborum, quibus sacramentum efficitur. Nam illis verbis dicitur elementum sanctificari, id est, fieri Sacramentum.

Tertia Magistri in 4. distinct. 1. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens.* Hæc definitio re non differt à præcedenti. Hoc solum interest, quod in priori aperte dicatur sacramentum esse signum ex institutione, quod in posteriore solum insinuatur per particulam, causa existens. Nullum enim signum sensibile potest esse infallibilis causa vel signum gratiæ, nisi ex diuina institutione, ut per se patet.

4 Quarta est S.Thomæ: art. 2. *Sacramentum est signum sensibile sacræ rei, in quantum est sanctificans homines.* Circa quam duo sunt notanda. Primò, D.Thom. per rem Sacram intelligere hæc tria: Præteritam Christi Passionem, præsentem gratiam, & futuram gloriam; ut patet ex art. 3. vbi dicit, Sacramentum esse signum rememoratiuum præteritæ Christi passionis, & demonstratiuum præsentis gratiæ, & prognosticon futuræ gloriæ. Secundò, particulam illam reduplicatiuam (in quantum est sanctificans homines) posse duobus modis explicari; primò, ut cadat in ipsum Sacramentum; hoc sensu: Sacramentum in quantum hominem sanctificat, est signum rei sacræ. Secundò, ut cadat in rem Sacram, hoc sensu: Sacramentum est signum sensibile rei Sacræ sanctificantis homines. Hunc posteriorem sensum videtur intendere S.Thom. quia loquitur de sanctificatione, quæ fit per internam gratiam; ut colligitur ex solutione ad tertium.

5 Quinta definitio Sacramenti est Catechismi Canisij: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum.*

4 C A P . I . D E S A C R A M E N T I S

Sexta & optima Catechismi Concilij Tridentini: *sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiae tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Ex qua definitione colligitur tria spectare ad essentiā Sacramenti. *Primo*, ut sit signum sensibile. *Secundo*, ut significet sanctitatem & iustitiam ex Dei institutione. *Tertio*, ut eandem efficiat. Hinc passim docent Theologi, Sacramentum esse signum practicum, quia non tantum significat; sed etiam efficit, quod significat. Hic multa queri possunt: primo, an utrumque tam significatio, quam efficientia pertineat ad rationem Sacramenti in communione. Secundo, an illa efficientia sit moralis, an physica. Tertiò, quæ sit illa Sanctitas, & Iustitia, quam efficit, & significat Sacramentum. Hæc & similia sunt in sequentibus explicanda.

Q U E S T I O N I I I .

An definitio Sacramenti vniuocè conueniat Sacramentis antiquis & nouis Legis.

Aliqui docent antiqua Sacra menta vniuocè conuenire cum nostris in genere, licet in specie distinguantur. Ita Dom. Soto & Martin. Ledesius in 4. dist. 1. Fundamentum est, quia ad rationem Sacramenti in genere solum requiritur, ut significet sanctitatem & gratiam, non autem necesse est, ut eam efficiat. Atqui significare gratiam & quæ conuenit antiquis & nouis Sacramentis. Ergo omnia vniuocè conueniunt in ratione Sacramenti. Minor patet, quia sicut noua Sacra menta significant Gratiam presentem, quæ per Christum datur: ita vetera significabant eandem gratiam futuram, & per Christum dandam. Differunt tamen in specie, quia noua non modo significant, sed efficiunt hanc gratiam, quod vetera non faciebant. Hinc sequitur primam definitionem vniuocè conuenire omnibus Sacramentis: reliquas vero conuenire solis Sacramentis nouis Legis. Nam prima includit tantum significationem gratiæ: reliquæ autem significationem & efficientiam. Sic illi.

2 Prima Conclusio : Sacramentum in genere est res sensibilis quæ ex Dei institutione vim habet significandi , & efficiendi aliquam sanctitatem, siue illa sit interna, siue legalis. Ita sentiunt illi, qui docent ad rationem Sacramenti in genere non solum pertinere ut significet , sed etiam ut efficiat sanctitatem ; ut Magister, Albertus, D.Thomas, Bonaventura , & plures alij in 4. distinct. 1. Ratio patebit ex seqq. conclusionibus. Hic solum notandum est, duplarem esse Sanctitatem : Internam vnam & veram, quæ idem est, quod gratia iustificans ; alteram Legalem , quæ nihil aliud est quam consecratio ad diuinum cultum , ut patet ex D. Thom. 1.2. q.102. a.5. Et 3.p.q.62, ad 2. Dicimus ergo ad rationem Sacramenti in genere pertinere, ut significet & efficiat aliquam sanctitatem , siue internam , siue legalem.

3 Secunda Conclusio : Sacramentum nouæ Legis est res sensibilis , quæ ex Dei institutione vim habet significandi & efficiendi veram sanctitatem, seu gratiam habitualem. Hoc patet ex definitione Hugonis , Magistri , Canisij , & Conc. Trid. & infra ex professo probabitur.

Dices : Hæc tota definitio conuenit sacrificio Missæ. Ergo non est bona & adæquata. Antecedens patet, quia illud sacrificium est ceremonia quædam sensibilis , quæ habet vim significandi & efficiendi gratiam non minus, quam Eucharistiae Sacramentum. Aliqui putant, quamvis non omne Sacramentum sit sacrificium, tamen omne sacrificium esse Sacramentum ; ac proinde non mirum esse, si definitio Sacramenti conueniat sacrificio. Ita Nicolaus Sand. 1.1. de visib. Monarch. c.5. Alij docent, sacrificium , quod offertur Deo tantum in cultum & recognitionem dominij , non esse Sacramentum, quod verò offertur in expiationem peccati , esse Sacramentum. Ita Melchior Canus in relect. de Sacram. part. 1. ad 2.

Neutra sententia placet, quia, licet eadem res materialis possit simul esse sacrificium & Sacramentum ; tamen alia est ratio sacrificij , alia Sacramenti. Ratio sacrificij est significare, seu testari excellentiam, qua Deus est supremus Dominus , & primum principium omnium creaturatum. Ratio autem Sacramenti est significare & efficere sancti-

tatem. Hæ duæ rationes coniunctæ sunt in Eucharistia; ac proinde conuenit illi non solum definitio sacrificij, sed etiam Sacramenti.

4 Tertia Conclusio : Sacramentum antiquæ Legis erat res sensibilis, quæ ex Dei institutione vim habebat significandi & efficiendi sanctitatem legalem. Colligitur ex D. Thom. i. 2. q. 102. art. 5. vbi dicit, illa tantum propriè fuisse Sacra menta veteris Legis, per quæ conferebatur aliqua consecratio ad Dei cultum. Ratio, quia constat ex scriptura, *Exod. 28.* & *Leuit. 8.* vetera Sacra menta habuisse vim consecrandi & sanctificandi. Hoc autem nequit intelligi de interna sanctitate gratiæ, vt patebit inferius q. 62. Et debet intelligi de sanctitate legali, id est, de consecratione, seu deputatione hominis ad cultum Dei.

5 Quæres: an vetera Sacra menta significabant internam sanctitatem & gratiam? Resp. Certum est quod illam non efficiebant. Nam, vt infrà dicam, q. 62. in eo differunt Sacra menta noua à veteribus, quod noua ex opere operato conferant gratiam, non autem vetera. Secundò, certum est, quod illam significabant non quidem immediate, sed mediante sanctitate legali. Hæc enim erat figura veræ sanctitatis, vt docet D. Thom. i. 2. q. 102. a. 5. ac proinde vetera Sacra menta immediate significando & efficiendo sanctitatem legalem, mediately etiam significabant sanctitatem gratiæ, quam nostra Sacra menta significant immediate. Vnde patet Sacra menta vetera habuisse triplex officium. Primum erat immediate significare sanctitatem legalem: alterum eiusdem immediate efficere: tertium officium erat illa legali mediante significare sanctitatem gratiæ.

6 Quæstio est, an hæc omnia pertineant ad essentiam illorum Sacra mentorum? Aliqui negant afferentes Sacra menta vetera non ideo fuisse Sacra menta, quod significarent gratiam iustificantem; sed quod significarent & efficerent sanctitatem legalem. Ratio est, quia Sacramentum ut Sacramentum debet esse signum practicum. Ergo debet efficere id quod significat. Atqui Sacra menta vetera non efficiebant gratiam iustificantem, vt omnes concedunt. Ergo nec illam significabant quatenus erant Sacra menta, sed quatenus

quatenus erant figuræ. Confirmatur, quia significare gratiam aliis dandam non est Sacramenti ut Sacramentum est, sed ut est figura & typus rei futuræ. Nam Sacramentum ut Sacramentum dicit ordinem ad eum qui Sacramento initiatum, non ad alios, ut docet D. Thom. I. 2. q. 101. art. 4. Figura autem dicit ordinem ad futura.

Alij tamen aliter sentiunt afferentes de ratione Sacramenti esse, ut siue mediata, siue immediata significet veram sanctitatem; ac proinde antiqua Sacra menta non sive vera Sacra menta, ex eo præcisè quod significant & efficerent sanctitatem legalem; sed simul ex eo quod significantem gratiam iustificantem. Colligitur ex D. Thom. bīc a. 5. ad 3. vbi dicit rationem Sacramenti in eo compleri, quod sanctitatis perfectionem significet. Et infrā q. 61. a. 3. vbi dicit Sacra menta esse sensibilia signa inuisibilia rerum, quibus homo sanctificatur. Et ex Concilio Florentino, vbi ponitur hoc discrimen inter antiqua & noua Sacra menta, quod antiqua non causarent gratiam, sed eam tantum per Passionem Christi dandam figurarent: noua vero contineant gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferant.

Ratio est, quia multæ sunt ceremoniæ sensibiles, quæ significant & conferunt aliquam sanctitatem legalem, & tamen non possunt alio modo excludi à ratione Sacramenti: nisi quia non significant gratiam iustificantem. Ergo hæc significatio est de ratione Sacramenti. Antecedens probatur variis exemplis. *Primo*, quia prima tonsura est ceremonia sensibilis, per quam incipit homo dicari Diuino cultui, ac proinde significat & confert aliquam sanctitatem; & tamen non est Sacramentum, quia non significant gratiam. *Secundò*, aqua lustralis est etiam res sensibilis, quæ confert aliquam sanctitatem; præfertim si verum est, quod aliqui docent per eam deleri peccata venialia. *Tertio*, absolutio ab excommunicatione confert etiam aliquam sanctitatem non minus quam Sacra menta Mosaicæ. Nam sicut hæc mundabant hominem ab immunditia, seu irregularitate legali: ita absolutio mundat ab irregularitate & macula Ecclesiastica. *Quartò*, quia professio, quæ sit in Religione, consecrat hominem Diuino

8 C A P . I . D E S A C R A M E N T I S
cultui , ac proinde confert aliquam sanctitatem quasi legalem.

8 Hæc sententia videtur esse probabilior : quia, cùm Sacra menta sint à Deo instituta , tota eorum significatio , & efficientia debet æstimari ex Dei institutione & voluntate. Deus autem sic instituit , vt antiqua Sacra menta non tantum essent Sacra menta illius temporis , sed etiam figuræ & ymbræ futurorum , iuxta illud 1. Cor. 10. v. 11. *Omnia in figura contingebant illis.* Et Hebr. 1. v. 1. *Lex habet ymbram futurorum bonorum.* Vnde patet antiqua Sacra menta ex Dei institutione non tantum significasse & effecisse sanctitatem legalem illius temporis , sed etiam significasse sanctitatem gratiæ per Christum dandæ.

9 Argumenta contrariæ sententiæ procedunt de Sacra mentis quoad immediatam significationem & efficientiam. Cùm enim dicitur Sacra mentum esse signum practicum , hoc intelligi debet respectu illius rei , quād immediatè significat. Eius enim est signum practicum. Similiter cùm dicitur Sacra mentum dicere ordinem ad eum qui Sacra mento initiatur , intelligendum est quoad immediatum effectum , quem significat & efficit.

10 Quarta Conclusio. Ex dictis colligitur primò Sacra mentum in communi , prout definitum est in prima conclusione , esse genus analogum ad Sacra menta nouæ ac veteris legis ; quia Sacra mentum in communi est res sensibilis , quæ habet vim significandi & efficiendi sanctitatem , prout comprehendit sub se veram sanctitatem & legalem. Sed sanctitas est quid analogum respectu veræ sanctitatis & legalis. Ergo etiam Sacra mentum est quid analogum respectu Sacra mentorum nouæ & veteris legis. Secundò , omnes definitiones , in quibus Sacra mentum dicitur significare & efficere gratiam , conuenire solis Sacra mentis nouæ legis , quia antiqua Sacra menta non efficiebant gratiam , licet eam remotè significarent.

Q v a

QVÆSTIO IV.

Quomodo Lutherani definiant Sacramentum.

1 Prima definitio est Lutheri, in lib. de captiu. Babyl. *Sacramentum est promissio signo externo annexa. Secunda Melanchthonis in Apologia confessionis Augus. art. 13. Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita est promissio gratiae & remissionis peccatorum.*

2 Ex his definitionibus constat Lutheranos requirere tria ad essentiam Sacramenti. *Primo*, ritum seu signum externum. *Secundo*, mandatum seu institutionem Dei. *Tertio*, promissionem gratiae & remissionem peccatorum. Has tres particulæ copiosè explicat Kemnitius in z.p. Examini, & breuiter à nobis examinabuntur.

3 Prima particula. Quod Sacramentum debeat esse ritus, seu signum externum. Hanc admittimus, si per eam nihil aliud intelligatur quam signum sensibile, seu res sensibus subiecta. Kemnitius tamen videtur interpretari signum visibile & tractabile, id est, quod visu & tactu percipitur. Hoc probat, quia Baptismus & Eucharistia, quæ sunt vera Sacraenta, visu & tactu percipiuntur. Contrà, quia licet illa duo Sacraenta sint talia, non ideo sequitur omnia esse talia: alioqui licebit simili modo argumentari: Baptismus, qui est verum Sacramentum, est signum sensibile & humidum. Ergo omnia Sacraenta sunt humida.

4 Secunda particula. Quod ritus ille externus, qui dicitur Sacramentum, debeat habere mandatum seu institutionem Dei. Hanc etiam admittimus si bene intelligatur. Fatalem enim Sacraenta à Deo esse instituta; Kemnitius tamen videtur requirere tale mandatum seu institutionem, quæ expressè habeatur in scripturis. Sed errat. *Primo*, quia sufficit traditio seu Verbum Dei traditum. *Secundo*, quia sequeretur Baptismum & Eucharistiam non fuisse Sacraenta antequam Apostoli & Euangelistæ scriberent N. T. quod est absurdum.

5 Tertia particula est. Ut adsit promissio gratiae & remissionis peccatorum: per gratiam autem non intelligunt

A 5

aliquid

BIBLIOTeca
UNIVERSITARIA

aliquid donum inhærens, sicut Catholici, sed peccatorum liberalem condonationem, ut gratia sit idem, quod remissio peccati, seu non imputatio. Contrà est primò, quia talis gratia non consertur in Eucharistia. Non enim Sacramentum Eucharistiae institutum est ad remissionem peccatorum, sed ad augmentum gratiæ præexistentis. Supponit enim hominem iam esse liberum à peccatis mortaliibus, iuxta illud 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo,* & sic de pane illo edat. Secundò, quia hæc promissio gratiæ potest tribus modis intelligi: 1. vt ipsa promissio sit de essentia Sacramenti, id est, vt ipsa verba, quibus formaliter efficitur Sacramentum, sint promissoria gratiæ; quod videtur insinuare Lutherus in sua definitione cùm ait: Sacramentum est promissio. Et Kemnitius cùm dicit promissionem debere esse annexam signo ex diuina ordinatione. Contrà, quia tunc neque Baptismus neque Eucharistia esset Sacramentum. Nam verba, quibus illa duo Sacra menta perficiuntur, non sunt promissoria sed assertoria. 2. potest intelligi, vt fiat promissio de fructu seu effectu Sacramenti, vt cùm dicitur, Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ioan. 6. vers. 52. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Hanc promissionem admittunt Catholici in omnibus Sacramentis, & eam probant, partim ex scripturis citatis, partim ex traditione; Lutherani verò licet admittant, non tamen possunt probare in Sacramento Eucharistiae. Nulla enim extat promissio in Scripturis de hoc Sacramento, nisi apud Ioannem cap. 6. At Lutherani negant in illo capite agi de Eucharistia.

Dices: extat promissio Matth. 26. v. 27. Marc. 14. v. 22. & Lue. 22. v. 19. vbi sic dicitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Resp. hæc promissio non spectat ad Sacramentum Eucharistiae, sed ad sacrificium, quod tunc Deo offerebatur in Cœna, & postea offerendum erat in Cruce. Non enim dicit Christus Corpus suum dari Apostolis in remissionem peccatorum; sed dari pro illis, vide licet Deo, in remissionem peccatorum. Similiter non dicit

Sanguis

Sanguinem propinari Apostolis, sed effundi pro illis in remissionem peccatorum.

Tertiò , potest intelligi non de promissione effectus Sacramenti, sed de aliqua promissione præcedente, quæ postea Sacramento tanquam sigillo obsignetur & confirmetur. Hoc modo intelligunt plerique Lutherani , afferentes sacramenta esse sigilla Diuinarum promissionum ad excitandam & confirmandam fidem nostram. Vnde sicut Rex, qui scripto promittit alicui mille aureos , eandem promissionem scripto contentam postea sigillo suo obsignat & confirmat : ita ipsi dicunt Deum in Scriptura promisisse fidelibus remissionem peccatorum , & postea eandem promissionem Sacramento tanquam sigillo obsignasse & confirmasse : idque fecisse ad excitandam & alendam fidem nostram quam habemus de promissione remissionis peccatorum.

6 Contra est primò , quia sigillum debet esse notius & certius quam Scriptura , quæ sigillo obsignatur , alioqui esset superuacaneum. At Sacraenta non sunt nobis notiora atque certiora quam Scriptura Sacra , in qua habentur Diuinæ promissiones. Ergo non sunt sigilla earum promissionum. Minor patet , quia iuxta Lutheranos ex sola Scriptura cognoscimus quænam sint legitima Sacraenta , & quæ non sint. Ergo notitia Sacramentorum pendet ex notitia Scripturæ . Ergo Sacraenta non sunt notiora quam Scriptura ; ac proinde non sunt illius sigilla.

Confirmatur à simili , quia si sigillum Principis esset ignotum , & solum posset cognosci ex litteris quibus est appensum, iam planè esset superuacaneum, nec haberet rationem sigilli. Nam vel credis litteras illas esse Principis secluso sigillo , vel non. Si credis , quid facit sigillum ? Si non credis, certè neque credis sigillum esse Principis. Nihil igitur prodest. Pari ratione cùm non scias Sacraenta esse sigilla Dei nisi quia Scriptura hoc dicit. Si credis Scripturæ sine Sacramentis, quorsum Sacraenta ? Si non credis, certè nec credis Sacraenta esse sigilla. Nihil igitur profundit.

Secundò , quia si Sacraenta solum essent sigilla Diuinæ promissionis ad excitandam fidem de remissione peccatorum,

25 CAP. I. DE SACRAMENTIS
catorum, frustra baptizarentur infantes; quia non potest excitari actus fidei in illis ante usum rationis. At Lutherani docent infantes non frustra baptizari. Ergo Sacra-
menta non sunt tantum instituta ad excitandam fidem.
Hoc argumento coacti sunt Lutherus, & eius discipuli af-
ferere, infantes actu credere cum baptizantur. Sed hoc absurdum esse infra ostendemus ex D. August. in Epist. 57.
ad Dardanum.

Tertiò, quia aduersarij non possunt in Scriptura osten-
dere aliquam promissionem, quæ baptismō ob-signetur &
confirmetur. Adferunt quidem illam Matth. 16. v. 16. *Qui
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit:* Sed illa facta est
post resurrectionem Christi, cum iam ante Baptismus esset
institutus. Deberent autem adferre promissionem prior-
rem, quæ Baptismo ob-signaretur.

QVÆSTIO V.

Quomodo Caluinistæ definiant Sacramentum.

CALUINUS lib. 4. Inst. c. 14. §. 1. sic definit: *Sacramentum est symbolum externum, quo benevolentia erga nos sue promissionem conscientijs nostris Dominus ob-signat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur.* Ex hac definitione constat Caluinistas & Lutheranos in eo conuenire, quod utriusque dicunt Sacramentum esse symbolum externum, quo tanquam sigillo ob-signantur promissiones Dei ad excitandam & alendam fidem. Hoc tamen non eodem modo intelligunt: Lutherani loquuntur de promissione remissionis peccatorum, quæ tunc datur homini, quando Sacraenta percipit. Caluinistæ autem loquuntur de promissione prædestinationis, quæ ab æterno facta est. Vnde secundum Lutheranos Sacraenta instituta sunt ad alendam fidem de remissione peccato-
rum: secundum Caluinistas ad alendam fidem de benefi-
cio prædestinationis. Lutherani enim dicunt se suscipere Sacraenta ad excitandam illam fidem, qua credunt pec-
cata sibi remitti per Christum. Caluinistæ ad eam fidem
excitan

excitāndam, qua credunt se esse ab æterno prædestinatos ad vitam æternam.

2 Hoc posito, Caluini definitio refutatur: *Primo*, quia sigillum debet esse notius Scriptura, ut suprà contra Lutheranos dixi; *Secundo*, quia in infantibus, qui baptizantur, non potest excitari fides. Idem dici potest de adultis prædestinatis, qui baptizantur apud Hæreticos, antequām habeant veram fidem.

Resp. Caluinus fidem non quidem excitari in infantibus, quando baptizantur, sed cùm ad usum rationis perueniunt: tunc enim eos recordari baptismi accepti, & eo signo nutrire & sustentare suam fidem. *Lib. 4. Inst. c. 16. §. 20.* Idem dicit de illis, qui apud Catholicos baptizati sunt, & postea fiunt Caluinistæ, *in lib. 4. c. 15. §. 17.* Contra; quia hinc sequitur Caluinistas malè facere quod baptizent infantes. Nam si primarius finis baptismi est alere & confirmare fidem, deberent eos tunc baptizare quando possunt illum finem consequi.

Dices, ideo baptizant eos in infantia ne fortè moriantur antè usum rationis, & sine gratia discedant ex hac vita. Contra, quia Caluin. *in antid. Conc. Trid. sess. 6. c. 5.* & alibi, docet parvulos prædestinatos etiam sine baptismō saluari; non prædestinatos autem etiam cum baptismō perire. *Tertio*, refutatur, quia in Scriptura nulla habetur promissio de æterna prædestinatione, imò nec dari potest. Nam promissio non est præteriorum, sed futurorum. *Quarto*, quia ex hac sententia sequitur solos prædestinatos verè baptizari, ac proinde Iudam proditorem, Simonem Magum, & alios similes non fuisse verè baptizatos: quod est absurdum.

3 Prima Obiectio. Ex Scripturis constat Deum suas promissiones, & paëta sëpè externis signis tanquam sigillis ob-signasse & confirmasse. *Primo*, *Gen. 9. v. 12.* iris fuit signum fœderis inter Deum & Noë. *Secundo*, quia *Gen. 17. v. 11.* circumcisio fuit signum fœderis inter Deum & Abraham, posterisque illius. *Tertio*, quia *Jud. 6. v. 37.* ros & vellus Gedeonis fuit sigillum promissionis Diuinæ, qua promiserat Gedeoni victoriam contra Madianitas. *Quarto*, quia, *4. Reg. cap. 20.*

cap. 20. v. 10. umbra horologij retrocedens decem gradibus fuit sigillum promissionis Diuinæ qua promiserat Regi Ezechiae sanitatem. *Quintò*, quia *Luc. 1. v. 36.* promissio B. Virginis facta confirmatur alia promissione, quæ erat Elizabethæ facta. Ex his & similibus locis colligitur. *Primò*, promissiones Dei confirmari sèpè externis signis. *Secundò*, easdem etiam fuisse confirmatas circumcisione, quæ fuit Sacramentum veteris legis. *Tertiò*, idem dici posse de aliis Sacramentis.

Resp. *Primò*, generatim, promissiones Diuinæ quæ habentur in Verbo Dei, tunc confirmari posse aliquo signo externo, quando id signum non dependet à Verbo Dei, in quo habetur promissio, alias non posse. Si enim in litteris regiis adscriberetur sigillum appensum esse regium, certè nulla inde sigillo auctoritas accederet. Resp. *Secundò*, speciatim ad singula. Iris & circumcisio fuerunt quidem signa foederis inter Deum & homines: non tamen ad confirmandam fidem, sed ad memoriam iuuandam, ut Catholicæ docent. Baptismum & Eucharistiam esse signa commemo-ratiua Passionis & mortis Christi.

Quod adfertur de rore & vellere Gedeonis, & de umbra horologij retrocedente, nihil ad rem facit. Sunt enim opera miraculosa. Miracula autem non pendent à Verbo, sed ex se vim habent: ac proinde rectè adhibentur ad confirmandam promissionem Verbo factam: Sacramenta autem, ut supra dixi, nullam vim habent sine Verbo. Quod vero vna promissio alia promissione confirmetur, non est mirum, quando vna non dependet ab alia. Hoc modo Angelus confirmauit promissionem conceptus Virginie ex promissione conceptus, qui iam præcesserat in Elizabetha fene & sterili. Non enim pendebant ex se mutuo illa duo opera supernaturalia, ac proinde unum, quod iam præcesserat, magnam vim habuit ad confirmandum alterum, quod nondum venerat.

¶ Secunda Obiectio. Ex Patribus, qui aliquando vocant Sacra menta sigilla, seu signacula, ut *Nazianz.* orat. de Bapt. *Basil.* in exhort. ad Bapt. *Hieron.* in c. 4. ad *Ephes.* *August.* lib. 19. contra *Faustum*, cap. 11. & alij. Resp. Patres longè alio sensu loquuntur

loquuntur de signaculis Sacramentorum quam Hæretici. Loquuntur autem triplici sensu. *Primò*, Sacra menta vocant signacula, quia obsignant fideles, & tanquam nota quædam distinguunt illos ab infidelibus: ita Auctores ci tati. *Secundò*, vocant Sacra menta signacula, quia claudunt intra se rem Sacram, id est, inuisibilem gratiam: ita *August.* in lib. de Catechizandis rudib. c. 26. Postremò vocant Baptis mum sigillum, vel obsignationem fidei, quia videlicet Ba ptismus est publica testificatio fidei in illo qui baptizatur, ita *Tertullian.* in lib. de pœn. Et *Basil.* lib. 3. contra Eu nomium.

QVÆSTIO VI.

An Sacra menta constent rebus, & verbis tanquam materia & forma.

1 **P**rima Conclusio: Sacra menta veteris legis non constabant rebus, & verbis tanquam materia & forma, sed solis rebus; ita D. Thom. art. 6. ad 3. Probatur *Primò*, quia in V. Testamento, vbi præscribuntur præcipui ritus Sacramentorum, nulla fit mentio verborum; ut patet *Genes.* 17. vbi præscribitur ritus circumcisionis: & *Exod.* 12. vbi præscribitur ritus agni Paschal is: & *Leu.* 8. vbi præscribitur ritus ordinationis. Probatur *Secundò*, ratione D. Thomæ, quia status veteris legis erat imperfectior statu nouæ legis, & habebat fidem magis implicitam & obscuram, quam nos habeamus. Ergo æquum erat ut Sacra menta illius status non haberent tam expressam significationem ut nostra habent; ac proinde non fuit necesse, ut præter externas ceremonias adhiberentur etiam verba, quæ ad expressius significandum adhiberi solent.

2 Dices *Primò*, Sacrificium pro peccato fuit Sacra mentum veteris legis, quod respondebat nostro pœnitentiæ Sacramento. Sed in illo sacrificio adhibebantur verba ex præcepto Diuino; ut patet *Leuit.* 4. v. 25, vbi præscribitur ut Sacerdos oret pro iis quorum est sacrificium. Resp. *Primò*, non est certum illud sacrificium fuisse Sacra mentum. *Secundò*, nec oratio illa Sacerdotis erat de essentia sacri

ficij



ficij pro peccato, sed solum adhibebatur in vñsu, seu administratione illius sacrificij ad facilius impetrandum. Hoc inde colligitur, quia ut ibidem habemus, in sacrificio pro peccato Sacerdotis nulla oratio adhibebatur, sed solum in sacrificio aliorum pro populo de peccato.

3 Dices Secundò, in ceremonia Zelotypiæ debebant adhiberi certa verba, ut patet Num. 5. v. 19. Resp. illa ceremonia non erat Sacramentum, quia non erat instituta ad sanctificandum, sed ad inuestigandum atque puniendum adulterium.

4 Secunda Conclusio. Sacraenta nouæ legis constant rebus & verbis, tanquam materia & forma. Ita D. Thom. art. 6. ad 2. & plerique Scholastici, dist. 4. art. 1. Et habetur in Concilio Florentino in instructione Armenorum. Probatur Primò, ex scriptura, vbi expressè fit mentio rerum & verborum in quatuor Sacramentis. Nam in baptismo est ablutio aquæ, & verba baptizantis. Matth. 28. v. 19. In Eucharistia est panis & vinum, & verba consecrationis. Matth. 26. v. 26. In confirmatione est impositio manus & oratio. Actor. 18. v. 15. In extrema vñctione est vñctio & oratio. Jacob. 5. v. 14.

Idem videtur dicendum de aliis Sacramentis. Nam in pœnitentia sunt actus pœnitentis, & verba absolutionis. In ordine sunt instrumenta sacra vel quid simile, & verba ordinantis. In matrimonio est traditio corporum, & verba quibus explicatur consensus. Hæc conclusio patitur varias obiectiones; & ideo limitanda est ac explicanda per sequentes conclusiones.

5 Tertia Conclusio. Ut Sacraenta nouæ legis dicantur constare rebus & verbis, non est necesse, ut res non sint verba, & verba non sint res; sed satis est ut aliquid fungatur vice rerum ac verborum. Hæc conclusio ponitur propter Sacramentum pœnitentia & matrimonij. Nam in pœnitentia actus confessionis qui verbo fit, fungitur vice rei: In matrimonio autem, loco verborum sufficiunt nuntius vel litteræ, quibus consensus exprimitur.

6 Quarta Conclusio, non est etiam necesse ut in omni Sacramento res & verba ita coniungantur, ut partes essentiales

tiales eiusdem rei. Hæc conclusio ponitur propter Eucharistiam & Pœnitentiam. Nam in Eucharistia res ipsa consecrata, & verba consecrationis non constituunt essentiam Sacramenti, ut suo loco dicemus. Similiter in Pœnitentia quando vno die fit confessio, & altero die confertur absolutio, non potest constitui compositum essentiale ex confessione & absolutione, tanquam ex materia & forma per modum compositi physici, ut per se patet.

7. Quinta Conclusio, Sacramentum nouæ legis potest dupliciter spectari. Primo, per modum compositi artificiati. Secundo, per modum compositi physici. Si priori modo spectetur, tunc materia eius sunt res, & verba simul sumpta; forma vero est significatio & efficientia. Si posteriori modo, tunc res cum sua partiali significatione & efficientia est materia; verbum vero cum sua partiali significatione & efficientia est forma.

QVÆSTIO VII.

An Sacra menta constent rebus & verbis à Deo determinatis, que mutare non liceat.

1. Prima Conclusio: In Sacramentis nouæ legis debent adhiberi res certæ, & à Deo determinatae. In hac consentiunt nobiscum aduersarij, licet ex diuerso fundamento. Illorum est, quia nullus externus cultus & cérémonia Deo placet, nisi quam ipse instituit. Nostrorum fundamentum est, quia Sacra menta nouæ legis sunt causa gratiæ iustificantis, ut infrà probabimus. At nemo potest gratiam dare nisi Deus. Ergo solus Deus potest determinare res illas per quas gratia confertur.

2. Secunda Conclusio: In Sacramentis nouæ legis debent etiam adhiberi certa verba, & à Deo determinata. Hic dissentient à nobis aduersarij. Fundamentum est eorum, quia Sacra menta principaliter instituta sunt ad excitandam & alendam fidem. Ergo, perinde est, quibus verbis utamur, modò iis fides exitari & foueri possit. Nostrum fundamentum est, quia Sacra menta instituta sunt ad efficiendam gratiam. Ergo, sicut propter hanc causam debent

3 Tertia Conclusio: Non licet mutare materiam aut formam Sacramentorum, nec substantialiter, nec accidentaliter. Est communis sententia Catholicorum, quae his regulis explicari solet. Prima, quando mutatio materiae & formae est substantialis vel essentialis, nullum efficitur Sacramentum. Secunda: si tantum fiat mutatio accidentalis, efficitur quidem Sacramentum, sed Minister peccat, praesertim in re alicuius momenti. Tertia: quando mutatio materiae tantum est, ut iuxta communem usum & conceptionem hominum discrepet a materia usitata, & ab ipso Christo prescripta, tunc mutatio est essentialis; alioqui est accidentalis. Quarta: quando mutatio formae tanta est, ut non maneat idem sensus verborum, tunc est essentialis; alioqui est accidentalis. Vide Suar. d.2.f.4.

Q V A E S T I O I X.

Qualia debent esse verba Sacramentorum.

I Error primus est Caluinistarum, qui admittunt duo tantum Sacraenta, videlicet Baptismum & Eucharistiam. Hi primo docent in Baptismo requiri duo genera verborum; alterum concionale, quo Minister proponat, & explicet promissionem diuinam; alterum solemne illud: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quamuis enim Caluinus lib.4 Inst. c.14. §.4. videatur solum cognoscere verbum concionale; tamen vtrumque requirit in libello de formula ministrandi Sacraenta; & vtrumque adhibet Caluinistae in praxi quotidiana. Quod si posterius omitterent, non esset validus illorum Baptismus: ac proinde, qui apud Caluinistas essent baptizati, deberent iterum baptizari apud Catholicos, quando ad Ecclesiam redeunt.

Secundò docent, in Eucharistia non requiri aliud verbum quam instructionis, ut ex formula Caluini perspicuum est; & patet ex eorum praxi. Nam primo loco recitant institutionem Sacramenti ex 1. Cor. 11. Deinde concionator adhibet aliquam explicationem: & tum demum sine ullo signo

signo crucis, aut alio verbo, vel ritu distribuunt panem & vinum. Vnde sequitur non esse veram Eucharistiam apud Calvinistas, quia non recitant verba consecrationis cum intentione consecrandi, sed tantum per modum historiæ.

Quæres: An verbum concionale, quod Calvinistæ requirunt ad Baptismum & Eucharistiam, sit de essentia illorum Sacramentorum secundum ipsos? Resp. Id non satis constare, quia Calvinus non eodem modo loquitur ubique de hac re. Nam lib. 4. Inst. c. 14. §. 3. dicit Sacramentum esse quasi appendicem verbi. Vnde videtur sentire verbum esse rem distinctam à Sacramento. At §. 4. dicit Sacramentum constare signo & verbo, & per verbum se intelligere concionem dicit. Deinde ibidem citans illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*, explicat de verbo concionali. Præterea in comment. c. 5. ad Ephes. circa illud Apostoli; *Mundans illam lauacro aquæ in verbo vitæ*; sic habet: *in Papatu nulla est mysterij explicatio ad populum, quæ sola facit, ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum.*

Error secundus est Lutherorum, qui in Baptismo conueniunt cum Calvinistis, ut patet ex Melanchl. in locis, c. de bapt. at in Eucharistia discrepat etiam inter se. Nam aliqui recitant verba institutionis merè historicè: alij recitant cum intentione consecrandi: alij nihil recitant; ut videre est apud Kemnitium in 2. p. Exam. p. 346. Vnde sequitur, Lutheranos habere verum Baptismum, sed non veram Eucharistiam, nisi admodum paucos, qui scilicet adhibent verba consecratoria, & fuerunt in Ecclesia ordinati Sacerdotes.

5 Prima Conclusio: Non tantum in baptismo, sed etiam in Eucharistia requiruntur verba solemnia, quæ in ipsa celebratione mysterij proferri debent. Probatur, quia in Eucharistia pronunciauit Christus hæc verba: *Hoc est corpus meum: ac deinde iussit vt nos idem faceremus: Hoc, inquit, facite in meam commemorationem.* Debemus igitur etiam nos vti certis verbis, si volumus facere quæ ipse Dominus fecit & nobis imperauit.

Dices: Christus imperauit, ut faceremus, quod ipse fecit; non autem, ut diceremus verba, quæ ipse dixit. Resp. Vtrumque imperauit. Nā illa particula, *Hoc facite*, refertur

ad totam actionem Christi, quatenus etiam verba comprehendit. Hoc patet ex vñu, & traditione Ecclesiae; quæ si non recipiatur, iam etiam in dubium reuocabitur forma Baptismi. Nam vnde quæso colligitur in aspersione Baptismali dicenda esse illa verba: *Ego te baptizo in nomine, &c.* certè non aliundè quam ex illis verbis Matth. 28. v.19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filiij, & Spiritus sancti.* At hinc non patet certò id colligi, nisi recipiatur Ecclesiae traditio. Non enim Christus ait: *Baptizate, & dicite hæc verba:* *Ego te baptizo, &c.* sed solum dicit: *Baptizate eos in nomine Patris, &c.* quæ verba per se sumpta non cogunt, ut dicamus: *Ego te baptizo, &c.* sed solum, ut baptizemus auctoritate Dei; quod fieri potest etiamsi nihil dicamus.

Patet in simili exemplo. Nam Marci 16. v.17. Christus ait: *In nomine meo Daemonia eiicient: Super agnos manus implicant, & benè habebunt.* Et tamen non erat opus, ut Apostoli in sanandis ægrotis pronunciarent hæc verba: *Ego te sanio in nomine Christi.* Nam *Actor. 14. v.9.* Paulus sanauit claudum nulla facta mentione nominis Christi. Quod ergo in Baptismo dicere debeamus: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* non potest certò colligi ex sola Scriptura, sed simul ex praxi & traditione Ecclesiae. Si autem traditio recipitur in Baptismo, cur non etiam in Eucharistia?

6 Secunda Conclusio: Verbum concionale non est de essentia Baptismi, vel Eucharistie: Hoc contra Caluinistas probatur *primo*, quia Baptismus Catholicorum datur, sine illa concione, & tamen est verus Baptismus, ut fatetur Caluinus *lib. 4. Inst. c. 15. §. 16.* Ergo verbum concionale non est de essentia Baptismi. Hinc patet, Caluinum sibi ipsi contradicere. Nam loco citato fatetur, Catholicos non esse rebaptizandos, eo quod habeant verum Baptismum. At in cap. 5. ad Ephes. dicit, nullam esse apud Papistas legitimam Sacramentorum obseruationem, quod desit apud eos explicatio ad populum, quæ sola facit, ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum.

Probatur *secundo*, quia, si forma Baptismi esset concio, sequeretur, Hæreticos habere falsum Baptismum, quia conciones

tiones Hæreticorum sunt falsæ & hæreticæ. Sed Ecclesia approbat Baptismum quorumlibet Hæreticorum, modò detur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, etiam si addant ipsi peruersissimam concionem & explicationem, ut docet Augustin. lib.3. de Bapt.c.15. & alij passim.

Probatur tertio, quia in Baptismo puerorum frustra adhiberetur concio ad fidem corum excitandam.

Probatur quartu, quia neque Christus Matth.26. neque Paulus in 1.ad Cor.11.dicunt fieri debere concionem, quando Cœna Dominica celebratur: imò nec Christus habuit ullam concionem in celebratione Cœnæ, nec Eucharistie vim explicauit. Habuit quidem longum sermonem, quem Ioannes descripsit c.4. & duobus sequentibus; sed ille nihil ad Cœnam pertinebat, quia & post Cœnam habitus est, & nullam Cœnæ mentionem facit.


7. Tertia Conclusio : Ad Sacramentum Eucharistie requiritur certa verborum formula, quæ non tam instruat circumstantes, quam consecret & sanctificet elementum. Probatur primò, quia ad Baptismum requiruntur hæc verba: Ego te baptizo, &c. hæc autem non continent instructionem, sed consecrationem: neque promissionem gratiæ, sed inuocationem sanctissimæ Trinitatis.

Secundò, quia verba ad Eucharistiam pertinentia dicuntur ab Apostolo verba benedictionis, non instructionis, vt patet ex 1.Corinth.10. vers.16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Probatur tertio, ex antiquis Conciliis. Nam Nicenum can.9. iubet rebaptizari Paulianistas, & similiter Laodicenum can.8. iubet rebaptizari Cataphryges. Econtra Concilium primum Arelatense can.8. & Syritius Papa Epist.1.c.1. prohibent Arianios rebaptizari.

Causa huius differentiæ non potest reddi alia, nisi quam reddit Innocentius Pius in Epist.22.cap.5. quia scilicet Paulianistæ & Cataphryges, nec credebant Trinitatem, nec baptizabant cum inuocatione Trinitatis: sed Arriani licet non crederent Trinitatem unius essentiæ, tamen baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Unde sequitur, non instructionem & doctrinam, sed inno-

32 CAP. IL DE SACRAMENTIS
tionem Trinitatis pertinere ad Baptismum. Nam, si spe-
cetes eruditionem & doctrinam, non minus errabant circa
Trinitatem Arriani quam Paulianistæ & Cataphryges.

Quartò probatur ex Patribus, qui, quando de verbis Sa-
cramentorum loquuntur, non faciunt mentionem instruc-
tionis, sed inuocationis & consecrationis, vt Dionysius
lib. de Eccles. Hier. cap. vlt. Iuslinus in Apologia ad Antoninum
Pium, Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 15. Cyrillus Catech. 3.
Nyssenus in lib. de Bapt. Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 5. Augu-
stinus lib. 3. de Bapt. contra Don. cap. 10. & lib. 5. cap. 20.



C A P V T II.

De necessitate Sacramentorum.

1 **E**CCESSITAS cuiusque rei debet colligi ex fine. Finis Sacramentorum est iustificatio ho-
minum. Quæritur ergo, an ad homines iustifi-
candos necessaria sint Sacra menta? *Primò* certum est, in-
stitutionem Sacramentorum non fuisse simpliciter nece-
ssariam ad nostram salutem. Deus enim potuisset nos alio
modo saluare quam per Sacra menta, si voluisset. *Secundò*,
certum, postquam Sacra menta semel à Deo instituta sunt
ad hunc finem, eorum obseruationem esse necessariam ad
salutem; non tamen eodem modo, vt de singulis suo lo-
co patebit. Nunc generatim videndum, quæ Sacra menta
sint à Deo instituta in diuersis statibus.

2 Conclusio Prima: De statu Innocentia nihil habemus
certi: hæc tamen probabilia. *Primò*, nullum fuisse in eo
statu Sacra mentum à Deo institutum. *Secundò*, nec insti-
tuendum fuisse, si status ille perseverasset. *Tertiò*, si quis
durante illo statu ex posteris Adæ peccasset, potuisset per
internam contritionem iuuari. Vide D. Thom. art. 2. &
Suar. d. 3. s. 3.


3 Conclusio Secunda: In statu Legis naturæ certum pri-
mò, fuisse aliquod commune remedium pro peccato ori-
ginali. *Secundò*, fuisse sacrificium Melchisedech. *Tertiò*,
fuisse circumcisio nem; licet non omnia fuerint instituta
codem

eodem tempore. Dubitatur *primò*, quale fuerit illud remedium, & an fuerit Sacramentum? Resp. Verisimilius est fuisse. *Secundò*, an sacrificium Melchisedech, seu oblationis panis & vini fuerit verum Sacramentum? Certum est non fuisse commune omnibus; sed vni familiæ peculiare. *Tertiò*, an circumcisio contulerit gratiam ex opere operato; sed hoc in sequenti quæstione disputandum.

4 Tertia Conclusio: in statu legis Mosaicæ certum est fuisse aliqua Sacraenta præter circumcisionem, videlicet Agnum Paschalem, Sacerdotium legale, & varias expiations. Et quidem circumcisione fuit figura nostri Baptismi, Agnus Paschalis, Eucharistia, Sacerdotium legale, nostri Sacerdotij, expiations, Sacramenti poenitentiae.

Matrimonium verò non fuit tunc Sacramentum, quia nondum facta fuerat coniunctio Verbi cum humanitate. Extremaunctione & confirmatio non habuerunt proprias figuræ, teste D. Thom. I. 2. q. 102. art. 5. Ratio est, quia in confirmatione datur plenitudo Spiritus sancti: per unctionem verò præparatur homo ad introitum gloriae. At lex Mosaicæ erat egena & vacua, nec poterat hominem introducere ad gloriam, quia ianua cœli nondum erat aperta.

5 Quarta Conclusio. In statu legis Gratiae, seu Euangelij instituta sunt à Christo varia Sacraenta: de quorum numero, distinctione, efficacia & necessitate deinceps agetur.



C A P V T III.

De principali effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

1 **S**TATVS quæstionis: An Sacraenta conferant gratiam. Et *primò* quæritur de Sacramentis nouæ legis. *Secundò*, de Mosaicis. *Tertiò*, de circumcisione, de qua est peculiaris difficultas. Rursum de Sacramentis nouæ legis multa quæri possunt. *Primò*, an sint causæ instrumentales gratiarum. *Secundò*, an sint causæ morales. *Tertiò*, an etiam physicae. *Quartò*, an per virtutem

intrinsecam. *Quinto*, an per corpoream, an per spiritualem. *Sexto*, an quando non existunt physicè causent gratiam. *Septimo*, qualis sit hæc gratia.

QVÆSTIO I.

*An Sacra menta nouæ legis sint instrumentales
causæ gratiæ.*

1 **C**ERTUM est Sacra menta nouæ legis non esse causam principalem gratiæ & remissionis peccatorum, sed solum Deum. In hoc conueniunt Catholici & Aduersarij. Colligitur ex illo Ef. 43, v. 25. *Ego sum, ego sum, qui delco iniqüitates tuas.* Rom. 3, v. 30. *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisio nem ex fide, & præputium per fidem.* Ratio, quia nullus subditus, aut inferior potest propria auctoritate & virtute remittere iniurias quæ sunt cōtra Principem superiorem. Atqui omnis creatura subdita est Deo, contra quem sunt iniuriæ peccatorum. Ergo nulla creatura potest sua virtute remittere peccata contra Deum commissa. Hinc sequitur, nec posse sua virtute gratiam producere. Nam gratia ex natura sua nequit consistere cum peccatis. Ergo, qui non potest peccata remittere, non potest etiam gratiam producere; aut qui hanc potest producere, potest illa remittere.

Dices: Maior virtus requiritur ad producēdam gratiam in homine peccatore, quam in homine innocentem, quia in uno est resistentia, in altero non est. Resp. Non est resistentia physica, sed tantum moralis, quæ non impedit efficiētiā physicā. Vnde æquè facile est producere gratiam in homine aliquo peccatore quam in non peccatore.

2 **T**ertia Conclusio: Licet Sacra menta nouæ legis non sint causæ principales gratiæ, sunt tamen instrumentales. Hic dissentunt Aduersarij. Potest autem dupliciter intelligi conclusio. *Primò*, quod Sacra menta sint causæ instrumentales, & conferant gratiā immediatè; & sic nos intelligimus. *Secundò*, quod sint causæ instrumentales, & conferant gratiā mediātē fide: ita ut ipsa Sacra menta nihil aliud agant nisi quod excitent fidem, quæ sola iustificet. Sic Aduersarij intelligunt, ut Luth. in lib. de capt. Babyl. cap. de bapt. Cal. 4.

Inst. 14. §. 6. & alij. Est autem magnum discrimen inter utramque sententiam. Nos enim *primo* requirimus fidem tanquam dispositionem praeuiam, cui succedat Sacramentum, quod immediate & proxime conferat gratiam. Aduersarij contraria *primo* requirunt Sacramentum ad excitandam fidem, quae inde iustificet, & peccata remittat.

Nostra sententia est definita in multis Conciliis, & ab omnibus Patribus antiquis recepta, ut patet ex Bell. lib. 2. cap. 5. 6. & 7. Probatur *primo* generati ex iis locis, ubi fides requiritur ante susceptionem Sacramenti, ut Marc. 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et Act. 8. v. 36. ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, dices.

Probatur secundò ex illo Marc. 1. v. 8. *Ego baptizavi vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu S.* Hic ponitur discrimen inter efficaciam Baptisini Ioannis & Christi. At si efficacia Sacramentorum confisteret in eo quod excitent fidem iustificantem, nullum esset discrimen inter baptismum Ioannis & Christi. Nam baptismus Ioannis non minus efficax erat ad excitandam fidem, quam baptismus Christi, quia in baptismo Ioannis erat externa ablutio, & verbum fidei ac promissionis, ut patet ex illo Luc. 3. v. 3. *Venit Ioannes in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum Pénitentiae in remissionem peccatorum.* Act. 19. v. 4. *Ioannes baptizauit baptismō pénitentiae populum, dicens: In eum, qui venturus es post ipsum, crederent, hoc est, in Iesum.*

Respondet Calu. in 3. cap. Matth. eandem fuisse efficaciam baptismi Ioannis & Christi: discrimen autem, quod ponit Euangelista in aqua & Spiritu, dicit in eo consistere, quod Ioannes esset minister externi ritus, Christus autem esset autor internæ sanctificationis. Contraria, quia si erat eadem vis utriusque baptismi, cur Paulus Act. 19. v. 4. iussit eos, qui baptizati fuerant baptismō Ioannis, iterum baptizari baptismō Christi?

Respondet Calu. in comm. huius loci, non fuisse baptizatos iterum, sed tantum accepisse visibiliter donum Spiritus S. Contraria, quia Scriptura expressè dicit, primū quidem fuisse iterum baptizatos, deinde per manus impositionem

tionem accepisse Spiritum S. Verba Scripturae sunt haec;
His auditus, baptizati sunt in nomine Iesu, & cum imposuisset il-
lis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loqueban-
tur varijs linguis.

Respondet Caluinus, ista posteriora verba esse explica-
tionem priorum. Contrà, quia Baptismus nō est idem quod
impositio manuum. Ergo, vnum non est explicatio alte-
rius, sed sunt duæ distinctiones, vt patet partim ex textu
citato, partim ex simili loco, Aet. 8. v. 15. vbi sic legimus: Mi-
serunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum venissent, oraue-
runt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. Nondum enim in
quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in no-
mine Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant
spiritum S. Ex hoc loco patet, aliud esse, baptizari in nomi-
ne Domini, aliud verò, visibiliter accipere spiritum san-
ctum per impositionem manuum. Nam illi, ad quos mitte-
bantur Apostoli, iam erant baptizati in nomine Domini,
sed nondum acceperant spiritum sanctum.

Probatur tertio ex Ioan. c. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex
aqua & spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Hinc col-
ligitur, Baptismum aquæ esse causam nouæ nativitatis. Hoc
enim significat particula *Ex*, vt patet in omnibus simili-
bus locis.

Aduersarij dupliciter respondent. Aliqui dicunt, quod
renasci ex aqua sit idem quod renasci ex fide, quam excita-
uit aqua. Hi facilè refelluntur, Primo, quia verbum potius
excitat fidem quam aqua. Ergo, Christus potius debuisse
dicere: *Nisi quis renatus fuerit ex verbo & spiritu sancto,*
quam ex aqua & spiritu S. Secundo, quia, si Christus locu-
tus fuisset de fide, nemo eum intellexisset cum nullam fa-
ceret mentionem fidei. Tertio, quia falsa fuisset Christi
propositio. Si enim sola fides iustificat, cum illa variis mo-
dis excitari possit, cur non aliquis possit saluari per fidem
alio modo excitatam, quam per aquam? Cur ergo Christus
dicit, neminem posse saluari, nisi renatus sit ex aqua, id est,
nisi sit baptizatus?

Altera responsio Caluini 4. Inst. 16. §. 25. vbi dicit hunc
locum non intelligi de Baptismo, sed de sola interna reno-
vatione:

natione: ac proinde per aquam non intelligi veram aquam, qualis est in Baptismo, sed Spiritum S. vt hic sit sensus: nisi quis renatus fuerit ex aqua, id est, Spiritu S. qui instar aquæ mundat animas nostras: non potest, &c. Refellitur *primo*, quia hæc est noua & inaudita interpretatio. Omnes enim Patres interpretati sunt de Baptismo, *secundò*, quia hoc modo Baptismum aquæ possemus negare. Nam si hic vbi nominatur ipsa aqua qua baptizamus, de Baptismo non agitur, quomodo potest probari alibi agi de Baptismo, vbi aqua non nominatur? *Tertiò*, quia nisi hic agatur de Baptismo, non poterit Caluinus ex tota Scriptura probare infantes esse baptizandos. Id enim ex hoc solo loco probari solet. *Quarto*, quia non est alia causa cur Apostolus ad Titum cap. 3. v. 5. Baptismum vocat *Lauacrum regenerationis*, nisi quia Christus hic dixit, homines per Baptismum renasci & regenerari.

Obiicit Caluinus illud Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni*: vbi vult per ignem intelligi Spiritum S. quatenus habet similitudinem cum igne. Vnde infert eundem Spiritum S. debere intelligi per aquam, quatenus habet similitudinem cum aqua. Respondeo. Per ignem eo loco intelligi externum illum ignem, qui visibiliter descendit super Apostolos in die Pentecostes, vt patet Act. 1. v. 5.

Quartò, probatur conclusio ea Act. 2. v. 38. *Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu in remissionem peccatorum vestrorum*. Et Act. 22. v. 16. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius*, Hic Baptismo tribuitur remissio peccatorum.

Ad hoc argumentum Aduersarii, *primo* respondent, Aliqui dicunt id fieri quia Baptismus excitat fidem, per quam remittuntur peccata. Contrà, quia ex locis citatis patet, quod fides præcesserit Baptismum. Nam illi quos Petrus alloquitur *Act. 2. 16*. iam antea crediderant, vt ex textu patet. Audita enim Petri concione compuncti sunt corde, & dixerunt: *Quid faciemus viri fratres?* Similiter Paulus, quem Ananias alloquitur *Act. 22. 16*. non solum crediderat, sed etiam iam triduo iejunauerat.

Altera responso Caluini est 4. *Inst. 15. §. 18.* baptizari in remissio

remissionem peccatorum , seu abluere peccata nihil esse aliud, quām accipere sigillum acceptæ iustificationis & remissionis peccatorum. Contrā, *Primò*, quia est noua & inaudita expositio, *Secundò*, quia est absurdā. Nam si remissio peccatorum datur ante Baptismū & per Baptismum obſignatur, quomodo Scriptura dicit, ut baptizemur in remiſſione peccatorū, vel ut Baptismo abluamus peccata nostra?

Quintò, probatur rationibus. Prima est: si Sacra menta ſolum conferrent gratiam quatenus excitant fidem, ſequetur *primò*, quod nihil conferrent infantibus , quia in illis non potest excitari fides. *Secundò*, quod aliquid conferrent circumstantibus, in quibus per verbum concionale excitat ur fides. Vtrumque absurdum eſt. Nam ſic melioris eſſent conditionis qui non acciperent Sacramentum.

Secunda ratio, quia Sacra menta non minus ſunt efficacia, ſi dentur lingua Latina, vel Græca , quam non intelligunt illi qui Sacra menta fuſcipiunt, quām ſi dentur lingua vulgari, quam omnes intelligunt. Ergo non operantur mo re concionis excitando fidem , ſed habent effectum ſuum præter excitationem fidei. Antecedens patet, quia Lutherani & Caluinistæ admittunt noſtrum Baptismum , qui ſemper datur lingua Latina ſine alia concione.

5 Tertia Conclusio : Sacra menta nouæ Legis con ferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Hæc conclusio eſt eadem cum præcedenti, quo ad rem, & ſolum diſſert in modo loquendi : quem Aduersarij refellunt , & malè explicant.

Prima illorum expositio eſt, quod nos per opus opera tum intelligamus opus meritorium, ſeu dignitatem operis ex parte ministri recipientis. Ita Luth. de capt. Bab. c. de bapt. Calu. 4. Inſl. 14. §. 26. Et in antidoto Concil. Tridentini Seſſ. 7. Can. 8. Et Kennitius in 2. p. Exam. p. 95.

Sed apertè mentiuntur, *Primò*, quia omnes Catholici opponunt opus operatum operi operantis : & per opus operantis intelligunt opus bonum , ſeu meritorium ipsius operantis. *Secundò*, quia docent contra Donatistas Sacra mentorum efficaciam non pendere à bonitate Ministri, *Tertiò*, quia docent quædam Sacra menta con ferre primam gratiam

gratiam, & ex impio facere iustum. At in homine impio non potuit esse opus meritorium.

Secunda illorum expositio est, quod conferre gratiam ex opere operato nil aliud sit apud Catholicos, quam conferre gratiam peccatori sine fide & poenitentia: ita ut vis operis operati sit excogitata ad excludēdam fidem & poenitentiam in negocio iustificationis. Ita Luth. loco cit. cat. in antid. sess. 7. Can. 5. & 8. Kemni. 2. p. Exam. p. 125. Sed facile refelluntur. Primo, quia hæc expositio pugnat cum præcedente. Nam si opus operatum est opus meritorium suscipiens, quomodo potest excludere fidem, cùm sine fide nullum posse esse opus meritorium, iuxta illud Hebr. 11. vers. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Secundo, quia est merum mendacium. Nam ipsum Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. disertè docet initium iustificationis fieri à fide & poenitentia.

Tertia expositio est Catholicorum, qui docent posse nos duobus modis gratiam à Deo obtinere: Primo, ex opere operantis, vt quando obtainemus illam ex meritis bonorum operum: vel ratione propriæ dispositionis præcisè, quatenus est ab operante. Secundo, ex opere operato, vt quando ratione operis externi, seu Sacramenti applicati datur aliqua gratia vltra omne meritum operantis. Hoc sensu dixit Augustinus lib. 4. de bapt. cap. 25. Sacramentum per se ipsum multum valere. Cùm ergo afferimus in conclusione, Sacra menta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato; sensus est, conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis.

Dices: ergo excludimus fidem & poenitentiam. Resp. excludimus illas ab efficientia gratiæ, non tamen à dispositione subiecti. Nam huiusmodi actus sunt quædam dispositiones, quæ necessariò requiruntur ex parte subiecti in adultis: non tamen concurrunt effectiū ad producendam gratiam Sacramentalem, neque dant efficaciam Sacramento: sed solum tollunt obstacula quæ impedirent efficaciam Sacramenti in adultis.

⁶ Primò obiicies. Ex locis iis vbi Scriptura dicit hominem iustificari per fidem. Hinc referunt aduersarij hominem

nem non iustificari per Sacra menta, nisi quatenus excitante fidem. **R.** Primò, hoc refutatum est in materia de iustificatione. Secundò, potest retorqueri in aduersarios. Nam sàpè etiam Scriptura dicit hominem iustificari per Sacra menta, vt patet ex testimoniis citatis. Hinc tamen non licet colligere nos non iustificari per fidem. Tertiò, Vera sententia est, hæc omnia posse simul concurrere ad iustificationem, diuerso tamen modo. Nam fides, poenitentia, dilectio concurrunt tanquam dispositiones præuiæ: Sacra menta verò tanquam instrumentales causæ: imò præter hæc omnia concurrit Deus tanquam principale agens, & Christus tanquam causa meritoria.

7 Secunda Obiectio similis priori sumitur ex illo ad Rom. 1. v. 17. & Hebr. 10. v. 38. *Iustus ex fide viuit: Si iustus viuit ex fide, & non ex Sacra mentis: Ergo Sacra menta non iustificant, nisi excitando fidem.* Resp. *Iustus viuit non ex sola fide, sed etiam ex Sacra mentis: diuerso tamen modo, vt dixi.* Secundò, verba illa *Iustus ex fide viuit, non significant ad literam hominem fieri, aut reputari iustum ex fide, vt aduersarij volunt, sed hominem iustum ex fide quam habet, constanter expectare quæ Deus promisit; & non frangi aut deficere, etiamsi promissiones tardari videantur.* Hoc patet ex Abacuc cap. 2. v. 3. vbi sic legimus: *Si moram fecerit, expedita illum, quia veniens veniet & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Iustus autem in fide sua viuet. Eadem verba habentur, Hebr. 10. v. 37. & 38.

8 Tertia Obiectio sumitur ex c. 4 Rom. vbi Apostolus negat Abraham iustificatum esse ex circumcisione, afferens iustificatum esse ex fide, cuius signaculum fuerit circumcisio. Ergo eodem modo Sacra menta nouæ legis non iustificant, nisi excitando fidem. Ita Melanch. in Apol. a. 13. Resp. Circumcisio non fuit signaculum excitans fidem, sed testimonium fidei iam antea habitæ, idque in solo Abrahamo, non autem in aliis. Secundò, non est eadem ratio circumcisionis & nostrorum Sacra mentorum. Nostra verè iustificant; vt haec tenus probatum est; circumcisio non item, vt postea probabitur.

9 Quarta Obiectio sumitur ex 1. Petri 3. v. 21. *Vos salvos facis*

facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bona interrogatio in Deum per resurrectionem Christi. Hinc colligunt aduersari, Baptismum non saluare hominem per externam lotionem, sed ratione bonae conscientiae & interioris fidei. Resp. Sensus Apostoli est, quod Baptismus faciat nos saluos, non quatenus abluit sordes corporis; sed quatenus mundat animam a peccatis; seu quatenus facit nos habere bonam conscientiam, quando coram ipso Deo cor nostrum examinamus.

10 Quinta obiectio. Ex Eph. 5. v. 26. Mundans eam lauacio in verbo vitae: Vbi tota vis Baptismi tribuitur verbo. Verbum autem operatur excitando fidem iuxta illud Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Resp. per verbum vitae non intelligitur concio, quae fidem excitat, sed verbum consecratorum; ut v.g. Ego te baptizo, &c.

11 Sexta Obiectio. Ex D. Aug. tract. 80. in Ioan. vbi sic ait: unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Hinc colligunt aduersarij, Baptismum nihil prodesse sine fide, & totam efficaciam tribuendam esse fidei. Resp. Sensus Augustini est: Verbum Sacramentale non dare vim aquae, quatenus est res quaedam naturalis, id est, aer percussus: sed quatenus est res spiritualis, & sola fide cognoscibilis, videlicet quatenus continet inuocationem S. Trinitatis. Vnde illa particula, quia creditur, non debet intelligi de fide actuali, sed de obiectu, ut etiam notat B. Thom. q. 60. a. 7. ad 1.

12 Septima Obiectio sumitur ex illo dicto Augustini: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat. Ita citat Luth. de capt. Bab. c. de Bapt. & Melanch. in apol. a. 13. Resp. Augustinus nusquam habet illa verba: immo contrarium ex illo colligitur. Nam in Epist. 23. ad Bonif. dicit paruulos esse fideles & saluari si moriantur post Baptismum, quia etiamsi non habeant fidem, habent tamen fidei Sacramentum. Vnde secundum Augustinum paruulos non salvat fides, sed Sacramentum fidei.

13 Octava Obiectio. Ex Augustino lib. 99. vct. & nou. testamenti. quest. 59. vbi sic ait: non poterit consequi bonum caeleste, qui se per aquam & non per fidem commutari credit. Resp. liber

32 CAP. III. DE SACRAMENTIS
ber ille non est Augustini, sed alicuius hæretici, quia multa docet & contra fidem, & contra Augustinum, ut v. g. quod mulier non sit creata ad imaginem Dei, *quaest. 21*. Item quod Melchisedec fuerit Spiritus sanctus, *quaest. 109*. Item quod Adam non habuerit Spiritum sanctum, *quaest. 123*.

Resp. Secundo, testimonium allatum non esse contra nos, sed pro nobis. Nam autor illius libri non loquitur de causa efficiente Iustificationis, sed de formali: afferens hominem renouari non per exteram lotionem, quasi noster Baptismus nihil aliud sit quam mundatio carnis, ut olim baptismata Iudeorum: sed per fidem, quæ, quando perfecta, & viua est per charitatem, formaliter mundat & iustificat, ut *Aetor. 15. vers. 9.* dicitur: *fide purificans corda eorum.*

14 Nona Obiectio. In omni Sacramento requiritur verbum promissionis. Sed ubi est promissio ibi necessariò exigitur fides. Ergo fides immediate operatur & iustificat. Ita Luther. loc. cit. Resp. Primo, verbum promissionis requiritur quidem in institutione Sacramenti, non tamen in vsu; nos autem agimus de vsu. Secundo, Etiam si in vsu requereretur promissio & consequenter fides, tamen inde non posset concludi fidem effectiù iustificare, sed dispositiù tantum.

Q V A S T I O II.

An Sacraenta nouæ legis sint morales causæ gratiæ.

Notandum primo causam efficientem esse duplēcē: alteram physicā, seu physicē efficientem; alteram moralēm, seu moraliter efficientem. Causa physica est illa, quæ est immediatum principium exequens, & eliciens actionem per qua res aliqua producitur. Causa moralis, quæ mouet causam physicā ad operandū, non quidem eo modo quo finis mouet, sed per antecedentē suam existentiam: ita videlicet ut causa physica dicatur operari, vel efficere aliquid intuitu alterius, non ut sit, sed quia est. Qui modus causandi diuersus est à causalitate finis; & quando exercetur à re extrinseca effectui, quæ aliquo modo causam mouet ad operandū, dicitur esse causa efficiens moralis.

2 Notandum secundo, sicut causa physica dividitur in principalem & instrumentalem, sic etiam moralem dividit posse. Ad principalem pertinent partim ministri eorum qui consulunt, precantur & præcipiunt, partim publica instrumenta & scripta, quibus coguntur homines ad seruandam fidem; partim pretia quibus aliqui redimuntur ex seruitute: partim iis similia. His positis quæstio est: An Sacra menta nouæ legis sint causæ morales instrumentariæ in productione gratiæ?

3 Videtur, quod non, *Primo*, quia tales causæ non possunt esse respectu eorum effectuum qui à Deo principaliter fiunt. Sed gratia fit principaliter à Deo. Ergo respectu gratiæ non possunt dari causæ morales instrumentariæ. Ergo Sacra menta non sunt tales causæ. Maior patet, quia causæ morales mouent causam physicam ad operandum, impri mendo illi speciem, qua mediante moueri possit. At nulla res creata potest imprimere Deo speciem qua ad operandum moueat. Ergo nulla res creata potest esse moralis causa alicuius actionis, quæ à Deo procedit.

Secundo, quia causa moralis mouet physicam ad operandum, ac proinde est causa volitionis, qua causa Physica determinat se ad operandum. Hoc patet in causis consulenti bus, precantibus & præcipientibus, quæ ideo dicuntur causæ morales, quia sunt causa volitionis illius, qua voluntas physica determinat se ad operandum. Ideò enim determinat se, quia hoc illi consulitur, præcipitur, aut ab ea petitur. Nulla autem causa creata potest esse causa volitionis diuinæ, cùm volitio diuina sit idem cum essentia diuina quæ nullam causam habet. Ergo non potest esse causa moralis alicuius effectus qui à Deo efficitur.

Tertio, quia in Sacramentis videtur esse peculiaris ratio, propter quam non possint esse causæ morales. Nihil enim in illis est, quod habeat vim causandi moraliter. Vel enim mouerent Deum ad operandum per aliquam honestatem moralem in ipsis existentem: vel per modum meriti: vel per modum impetrationis. At nihil horum dici potest. Ac *Primo*, quod non moueant Deum per aliquam honestatem, inde patet, quia effectus Sacramenti potest dari à Deo sine honesta.

honestate actionis conferentis aut recipientis Sacramen-
tum; ut patet, quando parvulus iustificatur per Baptismum,
in cuius administratione peccat ille qui baptizat. Deinde
nulla potest assignari ratio meriti, vel orationis in Sacra-
mento, quatenus præcisè Sacramentum est.

4. Prima Conclusio: Certum est posse dari causas morales
eorum effectuum, qui à solo Deo producuntur. *Primo*, quia
ex fide certum est Christum esse causam meritoriam no-
stræ iustificationis, ut definitum est in Concilio Tridentino
Sess. 6. cap. 7. Et bona opera iustorum esse meritoria vitæ
æternæ. At causalitas meriti planè pertinet ad causam mo-
ralem efficientem. Ergo possunt dari causæ morales iusti-
ficationis, vitæ æternæ, & aliorum effectuum, qui à solo Deo
producuntur. *Secundo*, quia certum est orationes iustorum
obtinere multa bona à Deo, quæ ipsis propter ipsorum
orationes conferuntur. Causa autem, quæ precando ali-
quid obtinet à causa physica efficiente, dicitur esse causa
moralis illius rei quam obtinet. Ergo res creatæ possunt
esse causæ morales rerum supernaturalium, quæ à solo
Deo produci solent.

Vnde in Scriptura per particulam *propter*, sëpissimè si-
gnificatur dependentia rerum quæ sunt à Deo intuitu ali-
cuius causæ moralis; ut ad Philip. 2. v. 8. *Humiliavit semet-
ipsum, &c.* *Propter* quid Deus exaltauit illum. Sap. 11. v. 24. *Dis-
similans peccata hominum propter pañitentiam.* In his & simi-
libus locis particula *propter* significat Deum operari de-
pendenter ab illa causa, cuius intuitu operari libere de-
creuit.

5. Secunda Conclusio. Quamuis res creatæ possint esse
causæ morales alicuius effectus, vel actionis Dei ad extra;
non tamen possunt esse causæ actus diuinæ voluntatis ea-
ratione, qua est immanens & formaliter intrinsecus Deo;
Colligitur ex D. Th. I. p. q. 23. a. 5. vbi disputat, an possit esse
aliqua causa meritoria prædestinationis & respondet, non
posse esse ex parte actus diuini, sed ex parte ipsius effectus.

Ratio est manifesta, quia actus diuinæ voluntatis, quate-
nus est immanens & intrinsecus Deo, nihil aliud est a parte
rei quam ipsa Dei substantia increata & infinita: quæ nul-

Iam habet causam, cuius vi existat: ac proinde neque moralem.

Confirmatur, quia causa moralis semper operatur per causam physicè efficientem, quam eatenus dicitur mouere ad operandum, quatenus est id, cuius intuitu causa efficiens physicè operatur. Ergo illæ solæ res possunt dependere à causa morali, quæ possunt dependere à causa physicè efficiente, sine cuius interuentu causa moralis operari non potest. At verò actus diuinæ voluntatis, aut determinationis ea ratione, qua est immanens, & intrinsecus Deo, non pendet ab illa causa physicè efficiente. Ergo neque penderre potest ab illa causa morali.

Dixi non posse dari causam moralem actus diuini ea ratione qua est immanens, & intrinsecus Deo: quia in actu liberæ determinationis diuinæ præter actum increatum & intrinsecum, significatur etiam respectus extrinsecus ad effectum in tempore futurum, cuius respectu perinde atque effectus ipsius diuinæ determinationis potest dari causa moralis. Is enim respectus pendet ab iis causis, à quibus pendet effectus liberè futurus à voluntate diuina: ut dixi in quæ^{7.19.}

6 Tertia Conclusio. Causa moralis aliter operatur, quando causat effectum dependentem à Deo, quam quando causat effectum dependentem à causa intelligentiæ creatæ. Quando enim causa moralis mouet causam creatam libera ad operandum, non tantum est causa externæ operationis, sed etiam interni actus, quod voluntas determinatur ad operandum, intuitu talis causæ. Quando verò mouet Deum ad operandum, tunc quidem ex causa externæ operationis, & effectus, non tamen interni actus, qui est intrinsecus Deo, & qui nullam causam habere potest: quia à causa creata libera non solum actus externus, sed etiam internus effectuè producitur intuitu alicuius causæ moralis. Ergo etiam internus actus habet causam moralem. Aliter verò res est in Deo.

7 Quarta Conclusio. Sacraenta nouæ legis sunt causæ morales productionis gratiæ. Ita passim Theologi, non solum illi, qui putant Sacraenta non habere aliam causalitatem

tatem quam moralem; sed etiam alij qui docent habere efficientiam physicam. Aliqui autem hoc probant ex decreto Concilij Viennens. in *Clementina prima, de summa Trinitate*, vbi dicitur per Baptismum applicari efficaciam meritorum Christi. Cum enim merita Christi sint causae gratiae solum morales; consequens esse videtur Baptismum, per quem applicantur illa merita, etiam esse causam moralis. Item ex *Concil. Trid. sess. 6. cap. 7.* vbi cum definitum esset Christum esse causam meritoriam nostrae iustificationis; mox additur, Baptismum esse causam instrumentalem eiusdem. Ergo sicut Christus est tamen causa moralis, sic etiam Baptismus.

Sed neutro ex his decretis aliquid efficaciter concluditur. Quod enim per Baptismum applicetur efficacia meritorum Christi, quæ sunt causæ morales iustificationis, non minus recte intelligitur, si baptismus dicatur esse causa physica instrumentalis, quam si dicatur esse causa moralis. Similiter, quod Baptismus sit causa instrumentaria, etiam potest intelligi de instrumentaria physica. Cum enim Concilium in eodem capite dixisset Deum esse causam efficientem iustificationis, videlicet physicam, Christum vero esse meritoriam, subiunxit Baptismum esse causam instrumentalem; quod intelligi potest, vel de instrumentalis physica, per quam operatur Deus; vel de morali, per quam Christus applicet sua merita. Itaque ex allegatis decretis non potest determinatè alterutrum concludi.

8 His ergo omissis probatur conclusio. Primo, quia Sacra menta possunt esse causæ iustificationis, quando non existunt. At tunc non possunt esse causæ physicæ. Ergo morales. Maior patet ex Augustino *lib. 1. de Bap. contra Donat.* cap. 12. & ex D. Thom. quæst. 69. a. 10. Quia si quis hodie filius accederet ad Baptismum, & cras deponeret fictionem; ille cras acciperet gratiam ex vi Baptismi hodie suscepit. Ergo Baptismus in tali casu caufaret gratiam quando non existaret; ac proinde caufaret illam non per efficientiam physicam, sed per moralem.

Secundo probatur, quia in instanti in quo efficitur iustificatio vi Sacramenti, nunquam ferè existit totum Sacramentum,

mentum, sed tantum aliqua eius particula: ut patet in iis Sacramentis, quæ successiva sunt, & dicuntur consistere in viii, in quibus ultima syllaba verborum censetur operari in virtute precedentium verborum, quæ tamen nullam virtutem physicam relinquent ad operandum, sed tantum moralē. Hæc ratio ostendit priora verba non operari physicè, sed tantum moraliter; an autem ultima syllaba, vel particula, dum existit operetur physicè, dicemus in proximè sequenti dubio.

Tertio, quia Sacraenta non tantum sunt causa gratiæ per entitatem sensibilem, sed etiam per significationem quam habent ex Dei institutione. Causant enim per rationem formalem Sacramenti, quæ potissimum consistit in significatione. Hæc autem significatio non est physica aliqua entitas. Ergo Sacraenta non possunt per eam physicè operari. Sed an physicè eadem Sacraenta operentur per rem sensibilem, infra dicemus.

Ad *primum* argumentum Resp. causas mortales impræmtere speciem hominibus, non tamen Deo, quia Deus, nec est capax nouæ speciei, nec indiget illa specie, quia intelligit omnia sine speciebus impressis.

Ad *secundum* patet ex dictis.

Ad *tertium* dico: moralis ratio causandi in Sacramentis non est aliqua honestas moralis, ut bene probatum est, sed significatio supernaturalis quam habent ex Dei institutione. Deus enim ex libera sua voluntate instituit, ut quando Sacramentum adhibetur homini debito modo, tunc infallibiliter significet præsentem gratiam in tali homine.

Vnde fit, ut quando debito modo applicatur alicui Sacramentum, Deus non possit non producere gratiam, quia alioqui significatio præsentis gratiæ, quam ipse semel instituit, efficeretur falsa; quod est impossibile. Nam impossibile est Deum mentiri, aut fallere. Hoc ergo sensu dicimus significationem illam, quam Deus instituit, esse rationem mouendi Deum ad producendam gratiam.

QVÆSTIO III.

*An Sacra menta non tantum sint causa morales,
sed etiam physicae.*

1 **T**res sunt opinio nes eorum , qui docent esse causas physicas. *Prima est*, Sacra menta esse causas physicas gratiae, non immediatè gratiam producendo , sed producendo aliquam præuiam dispositionem , ex qua per diuinam productionem sequatur gratia. Ita D.Thom. in 4. diff. 1. quæst. 1. art. 4. Paludanus, Capreolus, & Heruæus ibid. Alensis 4.p. q. 5. m. 3. a. 5. Hi docent tria Sacra menta, videlicet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem immediatè producere characterem: Reliqua verò producere quendam ornatum, quo posito sequatur gratia. Nullum autem Sacra mentum immediatè gratiam producere. Fundamentum illorum, præter alia, videtur fuisse, quod putarent gratiam effici per creationem : nulla autem res creata possit esse instrumentum immediatum creationis.

Secunda opinio est Sacra menta esse quædam instrumenta physica, per quæ homines iustificantur, & Deo grati fiunt, non tamen physicè concurrere ad productionem gratiae. Ita Sotus in 4.d.1. art. 3. Potest autem dupliciter hoc intelligi. *Primo*, quod Sacra menta iustificant, & faciant hominem Deo gratum sine vlla reali qualitate gratiae. *Secundo*, quod iustificant, & hominem faciant Deo gratum, non quidem producendo gratiam , sed eam, postquam à Deo per creationem producta est, vniendo animæ humanæ.

Tertia opinio: Sacra menta esse instrumenta physica, quæ immediatè producant gratiam, instrumentaliter concurrendo cum Deo tanquam principali causa eiusdem gratiae. Ita Caletanus h̄ic a. 1. Andr. Vega lib. 7. in Concil. Trident. c. 9. & 11. Suar. disp. 9. secl. 2. & alijs.

2 Prima Conclusio. Sacra menta non rectè dicuntur instrumenta physica gratiae eo sensu , quo id asserit prima opinio , quasi immediatè producant characterem , aut aliquem alium ornatum: quo posito sequatur gratia per creationem à solo Deo factam.

Probatur *Primo*, quia ex charactere, quem efficiunt tria Sacra menta, non sequitur necessariò gratia iustificans, ut patet in iis qui ponunt obicem. Producere autem præuiam dispositionem, ex qua non necessariò sequitur forma, non videtur satis, ut causa producens eam dispositionem dicatur causa formæ alicuius, quæ cum tali dispositione non necessariò coniungitur. Quod verò dicitur de ornatu animæ prævio ante gratiam, & producto per alia quatuor Sacra menta, videtur esse figmentum. Non enim explicari potest, quid sit ille ornatus, aut quomodo conferat ad infusionem gratiæ, vel augmenti illius.

Secundo, quia tam character quam hic ornatus, si quis est, debent esse qualitates supernaturales, & spirituales. Ergo non minor difficultas est in iis producendis per Sacra menta sensibilia, & materialia, quam in producenda gratia. Nihil ergo est, cur dicamus Sacra menta habere vim producendi has qualitates & non producendi gratiam.

Quod verò allegati DD. dicunt gratiam effici à Deo per creationem falsum est. Nam gratia est forma accidentalis. Ergo in sui productione & conseruatione dependet à subiecto non minus quam aliæ qualitates supernaturales & spirituales. Ergo educitur de potentia subiecti; ac proinde non creatur.

3. Secunda Conclusio. Sacra menta non dicuntur rectè instrumenta physica eo sensu, quo secunda opinio vult, quasi physicè iustificant hominem, & Deo gratum faciant, & tamen physicè non producant gratiam. Ratio, quia id duobus modis potest intelligi. *Primo*, ut physicè iustificant sine physica qualitate gratiam. *Secundo*, ut physicè non quidem producant gratiam, sed tamen vniant eam animæ hominis iustificandi, & sic dicantur eum iustificare.

Prior sensus refellitur: *Primo*, quia falsum est hominem de facto iustificari, & fieri Deo gratum sine gratia inhærente, per solam externam benevolentiam. Ergo falsum est Sacra menta de facto habere vim eo modo iustificandi. An autem possibile sit ita fieri, disputatur in materia de Iustificatione. Negativa pars est probabilior.

Secundo, quia impossibile est, aliquem physicè concutre-

40 CAP. III. DE SACRAMENTIS
re ad effectum formalem, & nullo modo physicè concur-
rere ad ipsam formam, vel producendam, vel vniendam.
Vnde, sicut impossibile est, vt aliquis physicè faciat parie-
tem album, & tamen physicè non producat albedinem, ne-
que eam parieti vniat: ita impossibile est, vt Sacra-
menta physicè faciant hominem gratum Deo, & tamen physicè
non producant gratiam, neque eam productam vniant ho-
mini.

Posterior sensus refellitur, quia supponit duas actiones
circa gratiam, Vnam, qua gratia producitur à solo Deo per
creationem; alteram, qua gratia iam producta, vnitur ani-
mæ tanquam subiecto.

Dices: Anima rationalis prius creatur à Deo, deinde
vnitur corpori. Ergo idem potest dici de gratia. Respon-
deo. Non est simile. Nam anima est forma substantialis per
se subsistens, & independens à corpore; ac proinde inde-
pendenter à corpore debet produci, & consequenter crea-
ri. Gratia verò est forma accidentalis, & inhærens, ac pro-
inde dependens à subiecto: & consequenter non potest
produciri, nisi per actionem dependentem à subiecto. Hinc
etiam fit, quod anima possit conseruari cessante vnione
cum corpore; quia producitur, & conseruatur per actio-
nem distinctam & independentem ab vnione. Quod si gra-
tia per vnam actionem crearetur, & per alteram vni-
retur animæ, tunc etiam posset naturaliter conseruari cessante
vnione cum anima, quod est falsum.

4 Tertia Conclusio: Probabile est, Sacra-
menta esse instrumenta physica, quæ immediatè concurrent ad produc-
tionem gratiæ, vt asserit tertia opinio. Probatur, primo,
quia Scriptura videtur illis tribuere causalitatem physi-
cam, Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*
*santo, & ad Tit. 3. v. 5. Saluo nos fecit per iauacrum regenera-
tionis.* In his testimoniis illæ particulæ ex & per signifi-
cant causalitatem, physicam non moralem. Secundo, proba-
tur ex Conciliis dicentibus, Sacra-
menta continere & con-
ferre gratiam. Item, Baptismum esse instrumentum iusti-
ficationis. Tertio, ex Patribus, qui valde fauent huic sen-
tentiaz, quos refert Suarez loco citato. Quarto, ex verbis
Sacramen-

Sacramentalibus, præsertim ex illis: Ego te absoluo à peccatis tuis. Si enim hæc verba vera sunt, necesse est, ut Sacerdos verè absoluat confidentem à peccatis. Ergo necesse est ut verè conferat gratiam, per quam tolluntur peccata. Sed non potest Sacerdos verè dici conferre gratiam, nisi suo verbo illam producat. *Quinto*, à simili, quia Christus sua humanitate faciebat miracula, & conferebat gratiam. Ergo, idem dicendum de Sacrementis. *Sexto*, quia possibile est, ut Sacraenta sint causæ physicæ. Ergo, reuera sunt causæ physicæ, cùm hoc spectet ad maiorem dignitatem, sanctitatem, & excellentiam ipsorum Sacramentorum: & præterea ad Diuinæ omnipotentiae ostensionem.

Quarta Conclusio. Probabilius est, Sacraenta non esse physica instrumenta gratiæ, sed tantum moralia. *Ita* Melch. Canus in *relect. de Sacr. Mart. Ledesina in 4.dist.1.q.3.art.1. Molina p.1.q.45.art.5.dist.2.ad 2. Valsq. in 1.2.dist.18.q. n.23.* Et ex antiquioribus Theologis Guilielmus Paris. *lib.1. de Sacr. c.1. Scot. in 4.dist.1.q.5.* & multi alij. Probatur *primo*, quia Baptismus, qui fictè recipitur, postea recedente fictione confert gratiam per solam efficientiam moralem, ut suprà ex Augustino & D. Thoma dictum est, & tamea in tali casu habet veram rationem Sacramenti. Ergo vera ratio Sacramenti saluari potest per solam efficientiam moralem. Ergo nulla est necessitas ponendi aliam efficientiam physicam.

Confirmatur, quia quando Baptismus confert gratiam recedente fictione per moralem efficientiam, vel hoc facit ex diuina Institutione, vel non. Si sic, ergo causalitas moralis est ex diuina Institutione. Si non, ergo talis Baptismus omnino nihil facit. Nam nihil potest, nisi ex diuina Institutione.

Probatur *secundo*, quia in Sacramentis possunt duo spectari, videlicet res & verba. Si ergo physicè producunt gratiam, vel id faciunt per sola verba, vel per solas res, vel per vtrumque simul. Non per sola verba, tum quia tam res, quam verba sunt à Christo instituta, & ex eius institutione habent suam significationem: tum etiam, quia si sola verba ad sanctificandum concurrent, non rectè diceret

Apostolus, nos saluos fieri per lauacrum regenerationis. Nec per solas res, tum quia verba possent omitti sine detimento gratiae: tum etiam, quia frustra diceret Apostolus: *Mundans eam lauacio aquae, in verbis vita.* Nec per utrumque simul, quia in Sacramento poenitentiae confessio semper precedit absolutionem; ac proinde nunquam sunt simul tempore. Ergo non possunt simul physicè operari.

Probatur tertio, quia plerique Sacraenta sunt successiva, & constant partibus sibi inuicem succendentibus. Si ergo physicè conferunt gratiam, vel id faciunt secundum se tota, vel secundum aliquam sui partem. Non primum, quia nunquam existunt secundum se tota: Causa autem physica debet existere, quando operatur. Non secundum, quia ea pars est, vel diuisibilis & successiva, vel indiuisibilis & permanens. Si primum iam non est tota simul, ac proinde non potest tota simul physicè operari. Si secundum, vel illa sola habet vim operandi, vel operatur in virtute aliarum partium successuarum. Non potest sola operari, quia illa sola non est Sacramentum. Nec in virtute partium aliarum, quia cum illæ partes non existant, non possunt conferre vim physicam ad operandum. Deinde difficile est explicare, quid sit illa pars indiuisibilis in Sacramento, & quomodo possit esse signum sensibile.

Probatur quarto, quia cum in Eucharistia sint duas species, vel sola species panis producit physicè gratiam, vel sola species vini, vel utraque. Si sola species panis, iam altera species nihil facit; quod sine fundamento dicitur. Si sola species vini, iam Laici nihil accipiunt, quando communicant sub specie panis. Si utraque species, iam Laici priuantur medio fructu, quando communicant sub una specie.

Confirmatur, quia dupliciter intelligi potest utramque speciem physicè operari. Primo, ut singulæ separatim operentur, sicut separatim sumuntur; & hoc sensu constat, Laicos priuandos altera parte effectus Sacramentalis. Secundo, ut ambæ simul operentur: & hoc non potest fieri physicè, quia non sumuntur simul physicè.

Argumenta contraria facile soluuntur. Ad primum, dico,
Testimo

Testimonia Scripturæ posse optimè intelligi de efficientia morali. Nam duæ particulæ illæ ex & per lèpè significant causalitatem moralem, vt Roman.3.v.30. *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisōem ex fide, & præputium per fidem.* Ib. cap. 5. *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Et infrà v. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.* v.12. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mort. v.19.* Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. In his & similibus locis non significatur causalitas physica, sed moralis. Similis est modus loquendi cùm dicimus: Per mortē tuam, libera nos Domine.

Ad secundum respondeo, Concilia tam posse intelligi de efficientia morali, quām de physica.

Ad tertium respondeo, Patrés non eodem modo loqui. Multa aperte fauent nostræ sententiæ, vt Cyprianus in serm. de Bapt. Christi. Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 15. Ambros. lib. 1. de Sacr. c. 5. August. lib. 15. de Trinit. c. 26. Sed alij, tametsi videantur fauere contrariæ sententiæ, possunt tamen commodè explicari.

Ad quartum respondeo, Sacerdotem esse tantum ministrum Dei in Sacramento pœnitentiae, cùm dicit: Ego te absoluo à peccatis tuis. Censetur autem minister; quatenus confitenti administrat Sacramentum absolutionis. Unde non est necesse, vt ipse physicè producat gratiam: sed satis est, vt physicè applicet Sacramentum, cuius intuitu Deus confert gratiam, & remittit peccata.

Idem fit in Baptismo, Confirmatione, & similibus Sacramentis. Hinc August. loc. cit. ait: Neque enim aliquis discipulorum eius deat spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant; non ipsi eum dabant. Et Cyprian. loco cit. inquit: Remissio peccatorum, siue per Baptismum, siue per alia Sacraenta donetur, propria spiritus sanctus est, & ipsi soli butus efficientia priuilegium manet. Verborum solemnitas, & sacri invocatio nominis, & signa Sacerdotum ministerijs attributa visibile celebrant Sacramentum: Rem vero ipsam spiritus sanctus format & efficit.

Ad quintum dico, aequè incertum esse de humanitate Christi, atque de Sacramentis, vt alias dixi.

Ad sextum respondeo, impossibile est, ut plerique Sacra-
menta physicè producant gratiam in anima, quia im-
possibile est, ut causa physica operetur ubi non est præsens.
Sæpè autem fit, ut Sacra-menta, quæ in yisu consistunt, non
sint localiter præsentia ubi operantur. Non ergo physicè
operantur. Quod autem obiicitur, physicam efficientiam
conferre ad maiorem dignitatem Sacra-mentorum, frui-
lum est.

QVÆSTIO. IV.

*An Sacra-menta causent gratiam per virtu-
tem intrinsecam?*

IHoc solum disputatur apud eos, qui dicunt, Sacra-
menta physicè causare gratiam; quorum opinio-
nes breuiter proponam & examinabo.

Prima opinio est, Sacra-menta esse physica instrumenta,
non per aliquam vim intrinsecam & inhærentem; sed per
potentiam Dei extrinsecus assistentem, & per imperium &
voluntatem Dei, cui omnes creaturæ subiiciuntur & sub-
ordinantur. Dei enim imperium licet formaliter sit immâ-
nens, tamen virtualiter esse transiens; ac proinde suffi-
cens, ut creatura per ipsum sit potens ad operandum; li-
cet in ipsa non sit virtus aliqua intrinseca, actiuæ: ita non
nulli recentiores. Fundamentum est duplex. Vnum, quia
nulla potest virtus assignari in ipsis Sacra-mentis, per quam
physicè operentur. Vel enim esset corporalis, & tunc non
sufficeret ad producendum effectum spiritualem: vel esset
spiritualis, & tunc non posset esse in subiecto corporali.
Alterum est, quia non est possibile, ut Sacra-menta operen-
tur physicè, nisi per assistentem Dei potentiam; quod tri-
pliciter ostendi potest. Primo, quia actio, qua Deus & Sa-
cramentum operantur, est unica & simplex. Ergo non re-
quirit duas virtutes actiuas, sed tantum unam, quæ per se
est in Deo tanquam in principali agente, & communica-
tur Sacra-mento per assistentiam. Si enim duæ causæ pos-
sunt physicè operari per unicam actionem; cur non etiam
per unicam virtutem actiuam?

Secundo,

Secundo, quia hoc sensu dici solet, instrumenta non operari virtute propria, sed principalis agentis.

Tertio, quia multa sunt exempla in quibus patet, causam inferiorem operari per assistentiam cause superioris. Nam color non potest producere species visibles in oculo, nisi per assistentiam luminis, & tamen per illam assistentiam non acquirit in se nouam. Ergo sola assistentia sufficit ut color physicè operetur.

Eodem modo phantasma per assistentiam intellectus agentis fit potens ad producendam speciem intelligibilem. Item, motus cœli, quatenus est ab intelligentia, producere potest viuentia, quæ alioqui non produceret. Similiter calor, quando est instrumentum ignis, producit ignem; & quando est instrumentum animæ, producit carnem, & tamen in sua entitate non mutatur. Denique intellectus humanus sine lumine gloriæ potest producere visionem beatificam per solam subordinationem ad diuinum auxilium. Ergo eodem modo Sacraenta possunt producere gratiam per potentiam Dei, quæ illis per assistentiam communicatur.

Secunda opinio est, Sacraenta physicè concurrere ad productionem gratiæ per virtutem aliquam illis inhærentem. Quid autem sit illa virtus, controuersia est. Aliqui dicunt esse virtutem actiua obedientiam, quæ non est qualitas illis superaddita, sed ipsa eorum entitas, quatenus obedit & subordinatur Deo. Alij putant esse virtutem superadditam & distinctam ab eorum entitate; non tamen nouam qualitatem, sed tantum motum quempiam a Deo illis impressum, quo mediante concurrent physicè ad productionem gratiæ. Alij admittunt physicam, & realem qualitatem superadditam.

2 Prima Conclusio: Non videtur posse fieri, ut Sacraenta physicè operentur per solam potentiam Dei extrinsecus assistentem. Ratio, quia actio non procedit physicè, nisi à virtute actiua physica. Si ergo nulla est virtus actiua in ipsis Sacraementis, non potest actio physicè ab illis procedere.

Nec argumenta contraria conuincunt. Primo, quia licet

duæ

duæ cause possint agere per vnam actionem transiuntcm, quæ immediate pendeat à singulis, quando singulæ per suam virtutem actiuam in illam influunt; non tamen possunt agere per vnam virtutem, quæ sit in vna & non in alia. Nam in tali casu singulæ non haberent vim agendi, sed altera tantum.

Secundo, quia instrumenta non dicuntur eo sensu agere per virtutem principalis agentis, quasi per illam solum agant, & ipsa per se nihil conferant; sed quia per se non sunt sufficientia ad producendum effectum, nisi adiuvantur per virtutem cause principalis.

Tertio, quia in allatis exemplis multa ponuntur falsa. *Primo*, falsum est, colorem non habere ex se vim actiuam, licet aliquo modo innari debeat à lumine; an verò actiue innetur, an dispositiue, non est huius loci. *Secondo*, falsum est, phantasma per solam assistentiam intellectus agentis operari. Vel enim solum obiectiue concurrebit ad productionem speciei intelligibilis: Vel, si actiue concurrebit, id facit per virtutem inherenterem. *Tertio*, falsum est, motum cœli effectiue producere viuentia. Hoc enim tribuendum est lumini, vel calori, vel alicui alteri qualitati actiue. *Quarto*, calor producit quidem ignem, aut carnem per modum instrumenti, non tamen per solam assistentiam cause superioris; habet enim in se virtutem actiuam instrumentalem. Idem dicendum est de intellectu, qui per se actiue concurrebit ad eliciendam visionem beatificam, licet innari debeat ab alio agente superiore.

3 Secunda Conclusio: Nec igitur fieri posse, ut Sacra menta physicè operentur per solum motum impressum à Deo, sine illa qualitate actiua. Probatur *primo*, quia motus per se non habet vim agendi, sed eam supponit. *Secondo*, quia omnis motus vel est ad substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel locum. At Sacra menta, quando à Deo eleuantur ad productionem gratiæ, nullo horum modorum mutantur: vel si mutantur, iam non solus motus, sed aliquid aliud in illis efficitur.

4 Tertia Conclusio: Fieri quidem potest, ut aliqua creatura, physicè operetur per potentiam obedientialem; non tamen

tamen verisimile est, Sacra menta hoc modo operari. Probatur primo, iis argumentis, quibus in precedente dubio vñ sumus. Secundo, quia creatura non potest hoc modo physicè operari, nisi sit præsens ubi operatur. At Sacra menta sæpè non sunt præsentia animæ in qua dicuntur gratiam producere. Ergo tunc non possunt physicè operari.

Dices, Deus est præsens, qui vtitur Sacra mentis. Respondeo: Hoc non sufficit. Nam licet ego sim hic præsens, tamen non possum ut calamo qui Romæ est.

5 Quarta Conclusio: Fieri etiam potest, ut aliqua creatura operetur per aliquam qualitatem actiuam superadditam; non tamen verisimile est, Sacra menta hoc modo operari: primo, propter argumenta facta. Secundo, quia illa qualitas vel esset spiritualis, vel corporea. Neutrum dici potest, ut patebit in sequenti dubio.

Q V A E S T I O V .

An virtus, per quam Sacra menta operantur, sit spiritualis, an corporea?

- 1 **Q**uestio locum habet apud eos, qui in Sacra mentis admittunt virtutem actiuam superadditam, Capreoli & Ferrarensis volunt esse spiritualem, Paludanus & nonnulli recentiores corpoream.
- 2 Prima Conclusio: Non videntur Sacra menta physicè operari per qualitatem spiritualem superadditam. Nam illa qualitas, vel esset extensa in subiecto sensibili, quod est contra naturam illius: vel esset tota in toto, & tota in quilibet parte; quod fieri non potest, quando subiectum est ens successuum; ut sunt pleraque Sacra menta.
- 3 Secunda Conclusio: Nec videntur physicè operari per qualitatem superadditam corpoream. Nam illa qualitas vel esset successiva, vel permanens. Si successiva, iam non tota simul existeret; ac proinde nec tota physicè operaretur. Si permanens, non posset recipi in subiecto successivo, cuiusmodi sunt Sacra menta.

Q V A E

Q V A E S T I O VI.

An Sacra menta possint operari physicè quando non existunt.

¶ **A**liqui ex iis, qui physicam efficientiam defendunt, affirmant. Ratio est, quia Sacra menta semper operantur ex institutione diuina, ut omnes fatentur. Ergo semper operantur per illam efficientiam, quam habent ex diuina institutione. Si ergo habent physicam efficientiam ex diuina institutione, ut haec opinio supponit, semper debent operari per physicam efficientiam. Atqui sæpè operantur quando non existunt, ut patet in Baptismo recedente fictione. Ergo tunc physicè operantur.

¶ **V**nica Conclusio: Sacra menta non possunt physicè operari, quando physicè non existunt; quia, quod operatur physicè, hoc operatur per actionem physicam & realem. Sed realis actio in fieri dependet à reali virtute actiua, & realem influxum ab ea recipit. Ergo dependet a causa realiter existente.

Q V A E S T I O VII.

An Sacra menta conferant gratiam habitualem & iustificantem?

¶ **D**ictum est haec tenus, Sacra menta conferre gratiam non physicè, sed moraliter: nunc queritur, qualē gratiam conferant; & primo, an iustificantem & habitualem?

¶ **P**rima Conclusio: Omnia Sacra menta nouæ legis semper conferunt gratiam habitualem, seu iustificantem non ponentibus obicem, ac proinde gratia habitualis est communis quidam effectus omnium Sacrametorum. Est communis sententia, & patet inductione. Nam Baptismus & poenitentia non possunt tollere peccatum originale, vel mortale, nisi gratiam habitualem conferrent. Idem est de aliis Sacra mentis, quæ omnia instituta sunt propter veram hominis iustificationem. Nam licet singula ad proprios effectus

effectus sint ordinata, ut dicemus, omnium tamen principalis & communis effectus est gratia iustificans, sine qua ipse homo saluus esse non potest.

3 Secunda Conclusio : Licet omnia Sacraenta conferant gratiam habitualem tamen aliqua per se sunt instituta ad conferendam primam gratiam iustificantem, ut Baptismus & Poenitentia; reliqua ad conferendum augmentum gratiae iustificantis. Ratio est, quia Baptismus & Poenitentia sunt ordinata ad tollendum peccatum originale & mortale. Ergo ad conferendam primam gratiam : cetera supponunt primam, & ad alios fines ordinata sunt.

4 Tertia Conclusio : Illa Sacraenta, quae per se ordinata sunt ad conferendam primam gratiam iustificantem, ut Baptismus & Poenitentia, possunt aliquando conferre augmentum gratiae, non conferendo primam gratiam; quando scilicet suscipientem inueniunt in gratia constitutum. Ratio est, quia Sacraenta semper conferunt gratiam iustificantem non ponentibus obicem. Sed qui est constitutus in gratia, non ponit obicem. Ergo Baptismus & Poenitentia conferunt illi gratiam. At non conferunt illi primam quam habet. Ergo augmentum illius.

Dices : Baptismus & Poenitentia videntur semper conferre augmentum gratiae, & nunquam primam gratiam, saltem in adultis. Ratio, quia adulti non sunt capaces primae gratiae, nisi sint contriti, & Deum super omnia diligant. Si autem contriti sunt, iam vi contritionis accipiunt primam gratiam; & postea vi Sacramenti augmentum gratiae. Confirmatur, quia quando accedunt ad Sacramentum, vel sunt contriti, vel non sunt. Si non, iam nullam gratiam accipiunt. Si sic, iam iustificati accedunt. Sic Gabriel, Maior, Petrus Soto, & quidam alii, qui negant Baptismum, aut Poenitentię habere vim faciendi ex attrito contritum.

Si obiicias hoc videri contrarium institutioni illorum Sacramentorum, quia, ut diximus, per se instituta sunt ad conferendam primam gratiam: Respondent non esse contrarium, quia, ut haec duo Sacraenta dicantur instituta esse ad dandam primam gratiam, satis est, si prima gratia non detur, nisi in ordine ad haec duo Sacraenta. Non

30 C A P . III . D E S A C R A M E N T I S
autem datur, nisi vi contritionis, in qua includitur votum
Baptismi aut Pœnitentia.

Nihilominus dicendum ex communi Doctorum sententia, hæc Sacra menta quandoque conferre primam gratiam ex opere operato. Nam ad hoc per se instituta sunt. Hæc autem institutio non debet esse superuacanea. Nec satis est dicere, primam gratiam dari per contritionem quatenus continet Sacramentum in voto; tum quia contritio non est semper necessaria, sed sufficit attritio, ut dicam suo loco: tum etiam, quia contritio, quæ antecedit realem susceptionem Sacramenti, etiamsi dicatur Sacramentum in voto includere, tamen non confert gratiam ex opere operato: sed solùm iuxta mensuram dispositionis operantis, ut postea patebit. Ergo, si semper præcederet prima gratia, nunquam daretur prima gratia ex opere operato per Sacramentum; quod est contra institutionem Sacramenti.

5 Quarta Conclusio: Illa Sacra menta, quæ per se ordinata sunt ad conferendum augmentum gratiæ, nunquam possunt conferre primam gratiam; si verum est, quod non possint ex attrito facere contritum. Si autem hoc falso est, poterunt ex opere operato conferre primam gratiam. An autem eiusmodi Sacra menta possint ex attrito contritum facere, suo loco disputabimus. Est enim maior difficultas de illis, quam de Baptismo & Pœnitentia.

Q V A E S T I O V I I I .

*An Sacra menta præter gratiam iustificantem
conferant aliam.*

3 **D**ixi gratiam iustificantem esse communem effectum omnium Sacra mentorum: nunc quæritur an singula Sacra menta conferant aliquam peculiarem gratiam distinctam à iustificante, quæ propriè vocetur gratia Sacra mentalis.

2 Prima Conclusio est: Singula Sacra menta præter gratiam iustificantem habent peculiares gratias Sacra mentales, quas conferunt. Ita Scholastici in 4.d.i. Probatur primo, quia

quia Sacra menta ordinantur ad distinctos fines. Ergo debent habere distinctos effectus. Secundo, quia, si omnia haberent eundem effectum, non differrent formaliter in ratione Sacramenti, id est, in significatione & causalitate gratiae; sed tantum materialiter in ritu, seu externa ceremonia. Vnde sequeretur primo, quædam non esse magis necessaria ad salutem, quam alia. Secundo, nec posse dari causam, cur tam multa sint à Christo instituta.

3 Secunda Conclusio: Gratia Sacramentalis non addit aliquem habitum supra gratiam iustificantem. Est communis sententia contra Paludanum. Probatur, quia talis habitus vel esset in essentia animæ, vel in potentiis. Non Primum, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia iustificans; & nequit fingi alias finis & effectus, propter quem huiusmodi habitus ponatur in anima. Nec Secundum, quia in potentiis solùm ponuntur habitus, qui sunt principia actuum supernaturalium. Sed omnes actus supernaturales possunt elici à virtutibus Theologicis & moralibus. Ergo non est opus ponere alios habitus distinctos ab illis virtutibus, qui per Sacra menta conferantur.

4 Tertia Conclusio: Gratia Sacramentalis supra gratiam iustificantem addit speciale aliquod auxilium gratiae actualis ordinatum ad proprium finem Sacramenti. Unde ipsam gratia iustificans, quatenus datur per tale Sacramentum, & quatenus debetur illi tale auxilium gratiae actualis ad talem finem, potest dici gratia Sacramentalis. v.g. Baptismus ordinatur ad hunc finem, ut homo spiritualiter renascatur, & dignè suscipiat alia Sacra menta, debet ergo conferre gratiam non solùm iustificantem, per quam fiat regeneratione; sed etiam excitantem & adiuuantem ad dignè suscipienda reliqua Sacra menta quando opus est.

Similiter poenitentia ordinatur, tum ad remittendum peccata mortalia post Baptismum commissa; tum ad ea detestanda & cauenda in posterum. Debet ergo ad hunc finem conferre peculiarem gratiam. Idem dicendum est de aliis Sacra mentis, quæ etiam ordinantur ad suos fines peculiares: ut confirmatio ad constantem fidei professio-

52 CAP. III. DE SACRAMENTIS
nem : Eucharistia ad nutriendam & exercendam charita-
tem : Extrema vncio ad tollendas reliquias peccatorum,
& vincendas tentationes quæ in articulo mortis occur-
runt : Ordo ad cultum Dei religiosè propagandum : Ma-
trimonium ad onera coniugij facilitiis toleranda.

7 Hinc sequitur *primo*, non semper dari totam gratiam
Sacramentalem eo tempore quo Sacrementum suscipitur.
Quamuis enim tunc detur gratia habitualis non ponenti-
bus obicem : tamen auxilia gratiæ actualis postea dantur,
quando est occasio exercendi ea.

6 *Secundo*, hæc auxilia non conferri physicè per Sacra-
menta, sed tantum moraliter, quia conferuntur quando Sa-
cramenta physicè non existunt. *Tertio*, probabiliorem esse
sententiam eorum, qui Sacrementis tribuunt moralem tan-
tum efficientiam. Nam si moraliter conferunt gratiam
actualē, quæ singulis propria est, cur non etiam habitua-
lem, quæ omnibus communis est?

Q Y A E S T I O I X.

An Sacraenta conferant semper æqualem gratiam?

1 **H**oc potest dupliciter intelligi. *Primo*, an distincta
Sacraenta, ut Baptismus & Eucharistia conferant
æqualem gratiam. *Secundo*, an idem Sacrementum con-
ferat omnibus æqualem gratiam, quomodo cumque sint
dispositi. De priore sensu infra suo loco. Quæstio hic est
de posteriori.

2 *Prima opinio* est, idem Sacrementum posse habere
inæqualem effectum gratiæ, etiam si ex parte suscipientium
sit æqualis dispositio. Ita Palud. in 4.d.4.q.1. Et Caiet. infra
q.64.a.1. Fundamétum Paludani est, quod parvuli, qui cum
solo Baptismo moriuntur, prædestinati sunt ad inæqualem
gloriam. Ergo vi Baptismi accipiunt inæqualem gratiam.

Antecedens probat, quia tam parvuli, quam adulti sup-
plent ruinam Angelorum. Ergo sicut omnes Angeli fu-
scent inæquales in gloria : ita homines, qui in illorum lo-
cum succedunt, erunt etiam inæquales in gloria. Funda-
mentum Caetani est, quia in Baptismo parvolorū multū
valent

valent merita parentum & ministrorum. Ergo sicut inæqualia sunt eorum merita , ita etiam est inæqualis effectus Baptismi in paruulis.

Secunda opinio est, idem Sacramentum semper habere æqualem effectum gratiæ quomodocumque homo sit dispositus, dummodo non ponat obicem. v.g. Baptismum ex opere operato æqualem gratiam conferre homini attrito & contrito , & etiam æqualem magis vel minus contrito. Ratio , quia Sacramentum ex sua parte operatur quantum potest , quando homo non ponit obicem. Ergo in omnibus non ponentibus obicem operatur æqualiter , quia in omnibus operatur quantum potest.

3 Prima Conclusio : Sacramentum semper habet æqualem effectum gratiæ in iis qui æqualiter sunt dispositi. Ita D. Thom. q.69. a.8. Ratio est, quia vnumquodque Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege & promissione Dei. Ergo ex parte Dei hic effectus semper est æqualis. Ergo si etiam ex parte suscipientium sit æqualitas, effectus simpliciter , & absolutè erit æqualis.

4 Secunda Conclusio. Effectus Sacramenti secundum legem ordinariam non est maior in uno , quam in alio ex sola Dei prædestinatione , vel ex solo merito parentum, aut ministrorum , modo suscipientes sint æqualiter dispositi. *Primi* pars probatur , quia opposita sententia nittitur falsis fundamentis. Supponit enim *primo* prædestinationem ad gloriam , priorem esse prædestinatione ad gratiam. *Secundo* homines succedere in locum Angelorum qui ceciderunt, secundum æqualem gloriam. Neutrum admittimus.

Deinde, etiam si verum esset ex prædestinatione, seu electione fieri , ut unus maiorem gratiæ suscipiat quam aliuss hoc tamen non fieret , nisi per media consentanea , & ad hunc effectum accommodata. Hoc enim spectat ad suauem Dei prouidentiam & gubernationem. Vnde si duo essent prædestinati ad inæqualem gloriam , inde non sequeretur eos recepturos inæqualem gratiam per Baptismum , sed alterum eorum victurum post Baptismum , & alia via acquisitum maiorem gratiam ante mortem.

Confirmatur, quia si sola prædestinatio ad maiorem vel minorem gloriam esset sufficiens causa, cur daretur maior vel minor gratia per idem Sacramentum, cæteris paribus, foret etiam sufficiens causa cur daretur maior vel minor gratia propter æqualem actum meritorium, cæteris paribus, cum sit eadem ratio. Hoc autem falsum est. Ergo & illud.

Secunda pars de merito parentum & ministrorum sumitur ex Aug. lib. 4. de Bapt. contra Donat. c. 20. Ambros. lib. de Myst. c. 5 Cypriano lib. de Bapt. Christi. Chrysost. hom. de reditu suo ex Asia: & Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisma; vbi comparat ministrum bonum vel malum sigillo ferreo, vel aureo, quod eundem confert effectum. Ratio, quia effectus Sacramenti non datur merito ministri, sed solius Christi, iuxta illud 1. Corinth. 1. v. 13. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?*

Dices: licet proprius effectus Sacramenti non augeatur per meritum, aut orationem ministri: tamen potest aliquis gradus gratiae adiungi effectui Sacramenti propter orationem ministri: ut docet D. Thom. q. 64. art. 1. & 2. his verbis: *Effectus Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum: aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per deuotionem ministri.* Et q. 82. art. 6. dicit Missam melioris Sacerdotis magis esse fructuosam ex deuotione Sacerdotis orantis.

Resp. Minister potest impetrare, vel de congruo mereri aliquid ultra effectum Sacramenti, videlicet auxilium gratiae actualis, & pium voluntatis affectum: non tamen potest immediate mereri gratiam sanctificantem, aut aliquem eius gradum sine proprio actu, vel merito suscipiens. Hoc enim solius Christi est, ut suppono cum D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 6. Nam alias posset minister mereri alicui remissionem peccati sine contritione peccatoris: quod est falsum.

5 Tertia Conclusio. Idem Sacramentum confert maiorem gratiam homini melius disposito. Ita D. Thom. q. 69. art. 8. & colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. vbi dicit unumquemque recipere iustitiam secundum propriam

cooperaz.

cooperationem & dispositionem. Loquitur autem de iustificatione, quæ fit per Baptismum. Ratio, quia Christus ita voluit & instituit. Hoc quidem euidenter conuinci non potest, sed tamen probabilitate potest colligi. *Primo*, quia pertinet ad suauem Dei gubernationem, ut homini melius disposito detur plus gratiæ. *Secundo*, quia simile quid fit in causis & dispositionibus naturalibus. *Tertio*, quia hoc modo excitantur homines ad maiorem præparationem & deuotionem.

6 Queres: an ille excessus gratiæ, qui datur homini melius disposito, detur ex opere operato, an ex opere operantis? Resp. valde verisimile est dari ex opere operato. Sicut enim Deus non vult adultis conferre gratiam sacramentalem, nisi ad illam se disponant: ita verisimile est velle dare maiorem vel minorem gratiam sacramentalem, prout magis vel minus se disponunt, ut dixi ex *Conc. Trident.*

Dices: dispositio tenet se ex parte operantis. Ergo si datur maior gratia ob maiorem dispositionem, excessus ille non datur ex opere operato, sed operantis. Resp. dispositio tenet se ex parte subiecti recipientis gratiam. Sicut ergo agentia naturalia solent producere effectum in subiecto, iuxta capacitatem & dispositionem subiecti. Sic etiam fit in hoc nostro casu.

Confirmatur *Primo*, quia si dispositio teneret se ex parte operantis, iam daretur aliquis gradus gratiæ vi solius dispositionis, & aliis gradus vi solius Sacramenti: & ita Sacramentum haberet suum effectum in adultis independenter à dispositione: quod est falsum. Nam adultus, qui non est dispositus, non accipit ullam gratiam vi Sacramenti. Ergo gratia Sacramentalis dependet à dispositione. Ergo dispositio tenet se ex parte subiecti recipientis, non ex parte agentis.

Confirmatur *Primo*, quia si duo inæqualiter attriti accederent ad Sacramentum, acciperent etiam inæqualem gratiam, iuxta Concil. Trid. loc. cit. At is, qui maiorem gratiam acciperet, non acciperet excessum illum ex opere operantis, cum attritio non sit sufficiens ad merendam gratiam. Ergo acciperet ex opere operato.

Dices : Sacramentum confert gratiam quam significat. Sed significat æqualem gratiam in omnibus. Ergo confert omnibus æqualem gratiam. Resp. Significat eam gratiam, quam de facto confert , confert autem inæqualem ob inæqualem dispositionem.

Q V A E S T I O X .

An etiam Sacra menta veteris legis contulerint gratiam?

1 **L** Oquor de Sacramentis Mosai cis , vt excludam circumcisionem, de qua postea. Sunt autem duæ extre mæ opiniones Catholicorum , & vna Hæreticorum nostri temporis.

2 *Prima* opinio est , Sacra menta Mosai ca nullo modo contulisse gratiam, neque ex opere operato, neque ex opere operantis , etiam si in fide & charitate susciperentur , quia data erant vt essent oneri, non vt iustificarent. Ita Mag. in 4.d.1. Probatur, quia in Scripturis vocantur infirma, egena & inutilia, ad Gal.4. v.9. *Quomodo convenerint iterum ad infirma elementa?* Heb.7. v.18. Reprobatio fit precedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Sed contraria est , quod susceptio Sacramenti in fide erat bonum opus , atque ita meritorium.

Secunda opinio est , Sacra menta Mosai ca vtroque modo contulisse gratiam ex opere operato, & operantis. Ita Bonau. in 4.d.1.a.1.q.5. Probatur primo quia Scriptura promittit remissionem peccatorum iis qui vtebantur veteril us Sacra mentis, vt Leu.6. v.2. *Anima quæ peccauerit, pro peccato suo offeret artem immaculatum de grege,* & dabit eum Sacerdoti, qui rogabit pro eo coram Domino , & dimittetur illi.

Confirmatur : quia ex simili modo loquendi colligimus extremam vñctionem conferre gratiam & remissionem peccatorum, videlicet ex illo Iacobi 5. v.14. *Infirmitur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ,* & oyent super eum , vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum , & si in peccatis sit , remittentur ei. Sic & in aliis.

Probatur secundo, ex Patribus. Nam Augustinus lib.19. contra Faustum, c.13, cōparans nostra Sacra menta cum veterib⁹

ribus, dicit nostra esse virtute maiora. Ergo sentit in veteribus fuisse aliquam virtutem, licet minorem. Et D. Hieronymus in cap. 4. ad Galat. ait, vetera Sacra menta vocari egena & infirma postquam abrogata sunt per mortem Christi. Ergo sentit antea non fuisse egena & infirma, sed habuisse virtutem conferendi aliquam gratiam, scilicet legalem.

Tertia opinio vult eandem fuisse vim veteris & nouæ legis. Ita Lutherus & Caluinus, qui docent commune esse utrisque Sacramentis excitare fidem iustificantem. Vnde reprehendunt Catholicos, quod dicant differre nostra Sacra menta à veteribus quoad vim & efficaciam iustificandi, vt videre est apud Luther. in lib. de capt. Bab. cap. de Bapt. & Caluin. 4. Inst. 14. v. 23.

Hæc opinio probatur ex illo 1. Cor. 10. v. 3. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Hinc colligunt Calu. loco citato & Kemn. 2. p. Examinis, Sacra menta vetera & noua habere eandem efficaciam; probantque primo, quia si Iudei manducauerunt eandem escam in Manna, quam nos manducamus in Eucharistia; Ergo Manna & Eucharistia sunt eiusdem virtutis. Secundo, si esca illa erat spiritualis. Ergo habebat effectum spiritualem, & non tantum corporalem & legalem. Tertio, quia Apostolus eo loco vult probare non fatis homini Christiano suscipere Baptismum & Eucharistiam, nisi etiam perseveret in bonis operibus & abstineat à peccatis. Hoc autem probat exemplo Iudeorum quibus parum profuerunt similia Sacra menta, cum non abstinerent à peccatis. Hoc Apostoli argumentum non valeret, nisi Sacra menta noua & vetera essent eiusdem dignitatis. & efficacia. Quarto, quia D. August. tract. 26. in Ioan. disputans de illo loco Pauli, dicit Sacra menta vetera & noua fuisse diversa specie visibili, sed paria virtute spirituali.

3. Circa hanc tertiam opinionem hæreticorum, Nota primo Lutherum loco citato distinguere duo genera signorum Vet. Test. Quædam dicit habuisse annexam promissionem, & fuisse vera Sacra menta, & æqualia nostris quoad efficaciam, vt v. g. signum Iridis datum Noë: signum roris in vellere Gedeonis: signum reuersionis solis datum Regi

Achaz & similia. Quædam ait non habuisse annexam promissionem, ac proinde non fuisse propriè Sacra menta, ut verbi gratia, omnes illas ceremonias legis, quibus homines Vet. Test. expiabantur.

Ex hac distinctione patet Lutherum dissentire ab omnibus aliis. Nam ipse vult lotiones Iudaicas, Agnum Pascha lem & sacrificia non fuisse Sacra menta, quæ tamen ab omnibus habita sunt pro Sacra mentis. E contrario vult Iridem, vellus Gedeonis, & umbram horologij Achaz fuisse verè Sacra menta, quæ hactenus à nemine sunt habita pro Sacra mentis.

4 Nota secundo Caluinum in duobus dissentire à Luther o. Primo, quia putat Sacra menta noua vberiorem gratiam dare quam vetera. Noua enim clarius excitant fidem quam vetera. Fides autem quod maior est, eò magis iustificat. Vnde, in Antid. Concil. Trident. sess. 7. cap. 2. sic habet: neque tamen interea negamus, quin vberior sub Christi regno percipiatur gratia. Lutherus autem omnino paria facit Sacra menta vetera cum nouis. Secundo, quia Lutherus non agnoscit alia Sacra menta, quam quæ suprà dicta sunt, & reiicit omnes ceremonias Iudaicas à ratione Sacra mentorum: Caluinus autem admittit illas pro Sacra mentis, vt videre est 4. Inst. 14. §. 26.

5 Nota tertio Kemnitium in Examine Conc. partim Luther o, partim Caluino adhærere. Nam pag. 60. & 70. admittit Lutheri distinctionem de dupli genere signorum veterum; & pag. 47. admittit cum Caluino vberiorem gratiam dari in nouis Sacra mentis quam in veteribus.

6 Prima Conclusio: Sacra menta Mosaica non conferebant gratiam ex opere operato, nec remissionem peccatorum quoad culpam. Ita D. Thom. art. 6. & alij passim contra B. Bonaventuram. Probatur primo ex iis testimoniis, in quibus vocantur infirma, egena & inutilia. Secundo, ex generali discrimine legis veteris, & nouæ. Hæc enim habet vim iustificandi; illa non habebat, vt patet ex Ioan. i. v. 17. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ad Gal. 3. v. 11. In lege nemo iustificatur apud Deum, & inf. v. 21. Si data esset lex, quæ posset iustificare, verè ex lege esset

effet iustitia. Hebr. 10. v. 1. umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Hinc & similibus ex locis colligitur legem Mosaicam cum omnibus suis sacrificiis & Sacramentis non potuisse iustificare, aut gratiam conferre. Tertio, probatur ratione, quia Sacramentum, ut possit iustificare, debet habere annexam promissionem gratiarum, ut omnes fatentur. At nullum Sacramentum veteris legis habebat hanc promissionem. Ergo nullum illorum iustificabat.

Minor colligitur ex Hebr. 8. vers. 6. *Melius sortitus est ministerium quando & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sanctum est. Et infra v. 12. explicans quae sunt illae meliores promissiones N.T. profert illud Hierem. cap. 31. v. 34. propitius ero iniquitatibus eorum. Vnde sequitur in veteri testamento non fuisse tales promissiones, quae essent propriæ illius legis. Vide August. super Psal. 73. Vbi fusè explicat promissa veteris testamenti fuisse terrena non cœlestia.*

Dices: Sacrificia veteris testamenti habebant annexam promissionem remissionis peccatorum, ut patet Leuit. 4. 5. 6. Resp. hoc intelligi de remissione peccatorum quoad poenam & immundiciam legalem, non autem quoad culpam & poenam gehennæ. Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 2. & plerique Scholastici in 4. d. 1. Ratio est, quia Sacrificia non expiabant omnia peccata, sed tantum aliqua. Ergo non expiabant peccata quoad culpam, sed quoad poenam & immundiciam legalem. Si enim expiassent quoad culpam, expiassent omnia simul, quia unum sine alio non potest expiari quoad culpam.

Antecedens patet, quia sacrificia non erant instituta pro omnibus peccatis expiandis, sed tantum pro aliquibus: Ut v.g. pro peccatis ignorantiae contra ceremonias legis, Leuit. 4. & 5. & pro peccatis circa damnum proximi in rebus externis; & pro periurio ex cupiditate habendi res alienas prolato, Leu. 6. non autem pro aliis peccatis gravioribus, v.g. blasphemia, homicidio, adulterio, idolatria.

Nec obstat, quod Leu. 6. dicitur, sacrificio aratis expiri omne id peccatum, quo peccare solent homines. Hoc

enim intelligitur de omni peccato circa ablationem scilicet alienæ; non autem de omni peccato simpliciter: alioqui frustra cap. 4. & 5. ponerentur varia Sacrificia pro variis peccatis expiandis.

7. Secunda Conclusio: Sacraenta Mosaica conferebant gratiam ex opere operantis, id est, quando iusti homines ex fide & dilectione vrebantur huiusmodi Sacramentis, tunc de condigno merebantur augmentum gratiæ iustificantis. Est communis fententia contra Mag. & probatur *primo*, quia opera iustorum non solùm in lege veteri, sed etiam ante legem veterem fuerunt meritoria augmenti gratiæ de condigno, ut patet ex 2. lac. v. 21. *Abrabam pater noster nonne ex operibus iustificatus est?* Atqui suscepitio Sacramenti à Deo instituti est opus bonum. Ergo si homo iustus in veteri testamento suscepisset Sacramentum à Deo institutum, fecisset opus meritorium augmenti gratiæ.

Probatur *secundo*, quia ad meritum de condigno requiruntur generatim hæc tria, ut homo operans sit in statu gratiæ, ut opus ipsius sit bonum ac honestum, ut Deus promiserit mercedem tali operi. Hæc autem tria erant in sanctis veteris testamenti, quando suscipiebant Sacramentum. Et quidem de prioribus certum est; de tertio constat ex Hebr. 2. v. 3. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis recompensationibus; sed à longè eas aspiciente.* Vnde colligitur veteres sanctos habuisse diuinam promissionem pro bonis operibus.

Dices: Apostolus loquitur de promissione gloriæ, non autem gratiæ. Resp. hoc ipso quod loquitur de promissione gloriæ, supponit promissionem gratiæ. Non enim promisit Deus adultis gloriam, nisi iuxta proportionem gratiæ.

8. Tertia Conclusio. Nostra Sacraenta multum differunt à veteribus; *Primo*, in externo ritu & ceremonia. *Secondo*, in numero, quia nostra sunt pauciora. *Tertio*, nostra sunt facilitiora, præsertim si conferamus Baptismum cum Circumciptione. *Quarto*, nostra sunt meliora, quia non per Moysen, sed per Christum promulgata sunt. *Quinto*, vetera erant signa, seu figuræ nostrorum. *Sexto*, vetera data erant ad certum tempus: nostra durabunt usque ad consummationem facili.

ii. *Septimo*, nostra habent vim iustificandi, quam vetera non habebant. Vide Aug. Ep. 118. ad Januar & lib. 3. de doctr. Christiana, c. 9. & lib. 19. contr. Faust. c. 13. & super Psal. 73.

9 Ad primum argumentum primæ opinionis. Resp. Sacra-
menta vetera vocari egena, quia non continebant gratiam;
infirma, quia non poterant à peccato mundare: inutilia
propter eandem causam. Ita docet D. Thom. in l. 2. q. 10; a. 2.
Ad argumentum secundæ opinionis. Resp. promissionem
illam non fuisse de remissione peccatorum quoad culpam;
sed quoad immundiciam legalem.

Nec est simile de remissione peccatorum in extrema
vngtione. Hæc enim remissio extendit se ad omnia pecca-
ta, & non tantum ad certa. Aug. ideò dicit nostra Sacra-
menta esse virtute maiora quia vim habent iustificandi, cùm ve-
tera solam vim haberent figurandi iustificationem. Hieron.
cùm ait Sacraenta vetera vocari egena & infirma quate-
nus abrogata sunt, probabiliter loquitur: inde tamen non
sequitur, antequam abrogata essent, contulisse gratiam.
Hoc solùm sequitur, habuisse ante vim aliquam, quam
postea amiserunt.

Ad argumentum tertie opinionis. Resp. Caluinum sibi
ipsi contradicere. *Primo*, quia loc. cit. vult transitum maris
rubri, aquam de petra scaturientem, & manna fuisse vera
Sacraenta iustificantia, quod tamen alibi negat. Nam
eodem cap. §. 19. dicit Sacraenta esse ceremonias ordina-
rias, non aliquid quod semel atque iterum factum est. Con-
stat autem transitum maris rubri, & similia non fuisse cere-
monias ordinarias. *Secundo*, quia Caluinus §. 27. dicit Sacra-
menta vetera & noua tam esse paria, ut nulla prærogatiæ
particula nostris relinquatur: & tamen §. 22. dixerat nostra
esse excellentiora, quod ubiorem gratiam conferant.

Ad primam probationem. Resp. Apostolum non dicere
veteres Patres eandem nobiscum escam manducasse; sed
eandem omnes escam inter se manducasse, vt ex toto con-
textu patet, præsertim ex v. 1. ubi ait. *Patres nostri omnes sub
nube fuerunt*. Constat enim nos in nouo testamento nun-
quam fuisse sub nube, sed sub lumine Iustitiae.

Ad secundam probat. Resp. Manna & aquam de petra
scaturien-

scaturientem vocari cibum, & potum spiritualem, non propter effectum, sed significationem. Quod enim effectus non fuerit spiritualis, patet ex illo Ioan. 6. v. 48. *Ego sum panis vite: Pateres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Si quis manducaverit ex hoc pane, viuet in eternum.*

Ad tertiam probat. Resp. Apostolum non conferre vetera Sacra menta cum nostris, quia terra & aqua scaturiens de petra non erant proprie Sacra menta vetera, sed tantum figuræ nostrotum. Scopus ergo Apostoli est eiusmodi: *Quemadmodum maiores nostri, tametsi iisdem inter se signis vterentur, & iisdem à Deo afficerentur beneficiis; non tamen omnes salvi fuerunt: sed multi in deserto prostrati: ita nos Christiani, tametsi iisdem inter nos Sacramentis utamur, & omnes ad Christi fidem vocati simus: non tamen omnes salvabimur, nisi fideliter Deo seruiamus.* Hunc esse scopum Apostoli colligitur ex cap. precedente v. 24. vbi sic: *nescitis quod ī, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium: sic currite ut comprehendatis.* Ex quibus verbis patet Apostolum hortari omnes ut fortius currant in via fidei & charitatis Christianæ: & non putent satis esse, quod semel hanc viam ingressi sint per Baptismum & Eucharistiam, sicut omnes Iudei erant in via, quæ ducebat ad terram sanctam, & in illa via vtebantur iisdem Dei beneficiis: & tamen non omnes peruererunt ad terram sanctam, quia non erant grati Deo pro beneficiis acceptis, sed frequenter murmurabant & alia peccata committebant.

Ad quartam probat. Resp. Augustinum non dicere Sacra menta noua, & vetera fuisse diuersa specie visibili, & paria virtute spirituali: hoc solum dixit, fuisse paria quoad rem significatam, quia eundem Christum omnia significant. Verba Augustini sunt hæc: Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, tamen hoc idem significante virtute spirituali, id est, diuersa erant signa externa: tamen quoad vim spiritua lem significandi erant eadem, quia idem significabant: quod clarius paulò ante dixerat his verbis: In singulis diuersa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt.

QVÆSTIO XI.

An Circumcisio contulerit gratiam.

Plerique Theologi affirmant cum Augustino lib. 16.
de ciuit. Dei. cap. 27. Et lib. 2. de peccato orig. cap. 30. lib. 2.
de nuptiis & concupisc. cap. 11. Fundamentum est, quia Circumcisio fuit à Deo instituta ad tollendum peccatum originale. Hoc autem nequit tolli sine gratia iustificante. Ergo Circumcisio debuit conferre hanc gratiam. Maior probatur ex Genes. 17. v. 14. *Masculus, cuius præputij caro circumcisæ non fuerit, delebitur die illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ex quibus verbis colligit Augustinus, omnes paruulos, propterea quod in Adamo peccauerunt, & irritum fecerint pactum de non comedendo fructu arboris, in æternum perituros fuisse, nisi circumciderentur. Ergo per Circumcisionem poterant liberari ab illo peccato, & consequenter à damnatione perpetua. Ergo Circumcisio fuit ad hoc instituta à Deo, ut paruuli saluarentur.

Probatur secunda, ex Innoc. 3. cap. *Maiores de bapt. vbi dicit Baptismum successisse Circumcisioni, & comparat illa verba: Masculus, cuius præputij caro, &c. cum illis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei.* Deinde concludit: Licet per Circumcisionem tolleretur peccatum originale, non minus quam per baptismum, tamen baptismus in eo præstare, quod baptizati statim possint intrare in regnum cœlorum, quod Circumcisi non poterant facere, quia ianua nondum erat aperta.

Probatur tertio, quia constat Circumcisionem fuisse figuram Baptismi: Ergo sicut Baptismus tollit peccatum originale, & imprimet characterem spiritualem: ita Circumcisio tollebat idem peccatum, & imprimebat characterem in carne.

Probatur quarto, quia nulla alia sufficiens causa dari potest, cur infantes debuerint circumcidi, nisi ut liberarentur à peccato originali.

Probatur quinto, quia nequit assignari aliud remedium peccati originalis, nisi Circumcisio.

z Prima Conclusio: Circumcisio non fuit instituta ad tollendum peccatum originale, sed ad consignandum peculiarem Dei populum, eumque à cæteris gentibus distinguendum. Ita Iustin. Martyr, Irenæus, Chrysost. & alij Patres, qui fuerunt ante Augustinum; quos sequitur Bellarm. lib.2.de Sacram.c.15. & 17.Vasqu.i.disp.130.cap.2. & alij. Probatur primo, ex illo Genes.17.v.10. *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, circumcideture ex ipsis omnes masculini: & circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos.* His verbis continetur institutio Circumcisionis, & nulla fit mentio remissionis peccati, sed solum significatur Circumcisio esse data ad signandum populum, quem Deus peculiariter eligebat, vt illius singularem haberet prouidentiam, & ab eo specialiter coleretur. Hoc enim erat pactum, & fœdus inter Deum, & illum populum, cuius signum erat Circumcisio.

Probatur secundo, ex Rom.c.3.v. 1. *Quid ergo amplius Iudeo est? aut quæ utilitas Circumcisionis?* Multum quidem per omnem modum: quia credita sunt illis eloquia Dei. Hic Apostolus ex professo querit, quid Circumcisio profuerit Iudeis; nec dicit profuisse ad remissionem peccati originalis; quod tamen maximè dicere debuisset, si verum esset: sed solum ad hoc profuisse, vt Iudei separati à gentilibus specialem Dei legem acciperent.

Confirmatur ex toto contextu illius capititis, in quo Apostolus conatur ostendere, Iudeos non præstare gentilibus quoad internam iustitiam, sed solum quoad externam legem. Vnde v.9. sic habet: *Quid ergo? Praecellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Iudeos, & Græcos omnes sub peccato esse.* Vbi Paulus, etiamsi antea dixerat, Iudeos præstare gentilibus ob Circumcisionem: tamen nunc negat præstare quoad iustificationem. Omnes enim tam Circumcisi quam incircumcisi peccatores sunt. Vnde aperte sequitur Circumcisionem non iustificasse: sed fidem in Christum venturum, iuxta illud quod sequitur v.30. *Deus iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Probatur tertio, ex confessione Iudeorum, Philonis maxime & Iosephi, qui fuerunt rerum Iudaicarum peritissimi.

Nam

Nam Philo in libro de Circumcis. exponens omnes causas Circumcisionis quas à maioribus se accepisse fatetur, nusquam meminit remedij peccati originalis. Et Iosephus r. Antiq.c.12.non aliam causam Circumcisionis reddit,nisi ut posteritas Abrahæ ab aliis gentibus discerneretur.

Probatur quarto ratione, quia Circumcisio debebat differri usque ad octauum diem. Si autem fuisset remedium peccati originalis, non debuisset tamdiu differri: alioqui omnes infantes qui moriebantur ante octauum diem, caruissent remedio peccati originalis.

Probatur quinto, quia Iudei in deserto non fuerunt Circumcisi per 40. annos, ut habetur Iosuæ cap.5. v.6. Illis autem quis credat remedium peccati originalis tamdiu fuisse neglectum?

Quæres: Cur ergo Circumcisio tamdiu fuit neglecta? Respondeo. Quia data erat ad segregandum populum Iudeorum ab aliis. Eo autem tempore quo populus fuit in deserto, satis erat ab aliis segregatus, ut non opus esset Circumcisione. At post clapsos annos 40. cum iam iterum deberet misceri gentilibus, præcepit Deus, ut iterum circumcideretur, ut patet Ios.5.v.2.

3 Secunda Conclusio: Circumcisio non conferebat gratiam iustificantem ex opere operato. Ita præter autores citatos D.Thom,hic art.6.& infrà quæst.70.art.4. Dom. Sotus in 4.dist.2.q.1.art.4. Melchior Canus in relect.de Sacramentis in genere,& multi alij.

4^o Probatur primo, ex dictis, quia Circumcisio non fuit instituta ad iustificandum, sed solum ad segregandum populum Iudeorum ab aliis.

Secundo, ex generali illo discrimine legis nouæ & veteris, quod noua habeat vim iustificandi, quam vetus non habuit. Rom.3.v.20. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro eorum illo. Ad Gal.3.v.11 In lege nemo iustificatur apud Deum. Vbi sub nomine legis comprehendit etiam Circumcisio nem, ut patet ex contextu.

Probatur tertio, ex Rom.cap.4.v. 9. Dicimus quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam, non in Circumcisione, sed in præputio: & signum accepit Circumcisio signaculum iustitiae dei,

dei, quæ est in præputio. Vbi Apostolus ex professo probat, Abraham non in Circumcisione, sed in præputio fuisse iustificatum, ut inde admoneat, Circumcisionem non esse datum ut iustificaret. Si enim is, cui primo data est, non fuit ex ea iustificatus, quomodo alij post illum ex illa iustificantur?

Probatur quarto, ex Philip. 3. v. 8. *Exissimo omnia detrimen-
tum esse.* Vbi expressè loquitur de Circumcisione & aliis
legalibus, ut ex contextu patet. Vnde etiam Circumcisio-
nem per contemptum vocat concisionem.

Quæres: An Circumcisio saltem ex opere operantis con-
tulerit gratiam. Respondeo. Idem statuendum est de Cir-
cumcisione, quod de aliis Sacramentis veteribus, iuxta ea
quæ dicta sunt precedentem dubio.

Ad primum argumentum contrarium, respondeo circa
illa verba: *Masculus, cuius præputi⁹ caro, &c.* tria posse qua-
ri. Primo, an pertineant ad solos parvulos, an etiam ad
adultos? Secundo, quæ sit poena illa, de qua Deus ait: *De-
lebitur anima illius de populo suo.* Tertio, quod sit illud pa-
ctum, quod dicuntur irritum facere illi qui non circum-
ciduntur. In his tribus est tota difficultas. Sunt autem tres
expositiones.

Prima est Augustini, qui putat, verba illa pertinere ad
solos parvulos, qui nisi circumcidantur, peribunt in æter-
num; quia irritum fecerunt pactum de non gustanda ar-
bore scientiæ boni & mali. Fundamentum illius est, quia
in Græco textu sic legitur: *Masculus, cuius præputi⁹ chro non
fuerit circumcis⁹ oītauo die:* vbi illa particula *oītauo die,*
ostendit, de solis parvulis intelligi oportere.

Secunda est Bellarmini, aliorūque volentium dicta ver-
ba pertinere ad solos adultos, quibus Deus minatur mor-
tem corporalem, si vel propriam, vel filiorum suorum Cir-
cumcisionem neglexerint; & hoc modo pactum Dei de
masculis circumcidendis irritum fecerint. Confirmatur
exemplo Moysis, quem Deus voluit occidere, cù quod fi-
lium suum non circumcidisset, ut habetur Exod. 4. v. 24.

Tertia probabilissima est, videlicet verba illa pertinere
promiscue ad omnes posteros Abraham, siue parvuli, siue
adulti

adulti sint, quibus omnibus, si Circumcisus non fuerit, minatur Deus separationem, vel seclusionem à populo peculiariter electo, ut sensus sit: quicunque Masculus ex posteris Abrahæ non fuerit Circumcisus, non censembitur pertinere ad populum Dei electum: quia ego feci hoc pactum cum Abraham & posteris eius, ut nemo, nisi Circumcisus ad populum meum admittatur. Similis loquendi modus est ille Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Hoc enim tam de parvulis quam de adultis intelligendum est.

Hæ duæ posteriores expositiones sunt probabiliores. Prima nullatenus admittenda est. *Primo*, quia per pactum non potest intelligi illud quod Deus fecit cum Adamo in paradiſo, de non comedendo fructu arboris: sed necessariò debet intelligi pactum Circumcisionis, ut ex toto contextu patet. Nam in illo capite nominatur octies pactum, vel foedus Dei, & semper accipitur pro pacto Circumcisionis.

Secundo, quia verba illa: *Delebitur anima, &c.* nunquam in Scriptura significant poenam damni, vel gehennæ, sed semper poenam aliquam temporalem. Et quidem aliquando significant poenam mortis. Exod. 12. v. 15. *Quicumque comedenter fermentum, peribit anima illa de Israël*, id est, occidetur. Et 31. v. 14. *Custodite Sabbathum meum: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.* Leu. 17. v. 4. *Homō quilibet de domo Israël, si occiderit bouem aut ovem, & non obtulerit oblationem Domino, quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.*

Aliquando significant legalem excommunicationem, vel separationem à populo, Leu. 7. v. 21. *Anima, quæ tetigerit immundiciam hominis, interibit de populo suo.* Et cap. 9. v. 19. *Si quis post biduum comederit ex hostia pacifica, peribit anima illa de populo suo.* Et Num. 19. v. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ.*

Ad argumentum secundum respondeo, quod Innocentius nihil definiuit, sed tantum insinuauit priuatam suam sententiam.

Ad tertium, Circumcisio fuit figura Baptismi quoad

E 2 characte

68 CAP. IV. DE SACRAMENTIS
characterem. Duo enim præstat baptismus, primo, tollit peccatum originale conferendo gratiam iustificantem. Secundo, imprimet characterem, quo Christiani ab aliis distinguuntur. Circumcisio ergo fuit figura Baptismi quoad hoc posterius. Ad quartum, Sufficiens causa, cur Infantes debuerint circumcidiri, fuit haec, ut reputarentur de populo & hereditate Dei.

Ad quintum, Nos idem remedium peccati originalis assignare possumus pro masculis: quod autores contraria sententia assignabunt pro femeliis.

• • • • • : • • • • • : • • • • • : • • • • • : • • • • •

C A P V T I V .

De secundario effectu Sacramentorum, qui est character.

HA R A C T E R propriè significat signum, vel sigillum, quo res aliqua signari solet ob aliquam ex tribus causis. Primo, ut cognoscatur, & ab aliis distinguatur: quo pacto oves solent signari charactere domini sui. Secundo, ut in maiori precio habeatur, quo pacto pecunia est signata regio sigillo. Tertio, ut ad aliquid officium deputetur, ut milites signantur charactere militari. Potest autem res aliqua dupliciter signari, primo, charactere sensibili, & corporali. Secundo, spirituali. His agimus de charactere spirituali: quo signatur anima hominis Christiani. De hoc tria disputari solent & possunt, Primo, an aliqua Sacra menta imprimant huiusmodi characterem. Secundo, an character ille sit qualitas, & in qua specie qualitatis. Tertio, an sit immediate in anima, an in potentius eius.

Q V A S T I O I .

An aliqua Sacra menta imprimant characterem?

Hæretici planè negant characterem Sacramentalē, ut Caluinus in *antid. Concil. Trident. sess. 7. c. 9.* Kemnitius in *z. p. Exam. p. 129.* Tilmannus Heshusius in *lib. de erroribus Pontificiorum, cit. 5,* & alij recentiores, Probat primos

primo, quia in Scripturis, & Patribus nulla sit mentio characteris. *Secundo*, quia inter ipsos etiam Scholasticos nihil est certum. *Tertio*, quia primus autor, seu excogitator characteris fuit Innocentius III. qui multa mala partim decrevit, partim fecit. His tribus argumentis vtitur Kemnitius, & totidem mendacia committit. Nam *primo* falsum est, apud Patres nullam mentionem fieri characteris, ut paulo post patebit. *Secundo*, falsum est inter Scholasticos nihil esse certi de charactere. Omnes enim fatentur concedendum esse characterem spiritualem, licet aliqui dubitent de modo probandi. *Tertio*, falsum est, Innocentium excogitasse characterem, quia in cap. *Maiores, de bapt.* refert opinionem quorundam afferentium eos qui inuiti baptizantur, accipere solam characterem, sicut accipiunt illi qui baptizantur ficte. Non ergo ipse primus excogitauit characterem.

2 Prima Conclusio: Sacraenta veteris Legis non imprimebant characterem spiritualem. Ita D. Thom. art. 1. ad 3. & alij passim, excepto Scoto. Ratio est, quia non erant instituta ad conferendum effectum spiritualem ex opere operato, sed tantum legalem.

3 Secunda Conclusio : Nec omnia Sacraenta nouæ Legis imprimunt characterem, ut patet de Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctione, & Matrimonio. Ita D. Thom. art. 6. & alij passim. Ratio, quia Sacraenta, quæ iterari possunt, non imprimunt characterem, ut dicam paulo post. Atque supra dicta quatuor iterari possunt. Ergo, &c.

4 Tertia Conclusio: Hæc tria, Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt in anima characterem spiritualem. Est communis sententia definita in Concilio Tridentino, *sess. 2. cap. 9. de Sacramentis in genere;* & videtur esse recepta per traditionem Ecclesiasticam à temporibus Apostolorum. Colligitur ex quibusdam Scripturæ locis: ut 2. Corinth. 1. v. 21. *Qui unxit nos Deus & signauit nos.* Eph. 1. v. 13. *In qua & creaentes signati es sis.* Item Eph. 4. v. 30. *Nolite Spiritum sanctum contillare.* Vide Bellarm. lib. 2. cap. 20. ubi explicat & defendit hæc testimonia.

Probatur *secundo*, ex Patribus apud eundem Bellar.*c. seq.*

Probatur *tertio*, ratione; quia hæc tria Sacra menta non possunt repeti, cùm tamen alia possint. At non potest dari alia causa huius discriminis, nisi character. Ergo illa tria imprimunt characterem, non autem alia. Minor probatur, quia si admittamus characterem, clara est ratio discriminis; ideo enim quædam Sacra menta non possunt repeti, quia quando semel data sunt, semper manent in suo effectu: Alia possunt repeti, quia non manent, nec in se, nec in suo effectu. Gratia enim, quæ est effectus solus aliorum Sacra mentorum, facile potest amitti, & sèpè amittitur. Deinde, etiam si aliquando non amittitur, tamen augeri potest; & sic Sacra mentum potest repeti, ut gratia augeatur. At character non potest augeri per repetitionem eiusdem Sacra menti. Hæc ratio rectè ostendit, cur tria Sacra menta non repeatantur, & alia repeatantur, ut Concilium Tridentinum docet. Si autem hæc ratio non admittitur, nulla alia sufficiens reddi potest; ut prolixè ostendit Bellarm.*cap. 22.*

Q V A E S T I O II.

An character sit qualitas, & in qua specie qualitatis?

1 **P**rima Conclusio: Character non est relatio, sed absoluta qualitas. Ita omnes Scholastici, excepto Scoto & Durando. Scotus enim dicit, esse relationem realem: Durandus relationem rationis. Neutrum placet, quia non potest assignari fundamentum huius relationis. Vel enim esset anima, vel fides, aut gratia. Non anima, quia cùm anima sit in omnibus hominibus, omnes haberent characterem. Non fides aut gratia, quia character potest consistere sine fide & gratia. Potius ergo dicendum est, esse qualitatem absolutam & realem.

2 Secunda Conclusio. Character est in prima specie qualitatis. Est enim dispositio quædam, seu habitus, qui tria habet officia. Primum est aptum facere ad cultum Divinum. Character enim est quædam potestas spiritualis, & supernaturalis, partim actiua, partim passiua. Et quidem character

Character Baptisimi est passiva potestas, quia facit hominem aptum ad suscipienda omnia alia Sacra menta, & sine ipso nulla aliorum Sacramentorum suscep tio est legitima & rata.

Character Ordinis est activa potestas ad ministranda aliis Sacra menta. Character Confirmationis partim est passiuus, quia facit hominem aptum ad alia Sacra menta suscipienda: partim actiuus, quia facit aptum ad profitendam fidem. Nota tamen istam potentiam non esse actiuam physicè, sed tantùm moraliter, ut plerique docent.

Secundum officium est, consignare hominem Christo. Nam quia potentia illa deriuatur à Christo tanquam summo Sacerdote, ideo aliquo modo facit nos similes Christo.

Tertium est, distinguere hominem ab aliis. Nam Sacerdotes distinguuntur à Laicis, & Laici Confirmati à non Confirmatis, & Baptizati à non Baptizatis.


Q V A E S T I O III.

An character immediatè sit in anima?

1 Prima Conclusio: Character Sacramentalis immediatè est in sola anima, tanquam subiecto. Nota omnes Scholasticos consentire, characterem esse in anima, sed plerosque dubitare, an mediatè, vel immediatè. Aliqui volunt, immediatè esse in intellectu tanquam dispositionem necessariam ad exercendos actus intellectus. Aliqui ponunt immediatè in voluntate tanquam dispositionem ad actus charitatis eliciendos. Aliqui denique simpliciter ponunt in substantia animæ; quod magis videtur esse ad mentem Concilij Tridentini, *sess. 7. cap. 9.* ubi dicit, characterem imprimi in anima.

2 Secunda Conclusio: Character Sacramentalis est omnino indelebilis: ut habetur in Concilio Tridentino *loc. citato*, & ab omnibus conceditur. Ratio à posteriori est, quia constat illa Sacra menta quæ imprimunt characterem, non posse repeti. A priori multæ rationes adducuntur: sed potissima est, quia character non habet contrarium à quo corrum patur: & præterea existit in subiecto incorruptibili.

Non enim est sicut habitus fidei, & aliarum virtutum, qui per actus contrarios tolluntur: neque sicut gratia iustificans & habitualis, quæ per peccatum mortale extinguitur. Secundo, quia character est quædam consecratio animæ hominis Christiani. Consecratio autem tamdiu durat, quamdiu durat res consecrata.



C A P V T . V .

De causa Sacramentorum.

DIvv s Thomas agit potissimum de causa instituente & ministrante. Addam aliquid de sufficiiente. Reliquæ causæ, ut materialis, formalis, & finalis facile colliguntur ex dictis. Nam ostensum est Sacra menta nouæ Legis constare rebus, & verbis tanquam materia & forma, & instituta esse ad nostram sanctificationem tanquam ad finem proximum & immediatum.

Q V A S T I O . I .

An omnia Sacra menta sunt à Deo instituta?

IPrima Conclusio: Deus est principalis autor, qui instituit Sacra menta nouæ Legis. Ica D. Thomas *art. 2.* & alijs passim. Ratio: quia is solus potest instituere Sacra menta tanquam autor principalis, qui sua authoritate potest illis dare vim conferendi gratiam iustificantem, siue vis illa sit moralis, siue physica. Hanc autem vim solus Deus propria authoritate potest dare. Ergo ipse solus potest instituere Sacra menta tanquam autor principalis. Sed quæres, an Deus non posset alicui homini, vel Angelo communicare facultatem instituendi Sacra menta? Resp. Primariam & principalem facultatem non potest communicare puro homini vel Angelo. Illa enim nihil aliud est, quam ipsa essentia, & potentia diuina, quæ personæ creatæ communicari non potest. De facultate delegata dicam in sequenti Conclusione.

2 Secunda

2 Secunda Conclusio: Christus secundum humanitatem instituit Sacra menta nouae legis, non quidem auctoritate propria & principali, sed delegata sive per commissiō nem. Est communis sententia, & colligitur ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. qui sic habet: *Si quis dixerit, Sacra menta nouae legis non fuisse omnia à Christo instituta, anabe ma sit.* Et Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. vbi ait: *Auctor Sacra mentorum quis est nisi Dominus Iesus?* Ratio, quia Christus fundauit Ecclesiam. Ergo instituit Sacra menta, quae sunt quasi fundamenta Ecclesiae, ut recte argumentatur D. Thomas art. 2. ad 3. Quod si Apostoli instituissent Sacra menta, dicerentur etiam fundasse Ecclesiam, quod tamen falso sum est. Confirmatur, quia Apostoli tantum fuerunt dispensatores mysteriorum Dei, non autem institutores vel auctores; vt colligitur ex 1. Cor. 4. v. 4. *Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis.* Et c. 4. N. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispen satores mysteriorum Dei.*

3 Quæres primo: Quid Christus secundum humanitatem plus fecerit circa Sacra menta nouae legis, quam Moyses circa Sacra menta vetera. Respondeo. Moyses nihil aliud fecit quam quod promulgauerit voluntatem diuinam in instituendis Sacra mentis: Christus autem non solum promulgauit, sed etiam potestate delegata usus est in institutione Sacra mentorum: & per sua merita obtinuit Sacra mentis vim conferendi gratiam iustificantem.

4 Quæres secundo: Quæ fuerit illa potestas delegata in Christo. Respondeo. Fuit potestas determinandi certas ceremonias externas, quæ haberent vim iustificandi ex opere operato per merita Christi. Potuit enim Christus pro suo arbitrio constituere, vt haec potius ceremonia adhiberetur quam illa ad hominem iustificandum; quod Apostolis concessum non fuit.

5 Ex hac Conclusione sequitur errasse quosdam Schola sticos, qui putarunt, quædam Sacra menta immediate instituta esse ab Apostolis, vel ab Ecclesia. v.g. Confirmationem institutam esse in quodam Concilio Meliteni; quod putauit Alex. Ales. 4. p. 2. 24. m. 1. Similiter extremam un-

74 C A P . V . D E S A C R A M E N T I S
etionem institutam fuisse ab Apostolo Iacobo; quod pri-
tauit Magister in 4.d.23. Denique confessionem institutam
esse iure Ecclesiastico, quod docuit glossa de pœnit. dist.5.
in princ. horum omnium sententia damnata est in Concil.
Trident. canone cit. Plura infra suis locis.

Q V A E S T I O I I .

*An omnes & soli homines possint esse ministri
Sacramentorum.*

1. **G**eneratim loquendo certum est illum esse sufficien-
tem, & necessarium ministrum ad Sacra menta con-
ficienda, quem ipse Christus sua institutione designauit.
Nunc ergo in particulari videndum est quis ille sit.

2. Prima Conclusio: Soli homines sunt suffici entes mi-
nistri Sacramentorum. Ita D.Thom.art.7.& alij passim.

Probatur primo, ex institutione Christi in singulis Sacra-
mentis. Nam solis hominibus dixit Matth.28.v.19. *Euntes
docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Luc.22.v.19. Hoc fa-
cete in meam commemorationem. Ioan.20.v.12. Quorum remi-
seritis peccata, remittuntur eis. Iac.5.v.14. Inducat Presbyteros
Ecclesiæ Ephes.4.v.11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,
quosdam verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem
Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus
ministerij in ædificationem corporis Christi. Ex quibus omni-
bus patet non Angelis, sed hominibus commissum esse
ministerium Sacramentorum; iuxta illud 1.Cor.4.v.1. *Sic
nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores myste-
riorum Dei.**

Probatur secundo, quia præcipui ministri Sacramento-
rum sunt Sacerdotes, qui ex officio ad hoc deputati sunt.
Angeli autem non sunt Sacerdotes, ut colligitur. Hebr.5.
v.1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus.* Confirmatur
ex D. Thom. art.5. quia Summus Pontifex Christus,
qui est præcipuus minister Sacramentorum, non est Ange-
lus, sed verus homo. Ergo congruum est alios ministros
etiam esse homines.

Probatur tertio, quia illi quibus ministranda sunt Sacra-
menta,

menta, sunt soli homines. Ergo ut seruetur proportio, debent etiam ministri esse soli homines.

Probatur *quarto*, inductione per singula Sacra menta discurrendo. De matrimonio per se constat. Nam ipsi contrahentes sunt ministri illius Sacramenti. Soli autem homines contrahunt. De Confirmatione, Eucharistia, Ordine, Extrema uactione & absolutione non potest etiam esse dubium. Nullus enim potest illa Sacra menta confidere, nisi habeat characterem Ordinis. De solo Baptismo potest esse difficultas. Nam Scot. in 4.d.6.q.1. putat Angelum posse baptizare, quia potest assumere corpus, & praestare ea quae ad baptizandum requiruntur, videlicet abluere infantem, & pronunciare verba cum debita intentione. Fa uet D. August. lib. 2. contra Parmenianum, cap. 15, cum ait: *ne mo accipit sine dante*: Sed quod attinet ad sanctitatem Baptismi adest Deus, qui dat siue per hominem, siue per Angelum.

3 Dicendum tamen est solum hominem secundum legem ordinariam posse esse ministrum Baptisini, ut patet ex rationibus allatis. Augustinus non loquitur de lege ordinaria, sed assignat varios modos, quibus Deus potest sanctitatem conferre vel per hominem, vel per Angelum, vel per se ipsum.

4 Hinc sequitur *primo*, licet Angeli secundum legem ordinariam non possint ullum Sacra mentum ministrare, quia non sunt ad hoc ordinati a Christo; posse tamen id facere ex speciali priuilegio, quia Deus non alligauit suam potentiam ad unum modum operandi. Huc spectat illud Niceph. lib. 11. b. 1. 20. de quodam Amphilochio, qui ab Angelo fuit consecratus Episcopus, & eam consecrationem ratam habuerunt alii Episcopi, qui verisimiliter credebant fuisse bonum Angelum qui id fecisset, & proinde fecisse ex dispensatione Dei. **Secundò**, animam separatam non posse ministrare Sacra menta secundum legem ordinariam, quia reuera non est homo.

5 Quæres, quid si anima redeat ad suum corpus, & illud iterum informet: Resp. Si rediret ad corpus mortale, & esset in statu viatoris, tunc posset ministrare Sacra mentum:

mentum : Si autem rediret ad corpus gloriosum , & esset in statu glorie , forte non posset ; tametsi contrarium videatur sentire S.Thom.art.7.ad 2.Christus enim non instituit ministros Sacramentorum,nisi homines hic nobiscum viuentes.

6 Tertio sequitur , multo minus diabolum posse administrare Sacra menta , quod contra Luth. in lib.de Missa priuata , vbi dicit diabolum in assumpto corpore baptizantem , consecrantem , aut peccata remittentem , valide eadem prestare . Sed errat , quia si Angelus bonus id non potest , multo minus diabolus .

7 Obiicit Lutherus : Membra diaboli possunt baptizare , consecrare , & peccata remittere , ut patet de Iuda proditore , & aliis malis Sacerdotibus . Ergo etiam ipse diabolus . Resp.mali Sacerdotes id non faciunt , quatenus sunt membra diaboli , sed quatenus sunt ministri Christi . Sunt autem ministri Christi , quatenus sunt veri homines ad hoc officium deputati .

8 Secunda Conclusio : Tametsi soli homines possint esse ministri Sacramentorum , non tamen omnes & singuli . Nam primo , infantes & amentes nullum Sacramentum trahinistrare possunt , quia non habent usum rationis , ac proinde non possunt habere debitam intentionem , de qua postea . Secundo , qui non habent characterem Ordinis , non possunt esse ministri Confirmationis , Eucharistie , Absolutionis , Ordinis , & Extremae Unctionis . Hoc infra suo loco contra Lutherum probandum est , qui putat omnes baptizatos esse veros Sacerdotes , & habere potestatem ministrandi omnia Sacra menta .

Q U E S T I O . III.

An intentio Ministri requiratur ad valorem Sacramentii?

¹ **L**oquor de intentione ministri circa ipsum Sacramentum . Haec autem potest esse triplex . Prima , est intentioni proferendi verba , & faciendi externa actionem . Secunda , est intentio faciendi Sacramentum , vel saltem in confuso faciendi id , quod Ecclesia . Tertia , est intentio conferendi

ferendi effectum Sacramenti. Quæritur ergo an minister, si non habet aliquam talem intentionem, validè conferat Sacramentum, seu (quod idem est) an valor Sacramenti pendeat ab intentione ministri? Est autem præcipua difficultas de secunda intentione, an illa ad valorem Sacramenti necessaria sit. Negant hæretici nostri temporis, assertentes Sacramentum esse validum, quando res & verba absint: etiamsi minister ioco, vel irrisoriè omnino faciat. Ita Lutherus lib. de capt. Bab. & in art. 12. corum, quæ Leo Papa damnauit: & in lib. de Missa priuata. Caluin. in Antid. Conc. Trident. sess. 7. c. 11. Kemnit. 2. p. Exam. pag. 141. Heshusius lib. de 600. erroribus Pontificiorum loco 15. & alij.

Fundamentum illorum est, quia Sacraenta solùm instituta sunt ad excitandam fidem; hanc autem possunt excitare in suscipientibus, quacumque tandem intentione fiant à ministris. Ex Catholicis videtur idem sentire Ambrosius Cathar. in opuscul. de intentione ministri, vbi dicit requiri intentionem faciendi actum externum, non tamen faciendi illum actum, quatenus Sacramentalis est.

2. Prima Conclusio. Ad valorem Sacramenti requiritur in ministro intentio non solùm faciendi actum externum, sed etiam faciendi Sacramentum, seu faciendi id quod Ecclesia facit, & quod Christus instituit. Ita Schol. in 4. d. 6. Et definitur in Conc. Trid. sess. 7. c. 11. his verbis: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacraenta consciunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Ratio debet sumi ex institutione Christi. Potuit enim dupliciter instituere Sacraenta. Primo, determinando solam externam ceremoniam, & dando illi vim conferendi gratiam, quotiescumque & quomodocumque adhibita fuerit, sine ullo ordine ad intentionem ministri. Secundo, dirigendo totam institutionem primariò ad ministros, & dando illis potestatem efficiendi Sacraenta.

Hoc posteriori modo facta est institutio à Christo, ut patet ex illo Ioan. 2. v. 22. *Quoru remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde sic argumentor: Christus ita instituit Sacraenta, ut debeat procedere ex potestate data ministris, tanquam propriæ

proprie^z actiones eorum; ita ut ministri dicantur remittere peccata, baptizare, confirmare, &c. Ergo ex vi illius institutionis requiritur intentio ministri ad consciendum Sacramentum.

Sequela patet, quia illa potestas conficiendi Sacramenta data est ministro, ut ea vntatur more humano, id est, censetur operari ex potestate sibi data. At non potest ita operari, nisi habeat voluntatem conficiendi id quod ipsi concessum est per illam potestatem. Est autem ipsi concessum efficere Sacramentum. Ergo debet velle efficere Sacramentum, quia debet velle operari ex sua potestate.

Confirmatur ex 1. Cor. 4.v.1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Nam ille propriè dicitur dispensator, cuius potestati & arbitrio committitur aliquarum rerum distributio, quæ fieri debet more humano; atque adeò cum voluntate dispensandi res tali potestate commissas. Cum ergo ministri sint dispensatores Sacramentorum, debent habere voluntatem ea dispensandi, iuxta potestatem à Christo concessam; alioqui propriè non facerent officium dispensatoris.

Hoc sensu definitum est in Concilio Trid. sess. 14. cap. 6. Absolutionem Sacerdotis non esse nudum ministerium, sed actum iudicialem quo pronunciatur sententia. Ergo non potest fieri sine voluntate iudicandi & proferendi sententiam. Et ibidem additur: Si Sacerdoti desit animus verè absoluendi, nihil fieri.

Probatur secundo, quia si intentio non esset necessaria, sequerentur tria absurdia, ut notat Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 6. cap. 13. Nam primo, si parens aliquis duceret filium ad balnea, & dum illum immergit, signaret eum cruce & diceret: Lauo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nihil cogitans de Baptismo, sed tantum inuocans Deum, ut illa lotio benè cedat ad sanitatem corporis; tunc ille puer deberet dici baptizatus, quod est planè ridiculum. Secundo, si Sacerdos in mensa legeret Euangelium ut fieri solet in mensis Prælatorum, & Religiosorum, & inter legendum pronunciaret. *Hoc est corpus meum;* iam totus panis illius mensæ esset consecratus si non requireretur intentio.

intentio. *Tertio* si, cùm aliquis ancillam conducit, diceret: accipio te in meam (intelligens ancillam, sed non exprimens) & illa similiter diceret: accipio te in meum (intelligens herum, sed non exprimens) iam illi duo essent coniugati; quod est absurdum.

3. Prima Obiectio. Verbum Dei, quacumque intentione dicatur, excitat fidem in audiente. Sed Verbum Sacramentale est Verbum Dei. Ergo excitat fidem in audiente quacumque intentione proferatur. Ergo non pendet ab intentione ministri. Confirmatur, quia D. Paulus ad Philip. i. v. 18. gaudet prædicari Verbum Dei quacumque intentione, etiam si aliqui prædicarent ex sola inuidia & contentione, quia etiam illo modo prædicatum poterat habere fructum. Ergo similiter Verbum Sacramentale potest esse utile, licet mala intentione proferatur.

Resp. hoc argumentum procedit apud eos qui sentiunt cum Luthero & Caluino, Sacraenta tantum instituta esse ad excitandam fidem, & solam fidem iustificare: at apud nos nihil concludit. Tametsi enim concedamus Verbum Dei quacumque intentione prolatum posse excitare fidem: non tamen concedimus Verbum Dei quacumque intentione prolatum posse habere effectum Sacramentalem. Ratio discriminis est, quia ad excitandam fidem non requiritur vlla efficientia, sed sufficit significatio Verborum: requiritur autem efficientia ad effectum Sacramentalem. Ad confirmationem dico: aliud est intendere non concionari, aliud intendere concionari ob malum finem. Præthus de hoc posteriori loquitur: & hoc modo concedimus Baptismum esse verum & efficacem, quando minister intendit baptizare, licet ob malum finem.

4. Secunda Obiectio sumitur ex vulgari historia de Athanasio, qui, cùm esset puer, quosdam alios pueros per iocum baptizauit, & tamen eum Baptismum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus, ut referunt Ruffinus lib. i. hist. c. 14. Niceph. lib. 8. c. 44. Sozom. lib. 2. c. 16. Nec dissimilis est historia quam refert Niceph. lib. 3. cap. vlt. de quodam pueru Iudeo per similem Iudum ab aliis pueris baptizato, qui Baptismus in Ecclesia Constantinopolitana approbatus

batus est. Ergo signum est ad veritatem Baptismi non requiri intentionem faciendi Sacramentum, quia talis intentionis in illis duobus casibus non fuit.

Resp. cum Hugone de S. Vict. duobus modis posse per iocum sacramenta conferri. *Primo*, ut is, qui confert, intendat quidem verè conferre Sacramentum, sed tamen propositam sibi habet recreationem, tanquam finem exterum illius actionis; sicut si Sacerdos verè intendat absoluere confidentem à peccatis, sed ob finem quæstus faciendo, *Secundo*, ut is qui confert, non intendat conferre Sacramentum, sed iocari & illudere. Prior ludus non impedit veritatem sacramenti, quia est extrinsecus actioni: posterior impedit, quia est intrinsecus. Ludus Athanasi fuit prioris generis, quia verè voluit baptizare, licet acceperit illam actionem pro materia ludi & oblationis. Hoc colligitur ex auctoribus citatis, qui scribunt Athanasium non quosuis pueros, sed solos catechumenos baptizasse, & omnes Ecclesiæ ceremonias adhibuisse. Idem dicendum est de altero exemplo.

5 Tertia Obiectio sumitur ex Augustino lib. 7. de Bapt. cap. 53. vbi non audet definire, an Baptismus per iocum collatus sit validus, sed dicit expectandam esse Dei reuelationem. Resp. Augustinus aperte dicit se de ea re dubitare, quia in nullo Concilio res definita fuerat: nunc autem definita est in Concilio Tridentino loc. cit. & in Florentino in instructione Armenorum. Nec refert quod hæc Concilia non recipiantur ab aduersariis, quia neque Nicenum recipiebatur a Donatistis in causa Anabaptismi; & tamquam Augustinus ubique affirmat rem esse certam & definitam propter illius Concilij auctoritatem. Deinde cùm dicit pertendam esse Dei reuelationem, satis significat, non esse certum ex Scripturis, an Baptismus ioco collatus sine vera intentione conferendi, sit validus; & tamen aduersarij clamant certum esse ex Scripturis talem Baptismum esse ratum. Ergo ipsi potius repugnant Augustino quam nos.

6 Quarta Obiectio: Si efficacia Sacramenti penderet ab intentione ministri, nemo posset esse certus se accepisse verum Sacramentum, aut effectum Sacramenti, quia nemo potest

potest esse certus de intentione alterius. Resp. in hac vita non debemus querere certitudinem fidei de nostra salute & iustificatione ; sed sufficit certitudo moralis, ut suppono ex materia de iustificatione : & patet ex illo ad Philip. c. 2. v. 12. *cum matu & tremore salutem vestram operamini.*

Quinta Obiectio. Quando Princeps transigit contractum aliquem per ministrum, non requiritur intentio ministri ad valorem contractus, sed satis est, ut ipse externam actionem exequatur iussu sui Principis. v.g si princeps per suum famulum mittat mihi dono equum : non est necesse, ut famulus intentionem habeat donandi equum ; sed sufficit ut equum mihi à Principe donatum exhibeat. Ergo eodem modo loquendum est de ministro Sacramenti.

Resp. duobus modis fieri potest ut Princeps celebret contractum, vel perficiat aliquid negotium per ministrum, seu legatum. *Primo* ut minister tantum sit nuntius, qui referat voluntatem sui Principis. *Secundo*, ut accipiat potestatem à suo Principe tractandi & transfigendi negotium pro suo arbitrio , nomine sui Principis. Priori modo non requiritur intentio ministri, sed posteriore. Minister autem Sacrorum habet se posteriore modo : quia quicquid ipse fecerit nomine sui Principis , hoc habetur ratum à Principe.

7 Secunda Conclusio. Ad valorem Sacramenti non requiritur formalis, & expressa intentio conferendi effectum Sacramenti, sed sufficit ea, de qua dictum est : quia si quis intendat alicui conferre sacramentum Baptismi , etiam si nolit conferre illi characterem & gratiam iustificantem, tamen Baptismus erit validus, nisi ex parte suscipientis impedimentum sit.

8 Dices : D. Thomas art. 8. videtur contrarium sentire. Afferit enim externam actionem Sacramenti , cum ex se indifferens sit ad varios effectus , debere determinari ad effectum Sacramentalem per intentionem Ministri. Resp. valde obscurum est de qua intentione loquatur D. Thomas. Tres sunt expositiones. *Prima* eum loqui de prima tantum intentione , id est , de intentione faciendi externam actionem , ita ut secunda & tertia intentio non sit

necessaria ad valorem Sacramenti. Hoc colligitur ex responsione ad secundum , vbi dicit ministrum agere in persona totius Ecclesiae ; & ideo satis esse si proferat verba Sacramentalia in quibus exprimitur Ecclesiae intentio.

Secunda expositio est, eum loqui de secunda intentione, id est , de intentione conferendi Sacramentum : hoc colligitur ex respons. ad i. vbi dicit ministrum non esse instrumentum inanimatum , sed animatum : & ideo debere seipsum applicare ad opus, per intentionem faciendi quod facit Ecclesia. *Tertia est*, eum loqui de tertia intentione, id est , de intentione conferendi effectum Sacramentalem. Hoc colligitur ex corpore articuli , vbi dicit actionem externam debere ad hunc effectum determinari per intentionem ministri.

Mihi placet *secunda expositio* : *Prima* valde fauet haereticis : *Tertia* non videtur necessaria. Quod autem dicit D. Thomas ministrum agere in persona totius Ecclesiae , ac proinde satis esse si proferat verba Sacramentalia , quibus exprimitur intentio Ecclesiae : non debet sic intelligi, quasi id sufficiat ad valorem Sacramenti : quia hoc falsum est, ut ex dictis patet : sed quia sufficit ad pacandum animum suscipientis Sacramentum , qui quando audit ministrum proferentem formalia verba Sacramenti , presumit Sacramentum esse validum.

Similiter quod dicit D. Thomas externam actionem debere determinari ad effectum Sacramentalem per intentionem ministri ; potest sic explicari , ut per effectum Sacramentalem non intelligat gratiam iustificantem , sed ipsum esse Sacramenti , quod est effectus ministri : Hoc sensu intendere effectum Sacramentalem nihil aliud est , quam intendere ipsum Sacramentum per propriam actionem confidere.

Q V A E S T I O I V .

Qualis debeat esse intentio Ministri?

*I*ntentio variè diuiditur. *Primo*, in actualē, habitualem, & virtualem. *Secundo*, in absolutam & conditio-
natam.

patam. *Tertio*, in veram & falsam, id est, in eam, quæ oritur ex vera cognitione, & quæ ex errore.

Prima Conclusio. Non requiritur necessariò actualis intentio ad conficiendum: nec sufficit habitualis: sed virtualis requiritur & sufficit; quamuis danda sit opera ut actualis habeatur. Ita Schol. in 4. d. 6. Actualis dicitur, quando quis eo tempore quo conficit Sacramentum, actu cogitat de illo confiendo, & simul vult conficere. Hæc quidem perfectissima est, sed tamen non requiritur, cum non sit semper in nostra potestate. Nam moraliter loquendo non possumus cauere, quin distrahabatur aliquando nostra cogitatio, etiam quando res sanctissimas tractamus. Habitualis dicitur promptitudo quædam acquisita per præcedentes actus, qualis etiam in dormientibus esse potest. Hæc non sufficit, quia non potest concurrere ad externam actionem Sacramentalem, nisi mediante interno actu voluntatis, quem supponimus non adesse. Virtualis dicitur, quando actualis intentio in præsenti non adest propter aliquam mentis euagationem: tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius sit operatio. Hæc sufficit cum actualis abest.

2. Dices: videtur etiam sufficere intentio habitualis, qualis est in dormiente, vel ebrio. *Primo*, quia D. Thom. art. 8. ad 3. expressè hoc dicit. *Secundo* idem docet August. tral. 5. in Ioan. vbi dicit Baptismum ab ebrio datum esse validum, *Tertio*, quia Baptismus, quem ebrius & amens suscipit, validus est, si priùs habuerit intentionem suscipiendi. Ergo etiam validus est, quem ebrius aut amens conficit, si priùs habuerit intentionem conficiendi.

Resp. *Primo* D. Thom. per habitualem intentionem inteligit virtualem, ut ipse se explicat. Nam solum meminit intentionis actualis & habitualis. Alij Scholastici maioris claritatis gratia fecerunt trimembrem distinctionem, & virtualem appellarunt, quam D. Th. vocat habitualem: & addiderunt aliam habitualem, quam D. Thomas omisit. Resp. *Secundo*, Aug. non loqui de ebrio, sed ebrioso. Sicut enim homicida, aut fur potest validè baptizare, si habeat intentionem actualem aut virtualem, ita etiam ebriosus.

Resp. *Tertio*, non esse simile de conferente & suscipiente Baptismum. Nam qui suscipit, non est principium efficiens Sacramentum, sed est tantum subiectum: ac proinde in illo non requiritur intentio, quæ sit principium actionis humanæ, sed quæ tantum sit dispositio ut subiectū sit capax Sacramenti. At vero in ministro conferente requiritur talis intentio, quæ sit principium externæ actionis humanæ.

Dices *secundo*, si requiritur intentio, quæ sit principium externæ actionis. Ergo requiritur talis intentio, quæ influat in externam actionem. Ergo intentio virtualis non sufficit, quia illa non potest influere in actionem externam, quæ iam fit. Nam intentio virtualis nihil aliud est, quam actus præteritus, qui censetur moraliter manere, quamdiu non reuocatur. Actus autem præteritus non potest influere in actionem præsentem.

Resp. intentio virtualis non potest physicè influere in actionem externam Sacramentalē, ut bene probatur: potest tamen influere moraliter. Nam ex vi primæ intentionis actualis incipit homo explicare se ad Sacramentum conficiendum; & progressu temporis licet interrumpatur actualis intentio, censetur tamen manere moraliter, quatenus vi illius continuatur & perficitur externa actio sacramentalis.

4 Dices *tertio*, externa actio non solum in fieri, sed etiam in conseruari pendet ab intentione, seu voluntate interna. Ergo sicut externa actio non potest inchoari sine actuali intentione: ita neque confervari & perfici. Propter hoc argumentum quidam putant actualem intentionem relinquere post se aliquam virtutem actiuam, quæ sit principium actionis externæ. At difficile est explicare, quæ & qualis sit illa virtus, & in quo subiecto recipiatur. Richardus in 4.d.6. art.1.q.3. ad 2. dicit esse quandam qualitatem, seu dispositionem ac veluti impetum, qui vi actualis intentionis imprimitur exterioribus organis potentiae motiua: & durat cessante actuali intentione. Sicut in lapide projectile imprimitur aliquis impetus ab actione proiicientis, per quem impetus effectiū continuatur motus lapidis, etiam cessante actione proiicientis.

Resp.

Resp. Non opus est fingere huiusmodi impressam qualitatem in potentiis exterioribus, neque necesse est, ut externa actio semper pendeat ab actuali intentione in conservari. Quando enim minister Sacramenti per debitam intentionem semel applicuit externas potentias ad actionem Sacmentalem: tunc etiam si interrumpatur actualis intentio, tamen potentiae manent applicatae, & continuant suos motus, donec vel perficiant illos, vel per contrariam intentionem, aut aliquod superueniens impedimentum interrumpantur. Hoc sensu actualis, quae iam interrupta est, dicitur virtualiter manere, quia vi illius perseverat actio externa, quae per illam fuit inchoata.

5 Secunda Conclusio. Ad efficiendum Sacmentum necessaria est intentio absoluta: neque sufficit conditionata, nisi talis sit, quae statim transeat in absolutam. Prima pars patet, quia intentio debet esse efficax, at sola absoluta est efficax. Ergo illa est necessaria. Secunda pars explicatur, quia conditio apposita intentioni, vel est de præterito, vel de praesenti, vel de futuro.

Si est de præterito, vel praesenti, necesse est, ut vel omnino destruat intentionem, vel ut illam relinquat absolutam & efficacem. Nam si conditio illa nec fuit, nec est, iam destruit intentionem, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est. Si vero conditio illa vel fuit, vel est, iam intentio transit in absolutam, quia voluntas sub conditione, posita conditione fit absoluta. Hoc modo fit, quando quis baptizat alterum sub hac conditio: Ego te baptizo si non es baptizatus. Nam si baptizatus non est, intentio fit absoluta, & perficit Baptismum: si autem baptizatus est, intentio destruitur, & non perficit Baptismum.

Iam vero si conditio apposita fit de futuro, semper est contraria substantia Sacramenti, & nihil efficit. Ut v.g. Si quis dicat: Ego te absoluo a peccatis si restitutionem feceris. Ratio est. Quia conditio de futuro suspendit presentem intentionem, & facit ut minister in praesenti non habeat voluntatem faciendi Sacmentum. Ergo in praesenti non fit Sacmentum.

6 Queres: An si postea impleatur conditio, tunc saltem fiat Sacramentum? Respondeo negatiuè. Ratio est, quia non potest fieri Sacramentum, nisi adsit materia & forma Sacramenti. At postea, cùm impletur conditio, non adest materia & forma Sacramenti, quippe quæ iam præteriit. Ergo tunc non fit Sacramentum.

7 Circa hanc conclusionem disputari solent aliquot curiosæ quæstiones. Prima, An hæc intentio conditionata sufficiat ad Sacramentum: Ego te baptizo si es prædestinatus, videtur sufficere, si conditio est posita: nec refert, quod nos ignoremus, an posita sit, nec ne. Nostra enim cognitio vel ignorantia, nihil facit ad valorem Sacramenti: alioqui non esset verus Baptismus, si quis ita diceret: Ego te baptizo si non es baptizatus, præsertim si baptizans ignoraret, an conditio illa posita esset, nec ne.

Aliqui tamen negant sufficere intentionem supradictam. Ratio est, quia conditio, quæ apponitur in actionibus, vel contractibus humanis, debet esse talis, ut humano modo cognosci possit: alioqui semper essemus incerti de valore actionum & contractuum humanorum. Atqui illa conditio: Si tu es prædestinatus; nequit humano modo cognosci. Ergo nequit sufficere ad valorem actuum & contractuum humanorum.

8 Secunda quæstio curiosa est: An hæc intentio conditionata sufficiat ad Sacramentum: Ego te baptizo si es Catholicus, non autem, si es hæreticus. Negat Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 8. Ratio, quia, qui sic baptizat, non intendit facere, quod facit Ecclesia, ergo nihil facit. Antecedens probatur. Quia Ecclesia intendit, ut Sacramentum sit validum, etiamsi conferatur hæretico, cuius contrarium Minister ille intendit. Aliis tamen non placet hæc sententia, quia si talis conditio reuera ponitur in hoc baptizando, iam intentio Ministeri transit in absolutam. Ergo absolute intendit baptizare illum. Ergo nihil deest ad rationem Baptismi, si materiam & formam applicet, quod suppono illum facere.

Dices: Non intendit omnia, quæ intendit Ecclesia. Respondeo. Satis est, quod circa hunc Catholicum intendit

tendit facere, quod facit Ecclesia, videlicet baptizare: quia valor huius Baptismi in individuo non pendet ex intentione generali circa omnes homines: sed solum ex intentione particulari circa hunc Catholicum.

Confirmatur, quia quod nolit hunc baptizare, si est haereticus, potest fieri, vel ex priuato errore, quo putat haereticos non esse baptizandos: vel ex odio quo prosequitur haereticos. Neutrum obstat, tum quia error non impedit, nisi destruat aliquid corum quae sunt de substantia subiecti: tum quia qui ex odio non vult baptizare haereticum, reuera non baptizat, cum non habeat intentionem.

Dices: Non virtutur vera forma qui sic baptizat: Ego te baptizo si Catholicus es, non autem, si haereticus es. Respondeo. Illa conditio apposita, nec est pars formæ, nec illam aut mutat, aut destruit.

9. Tertia Conclusio: Ut Sacramentum sit validum, necesse est, ut intentio Ministri dirigatur ad certam aliquam personam vel materiam, circa quam versetur absque substantiali errore. Prima pars patet ex ipsis formis Sacramentorum: *Baptizo te: Absoluo te.* Nam illa pronomina designant determinatam personam ad quam dirigi debet intentio Ministri. Similiter in forma Eucharistie primum *Hoc* designat determinatam materiam consecrandam. Ratio communis est, quia intentio Ministri debet esse efficax & operativa. Operationes autem sunt circa singularia.

Secunda pars, videlicet quod intentio debeat esse sine errore substantiali, probatur, quia si intentio caderet in hanc materiam vel personam, & actio Sacramentalis versaretur circa aliam, iam talis actio non procederet ex tali intentione: ac proinde esset actio sine intentione, quod est contra valorem Sacramenti.

Dices: Licet error substantialis sit contra valorem matrimonij: non tamen videtur esse contra valorem absolutonis: Nam valida esset absolutio, si absoluverem Petrum legitimè mihi confitentem peccata sua, etiam si ego putarem esse Paulum, qui mihi confiteretur: & hoc modo errarem in persona.

Respondeo: Hoc totum pendet ex intentione. Nam si

ego intendam absoluere illam personam quæ mihi confitetur, etiam si nesciam quæ sit illa persona, valida est absolutio, quia intentio directè fertur in personam confitentem. Vnde error ille, quo puto personam illam esse Pauli, cùm sit Petri, non est substantialis, sed accidentalis. Si autem præcisè intendo absoluere personam Pauli, excludendo omnes alias personas, tunc nulla erit absolutio, nisi persona Pauli confiteatur. Vnde si tali casu Petrus confiteretur, non esset absolutus.

QVÆSTIO V.

An fides & probitas Ministri requiratur ad valorem Sacramenti?

1 **P**rimus error est, non esse valida Sacra menta, quæ conferuntur ab Hæreticis & Schismaticis post eorum separationem ab unitate Catholica. Ita olim docuerunt Asiatici, teste Eusebio lib. 7. hist. c. 6. Et Africani, teste Augustino lib. 2. de Baptismo, cap. 7. vbi etiam indicat primum auctorem huius erroris fuisse Agrippinum Episcopum Carthaginensem, sancti Cypriani prædecessorem. Hunc secutus est sanctus Cyprianus cum multis Africæ Episcopis, sic tamen ut non propterea se separaret ab unitate Ecclesiæ, ut ipsemet fatetur in epistola ad Quintum; & in epistola ad Pompeium; vnde nunquam hæreticus habitus est; imò multi putant eum postea reuocâsse sententiam, ut testatur Diuus Augustinus epistola 48. ad Vincentium. Cæteros Episcopos, qui adhæserant Cypriano, constat errorem reuocâsse, permotos auctoritate Stephani Romani Pontificis, ut scribit D. Hieron. in dialogo contra Luciferianos. Secuti sunt paulò post Donatistæ, qui pertinaciter eundem errorem tenuerunt & auxerunt, ut passim patet apud D. Augustinum tom. 7.

2 Secundus error est, non esse valida Sacra menta quæ conferuntur ab hominibus existentibus in peccato mortali, siue sint Catholici, siue Hæretici & Schismatici. Ita ualiqui ex Donatistis, teste Augustino lib. 2. contra Grammat. cap. 28. Item Apostolici, teste Diuino Bernardo

Bernardo serm.66.in Cant. Item Albigenses , teste Antonino in summa Theologica pag.4.titolo 11.cap. 7. §. 5. Huc etiam referri potest error Vuiclesi, qui docuit non esse valida Sacramenta quæ conferuntur à præscitibus , siue iusti sint , siue impij ; sed ea tantum, quæ conferuntur à prædestinatis , vt patet ex Concilio Constantiensi, sess.8. & ex Thoma Vualdensi tom.2.cap.14.

3 Tertius error est, Hæreticos aut malos Ministros posse quidem validè conferre Sacramentum (quod est contra primum & secundum errorem) non tamen effectum Sacramenti. Ita videntur sensisse Luciferiani, vt colligitur ex diuino Hieronymo *loco citato*, vbi refert hæc eorum verba : qui ipse peccator est, quomodo potest peccata dimittere? quomodo sanctum sacrilegus facit?

4 Prima Conclusio : Valor Sacramenti per se non pendet ex fide , vel sanctitate ministri ; ac proinde validum est Sacramentum quod confertur ab hæretico, vel schismatiko , vel peccatore , dummodo reliqua necessaria concurrant. Ita Augustinus & alij, contra Cyprianum & Donatistas, & definitum est in variis Conciliis. Solet autem tribus modis probari.

Probatur *primo*, ex traditione & consuetudine Ecclesiarum à temporibus Apostolorum. Hoc modo se præcipue defendit Stephanus Papa , vt fatetur Cyprianus in epistola ad Pompeium. Eodem argumento vtitur Augustinus , præsertim lib.2. de bapt. vbi sic habet : Si consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum ; & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem. Et Vincentius Lirinensis in commonitorio dicit , tantum valuisse apud Ecclesiam hoc argumentum ductum à traditione & consuetudine Ecclesiarum , vt hoc uno superata fuerit causa Cypriani, qui summa eloquentia, & frequentissimo sanctissimorum Episcoporum Concilio, & multis diuinæ Scripturæ locis , contra veritatem pugnabat.

Secundo , probatur ratione , quia minister Sacramentorum operatur autoritate & potestate à Deo accepta , vt omnes concedunt. Hanc autem potestatem non aufert Deus , propter peccatum aut infidelitatem ministri. Ergo

non obstante peccato, aut infidelitate potest minister confidere Sacramentum. Minor patet *primo*, quia Iudas peccator erat & reprobus; & tamen baptizabat, vt colligit Augustinus *tratt. 5. in Ioan. ex illo Ioan. 4. v. 2.* *Iesus non baptizabat, sed Discipuli eius.* Quod autem valide & efficaciter Iudas baptizarit, probat August. ex eo, quia non legimus rebaptizatos, quos ille baptizauerat. *Secundo*, patet eadem minor, quia potestas confidendi Sacra menta non est gratia gratum faciens, sed gratis data. Ergo potest consistere cum improbitate vitæ, sicut aliae gratiæ gratis datae. *Tertio*, quia potestas illa non datur in utilitatem ministri, sed aliorum. Ergo non debet auferri propter peccatum ministri; quia alij non debent puniri propter culpam alterius. *Quarto*, quia Deus non aufert potestatem iurisdictionis propter peccatum. *Petr. 2. v. 18.* *Subditi estote dominis non tantum boni, sed etiam dyscolis.* Ergo nec potestatem ordinis. Hæc enim minus dependet à probitate vitæ, quam illa. Minus enim dominantur passiones in Sacramentis ministrandis, quam in imperando.

Tertio probatu: à similibus exemplis. *Primo*, quia qui circumcisi erant à Samaritanis (qui habebantur hæretici apud Iudeos) non circumcidabantur iterum; sed admitebantur tanquam legitimè Circumcisi. August. lib. 1. contra Crescen. c. 31. Deinde, quia verbum Dei efficaciter prædicitur ab improbis. August. lib. 4. de bapt. cap. II. colligitur ex Philip. 1. v. 17. vbi dicitur: *Quidam ex contentione Christum annunciant.* *Tertio*, quia nihil refert ad efficaciam sementis & plantationis, an lotis, an folidis manibus fiat; modo bonum sit semen & terra fertilis. August. lib. 3. de bapt. c. 10. Et parum refert, vtrum aqua ad areolas irrigandas transeat per canalem lapideum, aut argenteum. August. *tratt. in Ioan.* Denique non minus rectè imprimet imaginem regis sigillum ferreum quam aureum; vt docet Nazianz. *in orat. de Bapt.*

5 Secunda Conclusio: Sicut valor Sacramenti non pendet ex fide, vel sanctitate ministri; ita nec effectus Sacramenti: ac proinde non solum validus est Baptismus qui confertur ab hæretico, vel improbo ministro: sed etiam effectum

effectum habet, si suscipiens non ponat obicem. Probatur primo, de effectu characteris. Nam ideo Baptismus ab heretico datus iterari nequit, quia imprimat characterem indelebilem.

Secundo probatur de effectu gratiae, quia Sacraenta semper conferunt gratiam non ponentibus obicem. Conc. Trident. *sess. 7. cap. 6. & 7.* Atqui Sacraenta data ab hereticis, vel inquis ministris sunt valida Sacraenta; ut probauit in prima Conclusione. Ergo semper conferunt gratiam non ponentibus obicem. Confirmatur exemplo parvulorum, qui a malis Ministris baptizati sunt: non enim rebaptizantur quando sunt in periculo mortis. Ergo vel gratiam iustificantem habent, vel relinquunt sine ullo remedio salutis, quod est absurdum.

6. Prima obiectio: *Eccles. 24. v. 4. Ab immundo quis mundabitur? Et v. 30. Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lauatio illius?* Et *Psal. 140. v. 5. Oleum peccatorum non impinguet caput meum.* Quibus testimoniiis vertebantur Episcopi Africani, ut constat ex libro Augustin. contra Donat. Confirmatur, quia nemo dat quod non habet. Sed heretici, & peccatores non habent gratiam & remissionem peccatorum. Ergo illam non dant. Ergo nec efficaciter ministrant Sacraenta.

Respondeo ad primum locum, Ministrum Sacramenti non mundare alios sua propria virtute, sed virtute Christi qui per Ministrum operatur. Ad secundum respondeo, verba illa non integrè citata esse ab Africanis. Textus enim sic habet: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Vbi particula illa, *Baptizari a mortuo,* non significat baptizari a malo Ministro, sed mundari a fardibus legalibus, ut sensus fit: qui mundatur a fardibus, & iterum tangit fardes, quid prodest illi ablutio? Ad tertium dico, per oleum peccatoris intelligi adulationem. Ad Confirmationem dico distingui minorem; licet enim heretici & peccatores non habeant gratiam iustificantem & remissionem peccatorum formaliter, habent tamen ministerialiter, quod sufficit.

Dices: Non videtur sufficere. Nam ministri Sacramentorum debent formaliter Spiritum sanctum habere, Ioan.

20.V.22. Accipite Spiritum sanctum; quorum remisitis peccata, remittuntur eis. Ergo etiam debent habere formaliter gratiam & remissionem peccatorum. Respondeo. Aliqui per Spiritum sanctum intelligunt potestatem remittendi peccata. Ita Chrysostomus & Cyrillus in illum locum. Hæc autem potestas potest esse formaliter in Ministro sine gratia & remissione peccatorum. Aliqui concedunt intelligi gratiam spiritus sancti, quia datur iis qui accipiunt ordinem Sacerdotalem, ut dignè administrent Sacra menta. Hinc tamen non sequitur, sacerdotes, qui perdunt gratiam spiritus sancti, simul etiam perdere potestatem remittendi peccata: quod si hanc non perdunt, validè administrant Sacramenta, licet non sine peccato, ut postea dicemus.

7 Secunda Obiectio: Hæreticus non est membrum Ecclesiæ. Ergo non potest operari ut minister Ecclesiæ, quia corpus non operatur, nisi per sua membra. Ergo non potest conferre Sacra menta, quia ministri Sacra mentorum operantur ut membra Ecclesiæ. Confirmatur, quia ubi non est vera Ecclesia, ibi non possunt esse vera Sacra menta: cùm Sacra menta soli Christi Ecclesiæ data sint. Sed apud Hæreticos non est vera Ecclesia. Ergo nec vera Sacra menta.

Respondeo. Licet hæreticus non sit membrum Ecclesiæ quoad substantiam, potest tamen esse quoad ministerium. Nam Christus non tantum per membra sibi coniuncta, sed etiam per abscissa operatur, eisque virtutem ad Ecclesiæ suæ utilitatem, ut patet ex Augustino lib. 1. de bapt. cap. 10. ubi dicit Christum assistere hæretico homini conferenti Sacra mentum iuxta ritum à Christo institutum propter ipsius ministerij, & Sacra menti sanctitatem.

Ad Confirmationem negatur maior, quia licet Sacra menta soli Ecclesiæ data sint, possunt tamen ab iis qui extra Ecclesiam sunt, impiè & iniuste usurpari. Vnde vera Sacra menta extra Ecclesiam inueniri possunt. Quamuis vbiunque sint, semper dicantur esse Sacra menta veræ Ecclesiæ. Simile est de Eu angelio, quod soli Ecclesiæ datum est, & tamen extra Ecclesiam ab Hæreticis impiè usurpatum.

8 Tertia Obiecto: Ex quibusdam Patribus. Primo, ex Atha

Athanasio lib. 3. contra Arrianos , vbi dicit baptismum ab' Arrianis datum esse inutilem. Secundo , ex Ambrosio, libro de tis qui ministerio initiantur , vbi sic habet : Non sanat Baptismus perfidorum. Tertio , ex Leone Papa epil. 77. ad Nicetum, cap. vlt. vbi dicit nullum haereticum posse dare sanctificationem per Sacramentum.

Respondeo. Athanasius ideo dicit baptismum Arrianorum esse inutilem, quia non confert gratiam illis qui illum accipiunt ab Arrianis, si in haeresin illorum consentiant. Eodem sensu loquuntur Ambrosius & Leo Papa.

QVÆSTIO VI.

An Minister, dum ministrat Sacramenta, teneatur esse in statu gratiae?

I. **D**Vplices sunt ministri Sacramentorum : alij ex officio deputati & consecrati sunt ad ministrandum: alij non item : de prioribus iam agemus , de aliis in sequenti dubio.

2. Prima Conclusio : Ministri , qui deputati sunt & consecrati ad ministrandum , tenentur esse in statu gratiae , quando volunt ministrare Sacra menta : & peccant mortaliter , quoties ministrant in statu peccati mortalis. Ita D.Thomas art.6.&c ali; passim. Probatur primo, ex Patribus. Dionysius cap.1. de Eccles. Hier. sic habet : Ipsosque Praefates iure Pontificio monemus , ut munda mundè contingant. Nicolaus Papa I. cap.vlt. 15. quest. 8. Maii bona ministrando se tantum iadunt. Gregor. cap. necesse est. 1. quest. 1. Necesse est, ut munda sit manus quæ diluere sordes curat. August.lib. 2. cont. Parmen. cap.10. Omnia Sacra menta cum ob sint indignè tractantibus , prosunt tamen per eos digne sumentibus. Et super Psal. 103. Videant quam rationem fini reddituri coram Deo , qui sanctis non sancte utuntur.

Probatur secundo , ratione , quia in veteri lege ad ministranda legalia & imperfecta Sacra menta requirebatur sanctitas & munditia legalis. Ergo in noua lege ad ministranda spiritualia Sacra menta requiritur sanctitas spiritualis.

tualis. Antecedens patet Leuit. 21. v. 6. Sancti erunt Deo suo, qui incensum & panes Dei sui offerunt. Et infrà v. 21. Omnis qui habet maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedat offerre hostias Domini. Et cap. 22. v. 3. Omnis, qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, in quo est immundicia, peribit coram Domino. Et exod. 19. v. 22. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificantur, ne pœnitet eos.

Probatur Tertio, à priori, quia qui in statu peccati mortalis ministrant Sacra menta, peccant contra duplex præceptum. Primo, contra Ecclesiasticum, quia Greg. 9. in cap. vii. de temporibus ordinationum dicit, monendos esse Sacerdotes iniquos, & sub interminatione diuini Iudicij obtestandos, si non pœnituerint, ut in suscep tis ordinibus non ministrent. Et cap. viii. de cohabitatione clericorum, & mulierum, dicit quemlibet Sacerdotem pro mortali peccato, quoad seipsum esse suspensum.

Secundò peccant contra ius naturale, quia supposita Sacramentorum sanctitate & ministrorum consecratione, ex natura rei sequitur obligatio, ut sanctè à ministris dispensentur. Si enim ministri per specialem consecrationem ad Sacra menta dignè ministranda dignè deputati sunt, & eo fine specialem gratiam accipiunt, necesse est, ut dignè ea ministrent. Confirmatur, quia grauem irreuerentiam facit Deo & Sacramentis, qui indignè ea tractat. Non enim discernit inter res sacras & profanas.

3 Secunda Conclusio: Qui ministrat Sacra mentum in statu peccati mortalis, ordinariè non committit duo peccata, sed tantùm unum, videlicet peccatum sacrilegij, Nota, duo peccata considerari posse in tali ministro: Vnum omissionis, quatenus non conteritur, ad quod videtur teneri ex præcepto affirmatiuo: Alterum commissionis, quatenus iniuriam facit Sacramento; quod videtur esse contra præceptum negatiuum.

Dicimus ergo ministru m ordinariè non committere hæc duo peccata, sed tantùm posterius, videlicet peccatum commissionis, quatenus indignè tractat Sacramento. Ratio est, quia non peccat propriè, nisi contra præceptum negatiuum. Nam præceptum affirmatiuum quo tenetur habere contri-

contritionem, per se tunc non obligat, sed tantum per accidentem. Neque illa obligatio oritur ex virtute Pœnitentia, sed religionis, quæ obligat ad Sacra menta dignè tractanda. Hinc sequitur, peccatum illud propriè loquendo esse peccatum commissionis, videlicet sacrilegiam administracionem Sacramenti. Nam omissione contritionis ibi interueniens non habet per se suam malitiam, sed est tantum circumstantia actus mali & priuari circumstantiis debitiss. Ita Dom. Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 6. conc. 4. Nau. in sum. cap. 22. num. 3. & alij recentiores.

4 Prima Obiectio : Diaconus & Subdiaconus non peccant mortaliter exercendo actum sui ordinis in peccato mortali, verbi gratia, canendo publicè Epistolam, vel Euangelium. Similiter qui habent quatuor minores ordines, non peccant mortaliter exercendo actus illorum ordinum in statu peccati mortalis. Ergo idem dicendum est de ministro Sacramentorum. Respondeo quod aliqui negant antecedens, vt D. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. vbi statuit hanc generalem regulam : Eum peccare mortaliter, qui aliquod sacrum officium, quod sibi ex ordine competit, in peccato mortali exequitur, quia indignè tractat res sacras, ac proinde sacrilegium committit. Sacrilegium autem ex suo genere peccatum mortale est. Idem sentiunt Angelus verbo Clericus 8. num. 1. Sylvestris verbo Clericus 2. n. 2. & Czietanus in 2. 2. quæst. 60. art. 2. in fine.

Alij concesso antecedente negant consequentiam, vt Dom. Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 6. & d. 24. quæst. 1. art. 4. vbi docet, Diaconos & Subdiaconos non peccare mortaliter canendo Epistolam, vel Euangelium in statu peccati mortalis ; quando sit sine scandalo & contemptu ; quia materia per se non est grauis, præsertim cum actio illa canendi non sit tam sancta, quam actio conficiendi Sacra menta.

5 Secunda Obiectio. Episcopus non peccat mortaliter conferendo primam tonsuram, aut consecrando Ecclesiam, aut benedicendo vestes sacras, etiamsi existat in statu peccati mortalis. Ergo nec conferendo Sacra menta. Aliqui negant antecedens, vt Medina c. de pœnitentia. træt. 1. quæst. 6. vbi dicit, Episcopum peccare mortaliter, quando conficit

96 CAP. V. DE SACRAMENTIS
cit Chrifma, benedicit oleum, aut consecrat Eccleſiam in
peccato mortali, quia iste actiones videntur graues, & duæ
prioræ videntur quodammodo Sacramentales, quatenus
per eas sacratur materia Sacramenti.

Alij contrarium sentiunt, quia tales actiones non ordi-
nantur proximè ad ſanctificationem per gratiam, ut actiones
Sacramentales; ac proinde non requirunt in Ministro
internam ſanctitatem. Ita Caiet. t. 2. opus. tract. 10. cui fauet
D. Thom. hic art. 6. ad 1. vbi reddit specialem causam cur
minister Sacramentorum peccet mortaliter adminiftrando
in ſtatu peccati mortalisi; quia ſcilicet actiones Sacramen-
tales singulari modo ſunt consecratæ; non videntur mi-
niftri earum peccare mortaliter, ſi eas exerceant in ſtatu
peccati mortalisi.

6. Tertia Obiectio; Concionator existens in ſtatu pecca-
ti, non peccat mortaliter prædicando Verbum Dei, nec
Prælatus corrigondo ſubditum; nec Iudex proferendo ſen-
tentiam. Ergo nec Parochus ministrando Sacramentum.
Aliqui negant Anteced. præfertim de ministro Verbi Dei.
Augustinus enim lib. 2. contra Parmen. cap. 11. videtur in hac
re pares facere miniftrum Sacramentorum, & Verbi Dei.
Et D. Thom. n. 4. d. 19. queſt. 2. art. 2. queſt. 2. ad 4. conſtituit
diſſerentiam inter doctorem, ſeu lectorum ſcripturæ, &
prædicatorem Verbi Dei, quod doctoſor non peccet mor-
taliter, etiamſi in peccato mortali ſuum munus exerceat,
niſi forte ratione ſcandali, quando eſt peccator publicus:
Prædicator vero peccet mortaliter, concionando in pec-
cato mortali, etiamſi peccatum fit occultum. Idem ſentit
Caiet. hic art. 6. Ratio eius eſt, quia munus prædicandi per
ſe eſt annexum Ordini, & potiſſimè confeſſationi Epifco-
pali: Nam licet ab aliis interdum exerceatur, non tamen
ex officio. Alij contrarium tenent, quia concionari, corri-
gere ſubditos, pronunciare ſententiam in iudicio, non ſunt
actiones Sacramentales: nec eſt aliqua lex quæ obliget ad
eas exerceendas in ſtatu gratiæ. Vide Dom. Sotum in 4. d. 1.
queſt. 5. art. 6. Medinam Cod. de pœn. 1. queſt. 5. & alios recen-
tores.

Q V A E S T I O VII.

An Minister, qui non ministrat ex officio, teneatur esse in statu gratiae?

1 **P**rima Conclusio : Probabile est huiusmodi ministerum, si in peccato ministret Sacramentum, peccare mortaliter : præsertim si aduertat se esse in peccato mortali. Si enim in subita necessitate non posset aduertere , tum excusaretur à peccato. Ita Dur.in 4.d.5.q.2.num.6. Et videntur idem sentire Palud.ibid.q.2.a.2.Capreol.q.1. a.1.concl.4. Adrian.q.3.de Bapt.in fine.Angelus verbo baptis.5.num 10.Nauar.de pœn.d.5.in princ.num.33. Ratio Durandi est, quia, qui cunque ministrat Sacramétum, etiam si laicus sit, facit hoc tanquam minister Christi ad hoc iustitutus. Ergo tenetur illud in gratia ministrare. Anteced. patet, quia Christus est principale agens, cui minister necessariò subordinatur. Sequela patet, quia tota ratio obligationis , cur minister debet esse in gratia , est hæc , quia est minister Christi , & actio Sacramentalis est sancta, quæ reuerenter tractari debet. Hæc autem ratio communis est omnibus ministris, siue sint consecrati, siue non sint.

Confirmatur , quia obligatio , qua quis tenetur dignè ministrare Sacra menta, per se non oritur ex consecratione ministri ; sed ex sanctitate Sacramenti & principalis agentis , & ex reuerentia illis debita , quam non minus debet minister non consecratus quam consecratus. Confirmatur id Primo, quia alioqui contrahentes matrimonium in peccato mortali , Sacramentum illud in peccato ministrando non peccarent mortaliter , quod videtur falsum. Secundo, quia alioqui Sacerdos non peccaret , quandocunque aliquid ficeret, ad quod non esset per se necessaria consecratio. Et sic licet posset dispensare Eucharistiam in peccato mortali, dummodo illam non conficeret aut sumeret : quia ad solam dispensationem non requiritur consecratio, cum fieri possit à Diacono , vel etiam ab inferiore clero, vel laico in necessitate.

2 **Secunda Conclusio.** Probabilis est cum qui propter
G necelli

necessitatem priuatim ministrat aliquod Sacramentum, non ut minister ex officio, sed eo modo quo laicus potest illud ministrare, non teneri esse in statu gratiae: ac proinde non peccare mortaliter, ministrando Sacramentum in statu peccati mortalis, siue aduertat se esse in tali statu, siue non. Ita D. Thom. hic art. 6. ad 3. Et in 4. d. 24. q. 3. quæstiunc. 5. Rich. in 4. d. 5. art. 3. quæst. 3. Sylvest. verbo Bapt. num. 4. Caiet. hic art. 6.

Fundamentum est, quia obligatio disponendi se ad gratiam propter Sacramentum conficiendum non oritur præcisè ex sanctitate Sacramenti per se considerata; neque ex eo qui confert Sacramentum, cum in ipso modo ministrandi gerat se ut persona specialiter, & ex officio deputata ad illud munus; ac proinde quod exhibeat se Publicum Christi & Ecclesiæ ministrum. Ratio est, quia huiusmodi minister cum per se & ex officio sit ad hoc munus institutus, & eo sine accipiat gratiam à Deo, merito obligatur ut cum debita reverentia, & sanctitate id faciat; ac proinde si aliter facit, grauem irreverentiam committit. At verò quando personæ priuatæ permittitur Sacramentum dare in casu necessitatis, non censetur illi commissa ministratio Sacramenti; sed tantum concessa ut subueniat alteri in necessitate constituto; & ideo non debet illi tanta obligatio imponi: sed satis est si sine contemptu & cum debita intentione & exteriori reverentia Sacramentum administret.

Confirmatur, quia hæc obligatio disponendi se ad gratiam propter Sacramentum ministrandum, partim oritur ex precepto Ecclesiastico, partim ex naturali, ut dictum est. Sed preceptum Ecclesiasticum solum intelligitur de ministris consecratis: naturale verò speciale vim habet in consecratis, quam non habet in aliis, ac proinde non debet ad alios rigidè extendi.

Ad rationem Durandi Resp. neminem quidem posse ministrare Sacraenta, nisi ex institutione Christi & virtute illius tanquam principalis agentis: nihilominus quosdam esse per se & ex officio ad hoc munus deputatos & consecratos, quibus incumbit specialis obligatio mini-

ministrandi Sacramentum in statu gratiae: alios vero, quibus solùm ex accidenti, & propter necessitatem proximi hoc munus permittitur, non grauandos esse hac obligatione, quia per se ad illos non pertinent haec cura & administratio.

Ad Confirmationem. Resp. licet haec obligatio oriatur ex sanctitate Sacramenti, & principalis agentis: non tamen oritur respectu cuiuscunque, sed tantum illius, qui per se est ad hoc munus deputatus, & consecratus. Vnde licet omnes teneantur debitam reverentiam exhibere Sacramento, & Christo auctori eius: non tamen idem modus reverentiae ab omnibus exigitur, sed ab unoquoque iuxta suum statum & capacitatem.

Ad illud quod adfertur de ministro matrimonij, duplum responderi potest. Nam aliqui concedunt ipsos contrahentes esse per se & ex primaria institutione ministros illius Sacramenti: & ideo grauiter peccare non solùm recipiendo, sed etiam ministrando illud in peccato mortali. Alij respondent contrahentes non esse per se consecratos ad Sacramentum conficiendum; sed eos hoc facere per accidens, quatenus celebrant contractum ciuilem, cui ratio Sacramenti annexa est. Vnde licet peccent mortaliter recipiendo Sacramentum Matrimonij in peccato mortali, non tamen ministrando. Ita Dom. in 4.d. 1. quæst. 5. art. 6. in fine.

Quod attinet ad Sacerdotem, qui publicè dispensat Eucharistiam in statu peccati mortalis, certum est illum peccare mortaliter: quia specialiter consecratus est ad illam dignè dispensandam. Ita Palud. in 4.d. 13. quæst. 1. Dom. Sotus ibid. art. 3. & alij.

Quod si laicus in necessitate deferat Eucharistiam ad ægrotum, non peccat mortaliter, etiam si id faciat in statu peccati mortalis. Ita Palud. in 4.d. 5. q. 2.

Ratio, quia non est consecratus ad hoc officium: sed solùm in casu necessitatis illud exercet ut possit proximo subuenire.

QVÆSTIO VIII.

*An Minister peccet mortaliter conferendo Sacra-
mentum indignis?*

- 1 **V**Idetur ex duplice capite peccare. *Primo*, quia sacrilegium committit indignè tractando Sacramentum. *Secundo*, quia cooperatur alterius peccato. Vtrumque examinandum est.
- 2 Prima Conclusio. Minister Sacramentorum, per se loquendo, habet proprium & speciale præceptum, quo prohibetur indignis ministrare Sacramentum: ac proinde si sciens ac volens indignis ministret, peccatum sacrilegij committit. *Prima pars est certa & communis*: quia præceptum naturale est, ut dispensator, qui bona domini sui dispensat, sit fidelis & prudens in dispensando. Ergo præceptum naturale est, ut non dispenset homini indigno contra voluntatem & institutionem sui Domini, quia hoc esset contra fidelitatem & prudentiam, quam in dispensando debet seruare. Cùm ergo non velit Sacraenta sua dispensari indignis, non potest minister si fidelis esse vult, contra hanc voluntatem facere.

Huc referri potest illud Matth. 7.v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Secunda pars probatur, quia is dicitur sacrilegium committere, qui violat rem sacram per aliquam irreuerentiam.* D. Thom. 2. 2. qu. 99. art. 2. & 3. Atqui minister conferens Sacramentum homini indigno violat rem sacram per quandam irreuerentiam. Ergo sacrilegium committit.

- 3 Quæres: An hoc intelligatur de solo ministro consecrato, qui ex officio ministrat: Ratio dubitandi est, quia solus minister consecratus peccat mortaliter, quando ipse existens in peccato mortali Sacramentū ministrat. Ergo etiam ille solus peccabit mortaliter, quando ministrat aliis indignè accendentibus. Resp. non sequitur. *Primo*, quia consecratio tenet se tantum ex parte ministri, non autem ex parte recipientium. *Secundo*, quia qui ministrat homini indigno, siue sit consecratus ad ministrandum, siue non, semper pec-

eat dupliciter. *Primo*, contra sanctitatem Sacramenti, quia contaminat illam porrigendo homini indigno. *Secundo*, contra fructum, seu effectum Sacramenti, quia Sacramentum non confert gratiam homini alicui indigno.

Aliqui etiam contra valorem Sacramenti, quia absolutione data homini indigno, non est valida. Qui autem existens in peccato mortali ministrat Sacramentum homini disposito, non facit contra valorem, aut effectum Sacramenti, sed tantum contra sanctitatem, praesertim si sit consecratus ad ministrandum. Nam si consecratus non est, non tenetur ex sua parte esse in statu gratiae, ut ex dictis patet.

4 Prima Obiectio. Christus porrexit Eucharistiam Iudeo proditori quem sciebat esse indignum, & tamen non commisit sacrilegium. Ergo non est peccatum sacrilegij conferre Sacramentum homini indigno. Idem dicendum est de Sacerdote, qui publice dispensat Eucharistiam omnibus accedentibus, & neminem potest repellere, etiam si sciatur esse indignum aliquem.

Resp. tametsi minister Sacramenti per se loquendo non potest conferre Sacramentum homini indigno, ut in conclusione dixi: tamen per accidens aliquando potest, vide-licet ad vitandum scandalum, vel iniustum proximi infamacionem. Hoc patet in exemplo allato. Nam si Sacerdos publice negaret alicui Eucharistiam propter aliquid peccatum occultum, infamaret eum: quod est contra charitatem & iustitiam. Ergo ad cauendam hanc infamacionem necessariò urgetur conferre Eucharistiam homini quem videt indignè accedere.

Ratio huius est, quia quando duo præcepta simul concurrunt, quæ ambo seruari non possunt: tunc illud seruandum est, quod magis urget; & si seruetur, cessat alterius obligatio. Hoc modo confessarius potest omittere sacram die festo, & assistere a groto periclitanti, si utrumque præstare non possit. Atqui in casu proposito concurrunt duo præcepta: alterum de non infamando proximo: alterum de non porrigenda Eucharistia homini indigno: & illud prius magis urget. Ergo seruandum est, & si seruetur, cessa-bit alterius obligatio.

Minor probatur , quia illud censetur magis vrgere , quo violato plus mali sequeretur . Sed , si Sacerdos publicè infamaret proximum de occulto crimine , repellendo illum à communione , plus mali sequeretur . *Primo* , quia ipse exponit se periculo errandi . Nam quid si alter confessus sit peccatum occultum ? quid si interius conteratur & poeniteat ? Hoc enim tam potest Sacerdos præsumere , quam contrarium . *Secundo* , quia publicè infamat alterum . *Tertio* , quia alter , si contritus sit , iniuste repellitur ; si obdutatus , magis obduratur : magis indignatur ob infamiam , & nihilominus retinet propositum indignè communicandi . *Quarto* , quia res non caret scandalō . *Quinto* , quia potest esse suspicio Sacerdotem agere contra sigillum Confessionis , quippe qui repellat hominem propter occultum peccatum : quod verisimile fit illum scire ex Confessione . Hæc omnia mala cauentur si admittat illum ad communionem .

5 Secunda Obiectio . Catholicus potest hæreticam duce-re in vxorem sine peccato ; & tamen constat hæreticam indignè accedere ad Sacramentum matrimonij . Ergo non est sacrilegium Sacramentum indigno homini conferre . Aliqui concedunt in Germania id licitè fieri posse , præser-tim si accedat dispensatio Pontificis .

Respondeo , Catholicus ducendo uxorem hæreticam peccat quatuor modis . *Primo* , quia violat Sacramentum matrimonij . *Secundo* , quia facit contra prohibitionem Ecclesie . *Tertio* , quia exponit se periculo hæreseos . *Quarto* , quia præbet aliis scandalum . Tria posteriora peccata pos-funt caueri in Germania . Nam prohibitio Ecclesiastica non est hic in usu : & multi sunt viri graues & constantes , in quibus non est periculum subuersioneis ; nec est magnum scandalum contrahere matrimonium cum hæreticis , quod passim fit .

6 Manet difficultas de primo peccato , quod est sacrile-gium . Hoc enim non videtur caueri posse , nisi forte per ignorantiam . Si enim sacrilegium committit , qui homini indigno confert Baptismum , Eucharistiam , vel Absolutio-nem , cur non similiter , qui confert Sacramentum matri-monij , præsertim quando nulla est necessitas conferendi ?

Dices :

Dices: quid si magna speretur utilitas ex tali matrimonio? Resp. non videtur sufficere; quia non licet heretico dare Eucharistiam, etiam si maxima utilitas inde sequeretur.

Dices *secundo*, quid si spes sit conuersionis? Resp. tantum est spes ex parte coniugis Catholicus, quod si speret cum Dei gratia se effesturum, ut vxor heretica paulatim conuertatur, non sufficit. Si autem spes est ex parte coniugis hereticæ, quæ ita effecta sit, ut seriè cupiat esse Catholica; nec aliud optet, quam in fide instrui & confirmari, abunde sufficit. Ratio, quia in priori spe vxor persistit adhuc heretica, ac proinde in statu peccati mortalis; non autem in posteriori spe.

7 Quarta Obiectio: Si non licet ministrare Sacramentum indignè accendentibus, minister semper erit perplexus, præfertim quando non constat an accidentes sint indigni necne. Resp. quando non constat accidentes esse malos, tunc præsumendum est esse bonos.

8 Secunda Conclusio: Minister, per se loquendo, non potest dare Sacramentum indigno, ne cooperetur peccato illius. Ratio est; quia qui indignè recipit Sacramentum, peccat mortaliter. Ergo qui cooperatur ad talem receptionem, cooperatur ad peccatum: At nemo magis cooperatur ad talem receptionem, quam minister qui dat Sacramentum. Ergo minister cooperatur ad alterius peccatum. Vnde sequitur dupli titulo illum peccare, tum quia agit contra proprij officij obligationem; tum etiam quia iuuat alterum ad peccandum.

Dices: hinc sequeretur Christum cooperatum esse ad peccatum Iudei, quia dedit illi Eucharistiam quam ille indignè recepit. Respondeo, Christus cooperatus est Iudei ad susceptionem Eucharistie, non tamen ad indignam susceptionem, ac proinde neque ad peccatum. Nam ille dicitur cooperari ad indignam susceptionem, qui, cum sciat alterum indignè suscipere, vult tamen illi dare Sacramentum, sineulla necessitate, cum deberet negare: Qui autem moraliter non potest negare, sed sola necessitate coactus, dat alteri Sacramentum, non cooperatur ad indignam

Q V A E S T I O I X .

Quinam sint capaces Sacramentorum?

1 **H**Ae tenus dictum est de Ministro; nunc de re-
cipienti.

Prima Conclusio: Soli homines viatores sunt capaces
Sacramentorum. Est communis sententia. Ratio, quia Sa-
cramenta instituta sunt ad gratiam dandam, vel augendam.
Sed solis hominibus viatoribus potest dari gratia, vel au-
geri. Ergo pro illis solis instituta sunt Sacra menta.

2 Dices: Sacramentum potest separari ab effectu suo.
Ergo ex eo quod quis non est capax effectus Sacramentalis,
non recte colligitur quod non sit capax Sacramenti.
Confirmatur, quia aliqui docent Beatam Virginem post
conceptionem Filij sui non fuisse amplius capacem aug-
menti gratiae, & tamen non negant fuisse capacem Sacra-
menti. Resp. quamvis Sacramentum de facto separari pos-
sit ab effectu suo; non tamen iure; quia est contra institu-
tionem Christi. Sic enim ipse Christus instituit Sacra men-
ta, ut infallibiliter conferant gratiam suscipientibus, nisi
ipsi ponant obicem; quod facere non deberent. Vnde, qui
ex Christi institutione aut voluntate est in tali statu, ut mora-
liter non sit capax gratiae, vel augmenti gratiae; conse-
quenter etiam non est capax Sacramenti.

Ad Confirmationem. Resp. falsum esse Beatam Virginem
post conceptionem Filij non fuisse capacem augmenti
gratiae; alioqui toto reliqua vita tempore fuisset extra sta-
tum merendi; quod est absurdum.

3 Dices: Secundo, Apostoli acceperunt Sacramentum
baptismi, & tamen non acceperunt gratiam iustificantem,
qua deleret peccatum originale: quia iam antea liberi
erant ab illo peccato. Ergo aliquis potest esse capax Sacra-
menti, qui tamen non sit capax effectus Sacramentalis.
Resp. non solum prima gratia, sed & augmentum illius po-
test esse effectus Sacramentalis. Itaque Apostoli, sicut erant
capaces

capaces Baptismi, sic erant capaces etiam gratiae Baptismalis, quae non semper est prima gratia, sed aliquando augmentum primæ gratiæ, ut ante dixi q.62.dub.7.conc.3.

4 Secunda Conclusio: Omnes homines viatores sunt capaces trium Sacramentorum. Ratio, quia omnes sunt capaces Baptismi, Confirmationis & Eucharistiae.

Dices: Infantes in utero materno existentes non sunt capaces ullius Sacramenti, quia nec baptizari possunt in illo statu, nec cetera Sacra menta possunt conferri ante Baptismum. Resp. Conclusionem intelligi de viatoribus in foro Ecclesiæ; quales non sunt dicti infantes.

5 Dices secundo, omnes viatores non tantum sunt capaces Baptismi, Confirmationis & Eucharistiae, sed & aliorum Sacramentorum. Resp. hoc verum esse de capacitate physica, non de morali. Nam foeminae moraliter non sunt capaces Ordinis, nec religiosi sunt capaces matrimonij: nec sani, Extremæunctionis: nec Beata Virgo fuit capax confessionis & absolutionis.

Q V A E S T I O X.

Quan tum dispositio requiratur in suscipiente, ut Sacramentum sit validum?

1 IN parvulis nulla requiritur dispositio: de solis adultis est quæstio. Quæri potest primo, an interior consensus requiratur, seu intentio suscipiendi Sacramentum. Secundo, an præter hanc intentionem requiratur etiam fides. Tertio, an etiam sanctitas. Aliqui putant nihil horum requiri, nec quidem intentionem suscipiendi: sed sufficere si quis non habeat contrariam voluntatem. Vnde si quis gentilis adultus, qui nihil unquam de Baptismo audiuit vel cogitauit, dormiens baptizaretur, validum fore Baptismum. Ita Caiet. infra q.68.art.7. Probatur primo, quia valorem Baptismi in parvulis non pendet ab illa dispositione, Ergo nec in adultis. Licet enim sit differentia inter parvulos & adultos, quoad effectum Sacramenti; non tamen videtur esse quoad substantiam & valorem. Secundo, quia Extrema unctione potest conferri homini ægroto qui iam

vsum rationis amisit, licet ante non habuerit intentionem accipendi hoc Sacramentum. Satis enim est, quod contrariam voluntatem non habuerit. *Tertio*, quia Concil. Florentinum docet Sacraenta tribus rebus perfici, vide- licet forma, materia & ministro habente debitam intentionem. Ergo ex hac sententia Concilij non requiritur intentione suscipientis. *Quarto*, quia Innocentius Papa nihil aliud requirit in suscipiente, nisi ut non habeat contrariam voluntatem, ut patet *ex c. Maiores, de Baptismo*: vbi sic habet: *tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrarie voluntatis non inuenierit.*

Imò sunt, qui putant non obstat contrariam voluntatem, ut glos. *in cap. solet. de consecr. d.4.* vbi dicit sufficere intentionem baptizantis, qualemcumque intentionem habeat baptizatus. Etiam si inuitus baptizaretur; & hoc probat *ex cap. de Iudeis. q. 45.* Item glos. *in cap. Maiores, de Bapt.* vbi dicit: *Si quis ore consentiat, quamvis corde dissentiat, nihilominus Sacramentum recipere: quia Ecclesia illud dare intendit.* Et sic interpretatur *cap. sicut filii. p. q. 1.* & *cap. solet. de consecr. d. 4.*

2 Prima Conclusio: Ad valorem Sacramenti necessare est ut recipiens habeat intentionem, seu voluntatem recipiendi: siue illa intentio sit formalis, siue virtualis & interpretativa. Ita D. Thom. *q. 68. art. 7.* Et alii Schol. *in 4. d. 4. & 6.* qui, tametsi potissimum loquantur de Baptismo; tamen de aliis est eadem ratio.

Probatur secundo, ex Concil. Carthag. *c. 34.* & ex Concil. Araufic. *i. c. 12.* vbi aperte supponitur voluntatem adulti esse necessariam ut Sacramentum recipere possit. Item ex Innocentio *3. cap. Maiores. de Bapt.* vbi ait: *Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Item ex August. *c. 4 de Bapt. c. 24.* & *lib. 7. c. 53.* de quo latius in solutione primi argumenti pro Cajetano.

Probatur tertio, ex Christi institutione & voluntate, quae colligitur ex Matth. *28. v. 19.* *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas,* &c. Vult enim ut doctrina precedat Baptismum: quod tamen non esset necessarium, si nulla disposi-

fitio requireretur in adultis in receptione Baptismi. Confirmatur *primo*, quia Baptismus est Sacramentum fidei. Ergo sicut fides voluntariè suscipienda est, ita etiam Baptismus *secundo*, quia certum est in Sacramento poenitentiae, & matrimonij requiri consensum in suscipiente. Ergo idem dicendum de reliquis.

3 Secunda Conclusio: Ad valorem Sacramenti non est necessarium ut recipiens habeat fidem aut sanctitatem, excepto Sacramento Poenitentiae, vbi requiritur dispositio fidei, & contritio vel attritio.

Probatur *primo*, ex Conciliis & Pontificibus, qui iuxta ritum Ecclesiae haereticos baptizatos, vel ordinatos nolunt rursum baptizari vel ordinari. Ergo supponunt Sacramentum sine vera fide, & consequenter sine sanctitate esse validum. Idem docet August. lib.2. cont. Parmen. c.16. & lib.2. contra Petilianum, cap.35. vbi dicit: si quis baptizatur propter flagitium committendum aliquod, dummodo baptizari velit, verè manere baptizatum. Et lib. de Baptiz. rudibus, cap.17. dicit aliquos fieri Christianos propter lucrum temporale: & nimbitominus validè baptizari.

Secundo, probatur ratione, quia aliud est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti: & Sacramentum est naturā prius quam effectus: E. Non impeditur propter dispositionem contrariam effectui si Sacramento ipso contraria non sit.

4 Ad primum argumentum, Resp. cum August. lib.4. de Bapt. c.24. differentiam esse inter adultos & parvulos, etiam quoad valorem Sacramenti: quia, ut Sacramentum validum sit, non requirit easdem conditiones in utrisque: sed varias iuxta cuiusque capacitatem. Nam quia parvulus non est capax propriæ intentionis, sufficit illi intentio Christi & Ecclesiae. Adultus vero est capax propriæ intentionis: Et ideo non sufficit illi aliena.

Hoc confirmat August. ex Ioan. 9. v. 21. *etatem habet ipsa pro se loquatur*. Ad secundum, Resp. in eo, qui suscipit Extremam unctionem non requiri formalē & expressam intentionem suscipiendi illud Sacramentum: sed sufficere communem illam voluntatem, qua uniusquisque fidelis poenitens

208 CAP. V. DE SACRAMENTIS
pœnitens ac bene dispositus vult frui omnibus Sacramen-
tis, & remediis ad salutem suam à Christo institutis: & ea
cupit sibi applicari, si quando indigerit. Hæc inquam ge-
neralis voluntas sufficit, quamdiu reuocata non est. Vnde
patet, quod supra *dubio 4. concl. 1.* dixi, non requiri tam par-
ticularem & expressam intentionem in suscipiente, sicut
requiritur in ministrante: quia intentio ministrantis de-
bet effectiuè concurrere ad Sacramentum: intentio au-
tem suscipientis non nisi dispositiuè.

Ad tertium. Concilium Florentinum tantum enumera-
ræ ea quæ in omnibus Sacramentis necessaria sunt: In-
tentio autem suscipientis non est necessaria in omnibus
Sacramentis quoad ipsorum valorem & substantiam, vt
patet in Baptismo parvulorum, & in Eucharistia.

Ad quartum. Innocentius per contrariam voluntatem
non solum intelligit posituum dissensum, sed etiam ca-
rentiam consensus, vt patet ex eodem capite cùm ait: *Ille*
verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem,
nec characterem suscipit Sacramenti.

Quod autem glossa dicit, non obstat contrariam vo-
luntatem, in eo errat: neque id rectè colligit ex *capite de Iudeis*, quia ibi non est sermo de suscipiente Sacramentum
sine omni consensu, sed de illo, qui per vim adducitur ut
consentiat. Similiter quod dicit altera glossa, satis esse, si
quis ore consentiat, licet corde dissentiat, falsum est: quia
mendacium oris non potest conferre ad valorē Sacramen-
ti, si interior intentio necessaria est: vel si hæc non est ne-
cessaria, neque mendacium oris potest esse necessarium ad
valorem Sacramenti. Nec Decreta, quæ illa glossa allegat,
quicquam iuvant. Nam in priori, in quo dicitur, Sacra-
mentum cum fictione esse validum, non est sermo de ficta
voluntate recipiendi Sacramentum, sed de obice, seu fictio-
ne contraria effectui Sacramenti. In posteriore apertè di-
citur ad veritatem Sacramenti requiri, vt absque simula-
tione recipiatur. Est autem propriè simulatio, quando ali-
quid ore profiteris, & contrarium habes in corde.

Dices: Glossa hoc solum vult affirmare, satis esse in fo-
ro Ecclesiæ, si quis ore consentiat, licet corde dissentiat;
quia

quia Ecclesia semper præsumit adesse consensum interiorem, quando verba exteriora illum significant. Hunc esse sensum glossæ, patet ex alia glossa marginali. Respondeo. Hic quidem sensus, per se verus, sed non verè à glossa intentus. Vult enim tradere differentiam inter dantem & recipientem Sacra menta. Et in dante dicit requiri intentionem dandi, in recipiente vero non requiri intentionem recipiendi. Vel ergo loquitur de re ipsa secundum se; & tunc posterius membrum falsum est, ut dixi. Vel loquitur de foro Ecclesiæ, & tunc nulla est differentia inter dantem & recipientem. Nam etiam Sacramentum datum à ministro, qui ore professus est, se velle dare verum Sacramentum, habebitur ratum in foro Ecclesiæ, etiamsi postea neget se habuisse intentionem dandi; ut patet in matrimonio.

QVÆSTIO XI.

Quenam dispositio requiratur in recipiente, ut Sacramentum conferat illi gratiam?

I **D**ictum est de dispositione, quæ requiritur ad substantiam, vel ad valorem Sacramenti: nunc quæritur de dispositione quæ requiritur ad effectum principalem, qui est gratia iustificans. Nam ad characterem non alia dispositione est opus, quam quæ ad valorem Sacramenti requiritur.

Prima Conclusio: Ut Baptismus & Pœnitentia conferant gratiam iustificantem, non requiritur in suscipiente prævia aliqua sanctitas, seu gratia iustificans: sed sufficit fidei, spei & contritionis vel attritionis dispositio. Prima pars patet, quia illa duo Sacra menta sunt instituta ad conferendam primam gratiam iustificantem: & ideo dicuntur Sacra menta mortuorum. Ergo non est necesse ut præcedat aliqua sanctitas, seu gratia iustificans. Secunda pars explicabitur infra suis locis.

3 Secunda Conclusio: Ut reliqua Sacra menta conferant gratiam iustificantem, necesse est suscipientem esse dis positum per gratiam iustificantem: quia illa Sacra menta sunt instituta

instituta ad augmentum gratiæ conferendum: & ideo vocantur Sacra menta viuorum. Ergo supponunt in suscipiente vitam spiritualem, quæ habetur per gratiam iustificantem.

QVÆSTIO XII.

Qui dicantur indignè accedere ad Sacramentum?

1 **C**onclusio. Tribus modis potest quis indignè accedere ad Sacramentum, & consequenter sacrilegium committere. *Primo*, si non habeat intentionem suscipiens Sacramentum: tunc enim facit contra valorem & substantiam Sacramenti. *Secundo*, si tentet suscipere Sacramentum cuius non est capax: ut si foemina vellet ordinari, aut Sacerdos vxorem ducere: aut sanus Extremam unctionem accipere: hoc enim esset contra reuerentiam Sacramentis debitam. *Tertio*, si non sit dispositus ad principalem effectum percipiendum: vt si accedat ad confessionem sine contritione & attritione: vel ad alia Sacra menta in statu peccati mortalis. Tunc enim falsam & inanem reddit Sacmentorum significationem, quæ est grauis irreuerentia. An autem præter hos modos sit aliis, patebit ex sequenti dubio.

QVÆSTIO XIII.

An liceat ab indignis ministris accipere Sacra menta?

1 **M**inistri indigni sunt, qui quidem habent potestatem conficiendi Sacra menta, sunt tamen in statu tali, ut sine peccato non possint vti sua potestate. Est ergo quæstio: an liceat à talibus petere & accipere Sacramētum.
2 Prima Conclusio: Duplex est minister indignus: alter toleratus ab Ecclesia: alter non. D. Thom. *bic art. 6. & 2.* Toleratum vocat, qui licet peccator sit, tamen ab Ecclesia non est præcitus, nec à Sacra mentorum ministerio per censuram Ecclesiasticam prohibitus. Non toleratum vocat, qui est ab Ecclesia prohibitus atque præcitus. Nota: ministrum dupliciter prohiberi posse à Sacra mentorum administra

administratione. *Primo* directè , per censuram Ecclesiasticam, aut speciale præceptum non administrandi. *Secondo* indirectè , ex generali obligatione vitandi scandalum , & non tractandi Sacra menta indignè . Prior prohibitio requiritur, ut minister dicatur non toleratus.

3 Secunda Conclusio : Non licet petere , aut accipere Sacra menta à ministro non tolerato. Ita D. Thom. *loci citato*. Ratio eius est, quia qui petit Sacramentum à tali ministro, communicat peccato illius. Confirmatur, quia talis non potest administrare Sacramentum sine peccato mortali, cùm sit illi ab Ecclesia grauiter prohibitum. Ergo qui petit ab illo administrationem, petit rem malam. Ergo petendo peccat.


Quæres : An hoc etiam verum sit in casu extremæ necessitatis ? Respondeo. In tali casu cessat prohibitio : & ideo tunc licitum est petere , ut benè notauit Scotus in 4. d.s. quæst. 2.

4 Tertia Conclusio : Petere vel accipere Sacramentum à ministro tolerato , tametsi ille ministrando peccaturus sit , non est intrinsecè , & per se malum : ac proinde licitum est à tali petere vel accipere. Ita D. Thom. *loci cit.* Ratio est , quia qui petiit vel accipit à tali ministro , non communicat peccato illius, sed communicat Ecclesiam, quæ eum tanquam ministrum exhibit. Confirmatur, quia talis minister potest administrare Sacramentum sine peccato, si velit ; cùm non sit prohibitus ab Ecclesia , & possit dolere de peccatis ante commissis. Ergo administratione illa potest separari à malitia. Ergo qui petit talem administrationem, non petit rem per se malam, neque necessariò coniunctam cum malitia. Ergo illa petitio ex se , & obiecto suo non est mala.

Simile est de petitione iuramenti à gentili , qui per falsos Deos iuraturus est ; & de petitione mutui ab eo qui usurpas exacturus est. Nam hæc ex obiecto non sunt mala intrinsecè , sed possunt benè fieri si cum debitiss circumstantiis fiant.

Dices : Quamuis hæc petitio ex obiecto non sit mala, tamen ex circumstantia semper est mala , quia fit cum aliquo

112 C A P . VI . D E S A C R A M E N T I S
aliquo scandalo. Respondeo. Si commodè possimus ab
alio petere , tenemur ex lege charitatis ad vitandum scan-
dalum : Si autem sine graui detimento non possimus ab
alio petere : non tenemur , quia scandalum illud non ori-
tur ex parte petentis , sed ex parte aliorum.



C A P V T VI.

De numero Sacramentorum.

DI l v v s Thomas primo agit de septenario nume-
ro Sacramentorum. Secundo , de ordine & com-
paratione eorum inter se. Tertio , de necessitate il-
lorum ad salutem.

Q V A E S T I O I .

An sint septem Sacra menta?

1 Error primus est , pauciora esse Sacra menta quàm
septem. Ita Hæretici nostri temporis, qui tamen in-
ter se non conueniunt. Nam aliqui agnoscunt solùm Ba-
ptismum, vt Lutherus in lib. de capt. Babyl. in principio. Alij
Baptismum & Eucharistiam , vt Schwartzzerdt in locis , &
cap. de signis. Illyr. in confess. Antuerpiana, cap. II. de Sacram.
Kemnit. in 2. part. Exam. c. de numero Sacramentorum. Alij Ba-
ptismum , Eucharistiam & Poenitentiam , vt plerique Lu-
therani in suis Catechismis. Alij Baptisnum, Coenam & Ma-
trimonium : vt Zuinglius in lib. de vera & falsa religione,
c. de Sacramentis : & c. de Matrimon. Alij Baptisnum, Coe-
nam & Ordinationem , vt Caluinus : quamuis enim lib. 4.
Inst. cap. 18. §. 19. & 20. dicat esse duo tantùm Sacra menta,
nimis Baptismum & Coenam : tamen c. 19. §. 31. nume-
rat etiam Ordinationem inter vera Sacra menta , & simul
monet se antea , cùm tantùm duo esse dixit , locutum esse
de Sacramentis toti Ecclesiæ communibus , quale non est
Sacramentum Ordinationis. Vnde etiam in Antid. Concil.
Trident. sess. 7. c. 4. reiicit tantùm quatuor Sacra menta à nu-
mero Sacramentorum ; nempe Confirmationem , Poenitentiam ,
Extremam unctionem & Matrimonium.

2 Secundus

2 Secundus error est, plura esse Sacra menta quam septem: quod videtur colligi ex Augustino. Nam lib. 2. de peccatorum meritis & remissione. cap. 26. cibum sanctificatum, qui catechumenis dabatur, vocat Sacramentum. Et lib. 4. de symbolo. cap. 1. exorcismos etiam, insufflationes, & alia, quae sunt circa catechumenos, Sacra menta appellat. Et lib. 19. contra Faustum. cap. 14. Baptismum, Eucharistiam & Crucis signum numerat inter Sacra menta.

Alij etiam putant plura esse Sacra menta Ordinis, Diaconatum, Subdiaconatum & Sacerdotium. Item plura Sacra menta Eucharistiae, unum sub specie panis unum; alterum sub specie vini: vel unum permanens, & alterum in usu consistens. Item plures esse Baptismos: unum aquæ, alterum sanguinis.

3 Prima Conclusio: Septem sunt legis nouæ Sacra menta à Christo instituta. Ita definiuit Concil. Florentinum in decreto Eugenij. Et in Tridentino sess. 7. cap. de Sacra mentis in genere. Probatur primo, ex perpetua Ecclesiæ traditione, quia semper in Ecclesia septenarius ille numerus Sacra mentorum viguit. Secundo, ex Scripturis, quæ partim expressè de illis loquuntur, partim obscurè. Tertio, ex consensu Patrum & Scholasticorum. Hæc argumenta fusiū explicabuntur de Sacra mentis in particulari.

4 Secunda Conclusio: Non sunt plura Sacra menta quam septem. Ita Concilium Tridentinum loco citato. Probatur primo argumentis allatis ex traditione. Secundo, afferri solent variæ congruentiae. Prima ex similitudine vita spiritualis & corporalis. Nam in vita corporali requiruntur quædam ex parte hominum singulorum, quædam ex parte totius Reipublicæ. Ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, nempe generatio, augmentatio, nutritio: & duo per accidens, videlicet remedia contra morbos, si contingat hominem ægrotare; & remedium contra reliquias morbi, ut perfectè conualescat. Ex parte Reip. requiruntur duo. Primo parentes, qui propagent vitam corporalem hominum. Secundo Princeps & Magistratus, qui eam ordinant & gubernent.

Eodem ergo modo res se habet in vita spirituali. Primo

174 CAP. VI. DE SACRAMENTIS
requiritur regeneratio , quæ fit per Baptismum. Secundo, augmentatio per Confirmationem. Tertio, nutritio per Eucharistiam. Quarto, remedium contra morbos per Pœnitentiam. Quinto, remedium contra reliquias peccatorum per Extrémam unctiōnem. Sexto, ex parte Reip. Matrimonium, quò propagantur homines ad cultum Dei deputati. Septimo, Ordo, quò regantur. Vide D. Thom. hic art. 1. & lib. 4. contra gentes. cap. 58. vbi fusè hoc explicat.

Secunda congruentia sumitur partim ex numero peccatorum , partim ex numero effectuum , qui sequuntur ex peccatis. Nam Baptismus præcipue est contra originale peccatum: Pœnitentia contra actuale: Extrēma unctio contra reliquias peccatorum : Confirmatio contra infirmitatem : Eucharistia contra malitiam : Matrimonium contra concupiscentiam : Ordo contra ignorantiam. D. Th. ibid.

Tertia sumitur ex numero virtutum Theologicarum & Cardinalium. Nam Baptismus respondet fidei, Confirmatio spei, Eucharistia charitati, Pœnitentia iustitiae, Extrēma unctio fortitudini , Ordo prudentiae , Matrimonium temperantiae. D. Thom. paulò aliter hoc explicat.

Quarta sumitur ex celebritate numeri septenarij in expiationibus. Nam vt patet ex V. Testamento , in expiatione solent offerri septem animalia : vel septies aspergi sanguis : vel solent durare septem diebus. Vide Exod. 19. Leuit. 4. Num. 19. Deuteron. 15. Iob 42. & alibi. Vnde etiam 4. Regum 5. Naaman septies iussus est lavari ad purgandam lepram.

Dices cum Kemnitio , has congruentias , si quid valerent , probare , etiam in veteri Lege fuisse septem Sacra menta. Nam etiam tunc erant virtutes & peccata , & vita spiritualis & corporalis. Respondeo. Non sequitur , quia Sacra menta veteris Legis non erant instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali , nec ad remedium peccati , nec ad accipiendas virtutes : sed ad legalem quandam munditiam , & ad signanda mysteria Christianorum.

5. Prima Obiectio : Scriptura nūquam dicit esse septem Sacra menta. Ergo. Respondeo. Nūquam etiam dicit esse duo vel tria. Extra Scripturam habemus traditionem Ecclesiæ

Ecclesia pro septenario numero, non autem pro binario vel ternario.

6 Secunda Obiectio : Scriptura dicit esse tantum duo Sacra menta, ut patet ex Ioan.19. v.34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua : id est, Eucharistia & Baptismus*, ut exponit Chrysostom. Cyril. & Theophylact. in illum locum, & Damascenus lib. 4. de fide, cap.10. Et Augustinus lib.2.de symbolo,c.6.

Respondeo primò ; quamuis per aquam & sanguinem intelligeremus Baptismum & Eucharistiam, non tamen sequitur cætera Sacra menta excludi. Nam illa duo non sunt posita ad cætera excludenda : sed quia magis communia sunt & principalia, ex quibus poterat idem iudicium fieri de cæteris. Sicut & Hebr.6. v.2. ponuntur duo tantum Sacra menta, Baptismus & Confirmatio, & tamen non ideo excludenda sunt alia.

Respondeo secundo , non esse necessarium sequi illam expositionem de sanguine & aqua. Nam alij aliter expoununt. Nam Cyrill. Catech. 3. Hier. epist. 83. per sanguinem & aquam intelligunt duo Baptismata , vnum in sanguine, alterum in aqua. Ambros. lib.10.in Lucam, cap.150. Leo Papa epist.4. Augustinus & Beda in cap.19 Ioannis , per sanguinem intelligunt pretium redēptionis humānæ , & per aquam intelligunt Baptismum. Et hæc videtur esse literalis expositio , vt scilicet intelligamus ex latere Christi fluxisse Baptismum, qui omnem suam vim habet ex sanguine Christi.

Confirmatur ex 1.Ioan.5.v.6. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus ; non in aqua solū, sed in aqua & sanguine.* Vbi ipsem̄et Ioannes videtur explicare mystrium quod posuerat cap.19.sui Euangely : & simul ostendere differentiam inter Baptismum Christi & Ioannis : quia hic veniebat in aqua solū , id est , adferebat Baptismum non efficacem : ille autem attulit Baptismum efficacissimum, qui vim suam habuit ex sanguine aqua admixto.

7 Tertia Obiectio : Scriptura videtur significare septenarium numerum Sacra mentorum non pertinere ad Christum, sed ad Antichristum. Nam Apocal.17. v.7. Angelus

vocat Sacramentum bestiam , quæ capita septem habebat. Ergo septenarius numerus Sacramentorum spectat ad Antichristum , qui per eam bestiam designatur. Ita Kemnitius.

Resp. *primo*, magnam esse blasphemiam per septem capita bestiæ intelligere septem Sacra menta. Kemnit. enim etiam cogitur fateri Baptismum & Eucharistiam pertinere ad capita bestiæ , quia sunt ex numero septem Sacramentorum.

Resp. *secundo* , Ioannes non dicit septem illa capita esse septem Sacra menta, sed unum Sacramentum, ac proinde, si vellemus retorquere Sacramentum, id magis conueniret in Lutherum, qui dixit unum tantum Sacramentum.

Resp. *tertio* , ipse metuens Ioannes septem illa capita septem Reges interpretatur. Ex hoc fundamento ergo nihil potest probare Kemnitius.

8 Quarta Obiectio : Augustinus agnoscit duo tantum Sacra menta, videlicet Baptismum & Eucharistiam , ut patet lib. de doct. Christ. cap. 9. & epist. 118. Resp. *primo* generatim, nec Augustinum , nec ullum ex aliis Patribus unquam dixisse Sacra menta non esse septem, aut esse tantum duo vel tria : sed solum ad suum propositum mentionem fecisse aliquorum Sacramentorum, & de aliis tacuisse. Resp. *secundo* speciatim , Augustinum in illis duobus locis non dicere esse tantum duo Sacra menta, sed ponere duo per modum exempli. Nam priore loco sic habet pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & consecratione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina : sicuti est Baptismi Sacramentum , & celebratio Corporis & Sanguinis Domini. Vbi particula, *sicuti* aperte indicat ista esse exempla. In posteriori loco sic habet : Vnde Sacra mentis numero paucissimis , obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus; communicatio Corporis & Sanguinis ipsius : & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. Vbi etiam vides illa duo poni pro exemplo , & simul insinuari plura esse quam duo,

9 Quinta Obiectio: Alij Patres ante Augustinum non agnoscunt etiam nisi Baptisnum & Eucharistiam, ut Iustinus Mart. in *Apolog. 2. pro Christianis.* Tertull. lib. 1. & 4. contra *Marcionem.* Cyrillus in *Catechesibus.* Ambrosius in *tib. de Sacramentis,* & de ijs qui initiantur mysterijs.

Respondeo primo, Iustinus meminit tantum duorum Sacramentorum in illa Apologia, quia hoc requirebat argumentum illius operis. Respondet enim obiectioribus gentilium, qui inter cætera obiciebant Christianis, quod vescerentur carnis humanis alicuius pueruli: & ideo ad suam synaxin non admitterent, nisi sui ordinis homines. Ergo Iustinus explicat, quomodo soli baptizati admittantur ad Eucharistiam; & ideo debuit de Baptismo & Eucharistia tractare.

Respond. secundo, Tertull. lib. 1. cont. *Marcionem*, non dicit esse duo tantum Sacra menta, sed dicit Deum in Sacramentis ut voluisse aqua, pane & oleo, quæ sunt materiæ, quæ consecrantur in quinque Sacramentis: non meminit autem duorum aliorum, videlicet Pœnitentiæ & Matrimonij, quia solum volebat ostendere, Deum nostrum esse verum Creatorem Elementorum, & aliarum rerum sensibilium, quod Marcion negabat. Id autem ex eo ostendit, quia si res istas sensibiles creasset aliis Deus, noster Deus non vteretur illis in suis Sacramentis. Similiter *tib. 4.* non dicit esse duo tantum Sacra menta, nimirum Baptismum & Eucharistiam, sed reprehendit Marcionem, quod ad hæc duo Sacra menta neminem admitteret, nisi qui damnaret coniugium.

Respondeo tertio, Cyrillus & Ambrosius plura Sacra menta agnoscunt, quam duo. Vterque enim meminit Christi tis tanquam Sacramenti à Baptismo & Eucharistia distincti, ut patet ex *Cyrillo Catech. 3.* & ex *Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. 2.* Cur vero illi Patres tantum tractent de tribus Sacramentis, causa est, quia ex professo scribunt ad Catechumenos, ut eos instruant de rebus, quæ fiunt tempore Baptismi. Solent autem eo tempore tria Sacra menta eodem die ministrari adultis, videlicet Baptismus, Confirmationis & Eucharistia, ut partim constat ex antiqua praxi, partim ex Ambrofio loc. cit.

118 CAP. VI. DE SACRAMENTIS
10 Sexta Obiectio: Videntur esse plura Sacra menta quam septem. *Primo*, quia signum crucis, panis benedictus, exorcismi, & insufflationes vocantur ab Augustino Sacra menta. *Secundo*, quia Alexand. Papa epist. i. aquam benedictam vocat Sacramentum. *Tertio*, quia multi docent lotionem pedum, quam Christus instituit, Sacramentum esse, ut Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. i. Cyprian. in serm. de ablutione pedum, & D. Bernard. in serm. de Cæna Domini.

Ratio est, quia tria tantum requiruntur ad Sacra mentum, nempe ritus externus, promissio gratiæ, & mandatum, seu institutio diuina. Hæc autem sunt in lotione pedum. *Primo*, quia ipsa lotio est ritus externus. *Secundo*, est promissio gratiæ: colligitur ex Ioan. 13. v. 8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* *Tertio*, mandatum colligitur ex illo ibid. v. 14. *Et vos debitis alter alterius lauare pedes.*

Respondeo *primo*. Signum crucis, panis benedictus, exorcismi & aqua benedicta non sunt vera Sacra menta, sed tantum Sacramentalia. Probatur *primo*, quia omnia illa possunt dari ante Baptismum, ut ex Augustino constat. Nullum autem Sacramentum potest dari ante Baptismum, cum Baptismus sit ianua omnium aliorum. *Secundo*, quia non habent promissionem gratiæ sanctificantis. *Tertio*, quia non constat an sint instituta à Christo, an ab Apostolis, cum tamen vera Sacra menta à solo Christo institui potuerint.

Respondeo *secundo*. Nec lotio pedum est verum Sacra mentum, sed quasi aliquid Sacramentale, vel Sacra mentum lato modo sumptum. Prima pars patet, quia ad verum Sacra mentum requiritur promissio gratiæ & mandatum. At neutrum est in lotione pedum. Non primum, quia in illis verbis: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; non continetur promissio gratiæ; sed comminatio poenæ propter inobedientiam, ut ibidem exponunt Chrysostom. Cyrill. & Basil. lib. 1. de Bapt. cap. 2. Nec secundum; quia in illis verbis: *Vos debitis alter alterius lauare pedes*: non est mandatum externæ lotionis pedum, ut patet ex praxi Ecclesiæ: sed humilitatis & charitatis, ut exponunt Chrysostom. & Cyrill. ibidem.

Secunda

Secunda pars patet, quia omnia illa possunt lato modo vocari Sacra menta, quæ habent sensum mysticum; & sunt figurae aliarum rerum. At lotio pedum à Christo facta habebat sensum mysticum, quia significabat munditiam & puritatem, qua debent homines ad Eucharistiam accedere: & simul erat figura quædam illius purgationis quam eramus habituri per passionem Christi, ut Cyrilus exponit.

QUESTIO II.

Quis sit Ordo inter Sacra menta?

1 **P**rimo dicam de Ordine enumerationis. Secundo, de Ordine dignitatis. Vide D. Thom. art. 2. ad 3.

Prima Conclusio: Sacra menta enumerantur hoc ordine: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vñctio, Ordo, Matrimonium. Ita D. Thom. art. 2. Concil. Florentinum in decreto Eugenij. Et Tridentinum sess. 7. cap. 1. de Sacra mentis in genere, & alij passim. Ratio est, quia primo ponenda sunt ea, quæ pertinent ad singulos homines: deinde quæ ad totam communitatem. Sunt autem quinque pertinentia ad singulos homines, quæ secundum ordinem temporis conferuntur adultis hoc modo: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vñctio: deinde sequuntur alia duo pertinentia ad totam rem p. videlicet ordo & matrimonium: Inter quæ non feruantur ordo temporis; sed dignitatis. Ordo enim dignior est quam matrimonium, ut paulo post.

2 Secunda Conclusio: Illa septem Sacra menta non sunt æqualis dignitatis, sed alia aliis excellunt. Ita D. Thom. art. 3. ad 4. Et Concil. Trident. sess. 7. c. 3. Potest autem varie contingere ut vnum alio sit excellentius. Nam primo Baptismus excellit omnibus, quoad effectum remittendi peccata. Remittit enim originale, actuale & pœnam his debitam; quod alia Sacra menta non faciunt. Secundo, Confirmatio excellit omnibus quoad effectum gratiæ actualis ad bene operandum, iuxta Luc. 24. v. 19. Vos autem sedere in cœitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Et confirmatur

120 CAP. VI. DE SACRAMENTIS
ex euentu. Nam Apostoli ante Confirmationem, quam accepserunt in die Pentecostes, erant timidissimi; adeò ut omnes fugerent in passione Christi, tametsi ante baptizati essent, & Eucharistiam percepissent: postea verò accepto Spiritu sancto facti sunt robustissimi. *Tertio*, Eucharistia excellit omnibus quoad substatiā Sacramenti, quia continet Christum ipsum, licet in aliena specie. *Quarto*, Poenitentia excellit omnibus necessitate, solo Baptismo excepto. *Quinto*, Extrema uinctio excellit aliquo modo poenitentiam, quia confert gratiam copiosiorem, quæ non solùm posset delere omnia peccata si adessent, sed etiam tollit reliquias peccatorum. *Sexto*, Ordo excellit omnibus ratione ministri, excepta Confirmatione; quia potest à solo Episcopo conferri; imò & videtur hac in re excellere Confirmationem: hæc enim aliquando ex dispensatione confertur à simplici Sacerdote: Ordo autem, Sacerdotalis præsertim, nunquam nisi ab Episcopo confertur. Præterea ordo cæteris præstat in eo, quod constitutus homines in gradu sublimiori, quam sint alij Christiani. *Septimo*, Matrimonium excellit plerisque significatione, quia significat uisionem Christi & Ecclesiæ; & ideo ab Apostolo vocatur magnum Sacramentum. Ephes. 5. v. 32.

3 Tertia Conclusio: Simpliciter loquendo Eucharistia excellit omnibus aliis Sacramentis. Est *primo*, contra Calvinistas, qui cùm in Eucharistia non ponant Corpus Christi nisi tropicè, non pluris faciunt eam, quam Baptismum. *Secundo*, est contra Ubiquetarios, qui sicut in Eucharistia verum Corpus Christi agnoscunt, sic & in aliis Sacramentis. Conclusio nostra est D. Thom. art. 3. Probatur *primo*, quia Eucharistia continet in se realiter & substantialiter ipsum Christum fontem omnis sanctitatis aliorum Sacramentorum. *Secundo*, quia alia Sacra menta ordinantur ad Eucharistiam tanquam ad finem, ut argumentatur D. Th. & probat inductione. Nam ordo ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem: Baptismus ad susceptionem: Confirmationis ad publicam frequentationem sine timore & verecundia: Poenitentia & Extrema uictio ad dignam susceptionem: Matrimonium ratione significationis ordinatur.


natur ad Eucharistium , quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam Eucharistia perficit.

Dices : Extrema-vnctio non videtur ordinari ad susceptionem Eucharistiae , quia est ultimum Sacramentum quoad usum ex vi suæ institutionis. Nam instituta est à Christo , ut post cætera Sacra menta in extremo vite periculo accipiatur. Respondet Cajetanus , quodammodo ordinari ad Eucharistiam ratione effectus. Tollit enim reliquias peccatorum , & perfectè mundat animam hominis , quæ est optima dispositio ad Eucharistiam. Vnde si quis post Extremam-vnctionem vellet sumere Eucharistiam , esset tunc maximè ad illam dispositus.

QVÆSTIO III.

An omnia Sacra menta sunt necessaria ad salutem ?

- 1 **S**unt distingui duplex necessitas , altera medijs , altera præcepti : de qua distinctione dicendum est in materia de Baptismo. Hic agimus de necessitate medijs.
- 2 Prima Conclusio : Quamuis omnia Sacra menta sunt utilia ad salutem , non tamen omnia sunt necessaria ; Ita D.Thom. art. 4. Ratio , quia omnia conferunt gratiam iustificantem. Ergo omnia sunt utilia ad salutem. Rursum , confessio , Extrema-vnctio & Matrimonium non sunt media ad salutem necessaria , quia non ordinantur ad effectus simpliciter necessarios.
- 3 Secunda Conclusio est : tria Sacra menta sunt necessaria ad salutem : Baptismus , Pœnitentia & Ordo , licet non eodem modo. Nam Baptismus est necessarius respectu omnium qui in peccato originali nascuntur. Pœnitentia respectu eorum , qui post baptismum mortaliter peccarunt. Ordo respectu totius communitatis ; quia plerique Sacra menta debent confici & administrari per eos qui ordinati sunt. Hæc sūstius infrà.



CAP V T. VII.

De Ceremoniis Sacramentorum.

HACTENVS generatim dixi de Sacramentis: nunc breuiter de ceremoniis Sacramentorum. *Primo*, quid & quotuplex sit ceremonia. *Secundo*, an vñus ceremoniarum sit licitus & honestus. *Tertio*, an Ecclesia possit instituere ceremonias. *Quarto*, an ceremoniae habeant aliquem effectum spiritualem.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Ceremonia?

PRIMA Conclusio: Ceremonia, generatim loquendo, est externus actus religionis, quo Deus colitur. Nota, virtutem religionis habere tres actus. *Primo*, internum actum elicitum, qui est velle Deo debitum honorem & cultum præstare. *Secundo*, actum externum interno respondentem, qui est quælibet externa actio, quæ non aliunde est bona & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum; ut genuflexio, sacrificium & familia. *Tertio*, actum imperatum, id est, actum cuiusvis virtutis, qui à religione ordinatur ad Dei gloriam: hoc modo ieiunia & eleemosynæ possunt dici actus religionis, quando fiunt ad colendum Deum: Licet aliqui etiam aliarum virtutum actus sint. Ex his tribus actibus primus nullo modo est ceremonia, neque tertius, nisi quatenus imperatur à religione: Secundus est propriè, & simpliciter ceremonia, de quo hoc loco.

Secunda Conclusio: Ceremoniae veteris legis erant quadruplices, videlicet Sacra, sacrificia, sacra, & obseruantiae. Ita D.Thom.in 1.2. quest.110. art. 4. per Sacra intelligimus Agnum Paschalem, Circumcisionem, Sacerdotium legale, & varias expiationes. Per sacrificia intelligimus victimas, seu hostias, immolationes & libamenta. Per sacra intelligimus instrumenta ad diuinum cultum pertinentia, ut vas, candelabra, vestimenta, altaria: Per obseruan-

obseruantias intelligimus festa, iejunia, genuflexiones, & cæteras actiones ceremoniales.

3 Tertia Conclusio : Ceremoniæ nouæ legis sunt etiam quadruplices. Primo Sacraenta, quæ proximè instituta sunt ad sanctificationem fidelium. Secundo, sacrificium Missæ, quia est supremus cultus quo excellentiam Dei profitemur. Tertio, sacra : vt calices, casulae, altaria. Quarto, Obseruantiae, vt iejunia, festa, genuflexiones, usus signi crucis, aspersio aquæ Benedictræ, &c.

4 Quarta Conclusio : Inter has ceremonias illæ solæ dicuntur Sacramentales, quæ in administratione Sacramentorum & oblatione sacrificij Missæ solent adhiberi, præter eas, quæ sunt de essentia, seu substantia Sacramentorum & sacrificij Missæ. Nota duplices esse ceremonias in Sacramentis, quasdam intrinsecas & substantiales, quæ sunt ipsa Sacraenta : quasdam extrinsecas, quæ adhibentur ad decentiorem usum Sacramentorum. Haec posteriores vocantur ceremoniæ Sacramentales : vel, vt Theologi loquuntur, Sacramentalia.

QVÆSTIO II.

An usus Ceremoniarum sit licitus & honestus?

1 **N**Ostri temporis Hæretici reprehendunt omnem externum cultum Dei, qui ab ipso non est institutus & præceptus ; ac proinde rident omnes ceremonias, quas in Missa & Sacramentorum administratione, ex Institutione Pontificum, & Ecclesiæ adhibemus.

2 Prima Conclusio : non solum cultus externus, qui à Deo institutus est, sed etiam, qui ab hominibus instituitur ad maiorem Dei gloriam & reuerentiam, licitus est, & laudabilis. Probatur Primo, quia in statu naturæ nullus erat cultus à Deo præscriptus : & tamen homines illius status licet & laudabiliter colebant Deum externo cultu. Nam Gen. 4. Abel obtulit sacrificium de primogenitus gregis sui. Gen. 8. Noë erexit altare, & obtulit sacrificia de pecoribus, Gen. 18. Jacob votum Deo vovit, & decimas obtulit.

Probatur secundo, quia, licet in statu legis Mosaicæ multæ

multæ ceremoniæ præscriptæ essent à Deo: tamen alij cultus externi non fuerunt prohibiti. Nam Leu. 23. v. 38. postquam varia sacrificiorum genera & festiuitatum præcepta essent à Deo, tandem ita subditur: *Exceptis donis vestris, & quæ offretis ex voto, vel de sponte tribuetis Domino.* Similiter Esther 9. v. 17. Et Iudith 16. v. 31. Et primo Machab. 4. v. 59. quedam festiuitates ab hominibus introductæ leguntur, præter eas à Deo institutas.

Probatur, quia in statu legis Euangelicæ nusquam prohibitum est, uti externo cultu ad Dei honorem & reueuentiam: quin potius habemus exemplum in Christo, qui sæpiissimè aliis atque aliis ceremoniis usus est, eleuando oculos in cœlum ac manus, flectendo genua & similia. Neque nobis prohibitum est Christum hac in re imitari.

3 Secunda Conclusio: Usus Sacramentalium ceremoniarum, quas Ecclesia Romana nunc obseruat, honestus & laudabilis est. Probatur Primo generatim, quia Catholica Ecclesia non potest errare in his quæ ad cultum Dei pertinent, vt suppono. Ergo non errat in ceremoniis Sacramentalibus. Ergo usus earum non est malus. Secundo, quia huiusmodi ceremoniæ non sunt ex iure male, sed indifferentes. Ergo, quando ordinantur ad bonum finem, debent esse bona; præterea, quando nullam malam circumstantiam habent, sicut non habent. Tertio, quia excipiunt nominem ad maiorem pietatem & attentionem circa res diuinæ. Quarto, quia conferunt ad maiorem quandam intelligentiam, & memoriam mysteriorum fidei. Nam verbi gratia, in omnibus ferè Sacramentis adhibetur crucis signum, vt admoneantur fideles virtutem Sacramentorum ex morte & Passione Christi deriuari. Similiter in Baptismo præmittuntur exorcismi, & insufflationes, vt doceantur fideles infantem ante Baptismum esse sub potestate dæmonis propter peccatum originale.

QVÆSTIO III.

Quis possit ceremonias instituere?

1 PRIMA Conclusio: Ceremoniae Sacramentales, quæ sunt extra substantiam Sacramentorum, quamvis interdum introductæ sint ad imitationem, seu exemplum Christi, non tamen sunt ab eo immediatè institutæ. Prima pars patet, quia in conficienda Eucharistia ex Christi exemplo manauit mixtio aquæ cum vino, Cyprian. Epist. 63. Similiter ex illo manauit usus conficiendi Sacramentum in pane azymo, & non in fermentato. Secunda pars patet, quia multæ sunt ceremoniæ circa Sacraenta, quas constat à Pontificibus institutas esse, ut omnes fatentur.

2 Secunda Conclusio: Christus dedit Ecclesiæ potestatem instituendi has ceremonias, quam partim Apostoli, partim eorum Successores hactenus exercuerunt. Colligitur 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* 1. Cor. 11. v. 34. Cetera autem cum venero disponam: ubi loquitur de ritu seruando in dispositione Eucharistie, de quo Apostoli poterant disponere. Vnde August. Epist. 118. cap. 6. *Non præcepit Christus, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesiastis dispositurus erat, seruaret hunc locum.*

QVÆSTIO IV.

An Ceremoniae Sacramentales habeant aliquem effectum spiritualem?

VARII sunt effectus, de quibus intelligi potest quæstio. Primo, gratia habitualis. Secundo, gratia actualis. Tertio, remissio peccati mortalis, vel venialis. Quarto, remissio poenæ temporalis. Quinto, expulsio Dæmonis, vel cohibitus ne lædat. Sexto, sanitas corporis. Quæstio, an Sacramentalia possint efficere aliquem effectum ex his, siue ex opere operato, siue per modum impetrationis, siue aliquo alio modo. De primis quatuor effectibus dicendum in materia de poenitentia; de quinto in materia de Baptismo. Ex his colligi poterit, quid de sexto sit sentiendum.

CAPVT



CAPUT OCTAVVM
DE
SACRAMENTIS
IN SPECIE.

DIVVS Thomas disputat primo de Baptismo secundum se & naturam suam. Secundo de ministro eius. Tertio de suscipientibus. Quarto de effectu. Quinto, de Circumcisione quæ fuit figura Baptismi. Sexto de præparatoriis ad Baptismum. Circa primum quæri potest. Primo, quid sit Baptismus. Secundo, quæ materia illius. Tertio, quæ forma. Quarto, quando à Christo institutus sit. Quinto, an iterari possit. Sexto, an præter Baptismum aquæ sit aliud genus Baptismi.

QVÆSTIO I.

Quid sit Baptismus?

PRIMA CONCLUSIO. Baptismus dupliciter definiri potest. Primo, Metaphysicè per genus & differentiam, quo pacto definitur in Catechismo Romano: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Secundo physicè per materiam & formam, sicut definitur à D. Thom. art. 1. *Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub prescripta verborum forma.* Notat D. Thom. tria spectari posse in Baptismo. Primo, Sacramentum tantum. Secundo, rem tantum. Tertio, rem & Sacramentum simul. Illud dicitur Sacramentum tantum, quod significat, & non significatur, ut ablutio exterior: Illud dicitur res tantum, quod significatur

CAP. VIII. DE SACR. IN SPECIE. 127
tur & non significat, ut gratia interior, seu sanctificatio per gratiam. Illud dicitur esse Sacramentum simul & res, quod non tantum significat, sed etiam significatur, ut character, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & est signum interioris iustificationis. Definitio ergo quam tradit D. Thom. conuenit Baptismo quatenus est Sacramentum tantum. Sic enim est exterior ablutio per aquam quae est signum interioris ablutionis per gratiam.

2 Secunda Conclusio. Baptismus habet varia nomina apud Patres & Scholasticos. *Primo*, dicitur regeneratio, quia homo per Baptismum spiritualiter regeneratur, & ex filio Diaboli fit filius Dei. *Secundo*, dicitur expurgatio, quia hominem expurgat ab omni peccato. *Tertio*, dicitur illuminatio, seu φωτισμός; quia in Baptismo infunditur habitus fidei, quod homo supernaturaliter illuminatur. *Quarto*, dicitur donum, seu gratia, quia in Baptismo datur liberalissima remissio omnium peccatorum, ex mera Dei gratia, nullo precedente nostro merito. *Quinto*, dicitur signaculum, vel sigillum, ratione characteris quod anima Christiani hominis consignatur. Et quamvis sint plura Sacra menta praeter Baptismum, quae characterem imprimunt; ac proinde possint etiam sigilla, vel signacula dici, tamen hoc nomen specialiter datur Baptismo, quia per eum imprimitur signum, quod primum discernuntur fideles ab infidelibus, & admittuntur in Ecclesiam Christi. *Sexto*, dicitur custodia, vel praesidium, quia Baptismus ratione characteris custodit animam in bono, ut explicat D. Thom. art. 3. ad 1. Hoc tamen non facit character per se, ut existimo, sed ratione alicuius auxilij specialis, quod datur omnibus, qui charactere baptismali insigniti sunt.

QVÆSTIO II.

Quæ sit materia Baptismi?

1 **P**rima Conclusio: Materia Baptismi remota est aqua vera & naturalis, ut definitur in Concil. Trident. sess. 7. can. 2. Et patet ex Scripturis, Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Et Act. 8. v. 36. *Ecce aqua,* tenet
qui

128 CAP. VIII. DE SACRAMENTIS
quid prohibet me baptizari? Et Ephes. 5. v. 26. Mundans eam
laetacio aquæ. Et inde Paulus 1. Corinth. 10. v. 2. comparat
Baptismum mari rubro, & Petrus Epist. 1. cap. 3. v. 21. compa-
rat illum diluvio.

enod sic
2. Secunda Conclusio: Materia Baptismi propinqua est
ablutio, quæ potest duobus modis fieri. Primo, per asper-
tionem, seu infusionem aquæ. Secundo, per immersionem
in aquam. Vtique modo legitimè fieri potest, sed in pra-
xi seruanda est consuetudo cuiusque loci, ut notat D.
Thom. art. 8.

Ex dictis sequitur duo requiri, ut aqua sit legitima Ba-
ptismi materia. Primo, ut sit aqua vera & naturalis. Secun-
do, ut sit aqua apta ad abludendum corpus; si alterutrum
desit, non valebit Baptismus. Hinc reiicitur primo aqua ar-
tificialis, quæ ex floribus & herbis distillatur, quia non est
aqua elementaris, sed mixtus quidam humor. Secundo, rei-
icitur saliuia, sudor, lacrymæ propter eandem causam. Tertio,
mix & glacies; quia licet secundum substantiam sit vera
aqua, non tamen est apta ad abludendum.

Quæres: Quid dicatur de aqua calefacta, de lixiuio, de
aqua transiente per meatus sulphureos? Resp. quamdiu
manet substantia aquæ, potest esse sufficiens materia Ba-
ptismi. Vnde Baptismus in aqua calida, vel lixiuio validus
est: Errat tamen Lutherus in Colloq. Symposiacus, cap. 17. vbi
dicit: id omne sufficit ad baptismum, quicquid balnei nomine
nuneupari potest. Vnde Baptismus in cereuisia, laete, vino,
secundum Lutherum validus esset.

Q V A E S T I O III.

Quæ sit forma Baptismi?

2. Prima Conclusio: Due sunt formæ visitatione: una apud
Latinos: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, &*
Spiritus sancti: Altera apud Græcos: *Baptizetur seruus Chri-*
sti N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Vtraque
legitima est, ut patet ex Concilio Florentino. Nobis tamen
non licet uti forma Græcorum, quia est contra consuetu-
dinem, & non fieret sine scandalo.

2 Secundum

2 Secunda Conclusio: Sunt tres aliae formæ, quæ non putantur legitimæ: Prima est: *Ego te Baptizo in Nomine Trinitatis.* Secunda, *Ego te Baptizo in Nomine Christi.* Tertia, *Ego te Baptizo in Nomine Genitoris & Geniti, & Spirati.*

Ratio est, quia ex Christi institutione requiritur expressa & distincta inuocatio Trium Personarum sub iis nominibus, quæ significant proprietates personales, & non tantum actus notionales.

3 Dices: Apostoli leguntur baptizasse in Nomine Christi, *Actor. 2. 8. 10. & 19.* & hanc formam approbant S. Ambrosius, Beda, Bernardus, Nicolaus Papa, & quidam alij. Respondet D. Thom. *art. 6. ad 1.* Apostolos hoc fecisse ex speciali dispensatione. Alij dicunt eos semper baptizasse in nomine Patris, &c. nunquam autem in Nomine solius Christi. Probant *Primo*, quia nihil constat de speciali illa dispensatione. *Secundo*, quia cum aliqui dixissent Paulo, *Actor. 19. v. 2. Sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus; subiunxit Paulus; in quo ergo baptizati estis?* Quibus verbis indicat in ipsa forma baptisini nominari solitum Spiritum sanctum. *Tertio*, quia quæ adferuntur ex actibus Apostolorum facile explicantur. Dicuntur enim Apostoli baptizasse in nomine Christi. *Primo*, quia baptizaverunt in fide Christi. *Secundo*, quia auctoritate Christi. *Tertiò*, quia baptismō a Christo instituto.

Q V A E S T I O I V.

Quando Baptismus institutus sit?

1 **P**rima Conclusio. Christus designauit materiam baptismi, quando baptizatus in Iordanē est a Ioanne; ita passim docent Patres, Ambros. lib. 2. in *Lucam*, cap. vlt. inquiens. *Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas: ut ablute per Carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, baptismatis ius haberent.* Similia docet S. Hieronym. in *cap. 3. Matthæi*, August. *Serm. 36. de tempore*, & alijs. Hinc natum est scholasticorum illud axiomā: *Christum suo contactu contulisse aquis virtutem regeneratiuam, non quod impresserit illis aliquam qualitatem*

I actiuam,

130 CAP. VIII. DE SACRAMENTIS
actiuam, sed quia deputauit illas ad usum & effectum
baptismi.

2 Secunda Conclusio: Eodem tempore designata etiam
forma est baptismi, non quidem verbo, sed facto. Nam Fi-
lius erat praesens, qui baptizabatur a Ioanne; & Pater da-
bat illi Testimonium de celo: & Spiritu sancto, in specie
columbae apparebat, ut habetur Matth. 3. v. 13. Luc. 3. v. 22.
Marc. 1. v. 10. De qua re vide Damasc. lib. 4. de fide, cap. 10.
Ambr. & Hier. loc. cit.

Addunt alij per cœli apertione, quæ in Christi baptis-
mo apparuit, significatum fuisse, quod ianua Regni coele-
stis aperienda esset fidelibus per Sacramentum baptismi.
Hilar. cap. 2. in Matth. Chrysost. hom. 4. oper. impers. Theop. in
cap. 3. Lucæ.

res hui
3 Tertia Conclusio: Christus non solum facto designa-
uit materiam & formam baptismi, sed etiam verbis pro-
priis & formaliter instituit Sacramentum baptismi ante
passionem suam; ita D. Thom. art. 2. plerique Scholastici
in 4. dist. 3. Probatur, quia baptisma Christi fuit in usu
ante Passionem, ut colligitur ex Ioan. 3. N. 22. Post haec venit
Iesus & Discipuli eius in Iudeam: & illic demorabatur cum
eis, & baptizabat. Et Ioan. 4. v. 2. Quoniam Jesus non bap-
tizaret, sed Discipuli eius. Ex quibus patet Christum non
per se, sed per Discipulos baptizasse. Ita August. tract. 5. in
Ioannem.

4 Quarta Conclusio: Christus dedit præceptum baptismi post Resurrectionem, quando dixit Apostolis: Euntes
docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii,
& Spiritus sancti. Quibus verbis contineatur duplex præ-
ceptum. Primum, quo obligantur Apostoli, ut baptizent.
Secundum, quo obligantur alij ut baptizentur.

5 Dices ante passionem dixerat Christus: Nisi quis renatu-
tus fuerit ex aqua, &c. Ergo ante Passionem dedit præ-
ceptum baptismi. Respondeo. Ante Passionem potius ex-
plicauit necessitatem baptismi, quam dederit formale præ-
ceptum.

6 Quinta Conclusio: Præceptum baptismi suscipiendo
tunc coepit generatum obligare, quando lex Euangelica
fuit

fuit sufficienter promulgata. Hoc suppono ex materia de legibus, vbi hæc duo disputantur. *Primo*, quando abrogata sit lex Mosaica. *Secundo*, quando cœperit obligare lex Euangelica.

QVÆSTIO V.

An Baptismus possit iterari?

1 **H**oc dupliciter intelligi potest. *Primo*, an possit iterari quando semel validè collatus est. *Secundo*, an possit iterari quando dubium est, an sit validè collatus.

2 **P**rima Conclusio : Quando baptismus semel validè collatus est, non potest iterari. D. Thom. art. 9. & probat variis congruentiis. *Primo*, quia baptismus est quædam spiritualis generatio; vnius autem non est, nisi una generatio. *Secundo*, quia baptismus representat mortem Christi. Rom. 6. vers. 3. Christus autem semel tantum mortuus est. *Tertio*, quia Baptismus imprimet characterem indelebilem; quod autem indeleibile est, non imprimitur iterum. *Quarto*, quia baptismus tollit peccatum originale: quod semel ablatum non reddit.

3 **D**ices : Fieri potest, vt baptismus semel datus non tollat peccatum originale, vt si adultus accedat cum fictione (veræ contritionis.) Ergo tunc faltem poterit iterari. Respondeo. Baptismus semel datus tollit peccatum originale recedente fictione; & ideo non opus est iterari; imò frustra iteraretur. Vel enim recessit fictione, vel non. Si recessit, iam ablatum est peccatum originale per primum baptismum. Si non recessit, iteratus baptismus nihil efficiet.

Potest confirmari conclusio ex Hebr. 6. cap. 4. *Impossibile est illos, qui semel illuminati sunt, & prolapsi, rursus renouari ad paenitentiam; rursum crucifigentes sibi met ipsi Filium Dei.* Hoc loco utitur Ambrosius 2. de Paenitentia, cap. 2. Et rectè. Nam Apostolus aperte dicit: eos qui semel illuminati, id est, baptizati sunt, & post baptismum peccarunt, non posse iterum renouari per baptismum. Causam addit, quia si vellent iterum baptizari, iterum crucifige-

Alij sic ezm explicit: qui post primum baptismum ten-
tat alterum suscipere, vel profitetur Christum bis mortuum,
vel significat primam Christi mortem non suffire sibi ad sa-
lutem. Vtique modo dicitur iterum crucifigere Chri-
stum. Vide August. libro de vera & falsa paenitentia, cap. 3.

4 Secunda Conclusio: Quando dubium est, an baptismus
fuerit validus, si quidem dubium est morale ac probabile,
baptismus iterum dandus est sub conditione his verbis: Si
baptizatus es, non baptizo: sed si non baptizatus es, ego
te baptizo in nomine Patris & Filii, &c. vt habetur cap. 2.
extra de baptismo.

5 Quæres: An necesse sit verbis explicare illam condi-
tionem? Respondeo. In solemini baptismo, præsertim quan-
do est dubium publicum, debet explicari conditio, vt oc-
casio scandali tollatur. Si autem dubium sic occultum;
aut baptismus secretò conferatur, satis est conditionem
mente & intentione concipere.

Q V A E S T I O V I .

An præter Baptismum aquæ sit aliud?


1 Iuu Thomas art. II. & alijs passim distinguunt tri-
plicem baptismum, scilicet aquæ, sanguinis & fla-
minis. De illo aquæ dictum est: hic queritur de duobus
aliis. Primo, Quid sint. Secundo, an rectè dicantur baptismi.
Tertio, an sint Sacramentum.

2 Prima Conclusio: Per baptismum sanguinis intelligitur
Martyrium: & per baptismum flaminis contritio. Potest au-
tem dupliciter spectari tam Martyrium quam contritio.
Primo, quatenus præcedit baptismum aquæ, & desiderium,
seu votum illius suscipiendi includit. Secundo, quatenus se-
quitur baptismum aquæ. Priori modo hic sumitur. Ratio
est, quia tam Martyrium quam contritio eatenus dicitur
baptismus, quatenus supplet defectum baptismi aquæ, vt
notat diuus Thomas *loco citato*.

3 Secunda Conclusio: Tam Martyrium quam contritio
vocari

vocari possunt nomine baptismi, & sic passim vocantur à Patribus Scholasticis. Ratio est, quia conueniunt cum baptismo in triplici effectu. *Primus* est, configurare hominem morti & Passioni Christi. *Secundus*, remittere peccatum originale; & reliqua omnia, si quæ commissa sint. *Tertius*, remittere omnem poenam peccato debitam, æternam & temporalem. Hi tres effectus conueniunt martyrio & contritioni, quatenus includunt votum baptismi aquæ, ut infra probabo *quest. 68. dub. 4. 10. & 11.*

4 Tertia Conclusio: Licet Martyrium & contritio vocari possint baptismus, non tamen Sacramentum baptismi. Ita D. Thomas *art. 11. ad 2.* Probatur *primo*, quia non habent essentiam Sacramenti. Nam in Martyrio non est illa verborum forma; in contritione autem neque forma verborum, neque signum externum sensibile. *Secundo*, quia non imprimit characterem, qui est effectus Sacramenti baptismi. *Tertio*, quia contritio potest iterari etiam ante baptismum suscepsum. *Quarto*, quia nec Martyrium, nec contritio excludit necessitatem baptismi aquæ, si haberri possit; ac proinde non est ianua ad alia Sacraenta suscipienda.



C A P V T . I X .

De Ministro Sacramenti Baptismi.

DVO hic generatim quæri possunt. *Primo*, Quis possit publicè & solemniter baptizare. *Secundo*, quis priuatim & in necessitate. Catholici docent. *Primo*, Episcopum, Parochum, quemlibet alium Sacerdotem, & Diaconum posse publicè & solemniter baptizare, quamvis non eodem iure. Nam Episcopus & Parochus ex officio id faciunt: alij Sacerdotes & Diaconi ex delegatione. *Secundo*, docent in casu necessitatis quemlibet posse baptizare, etiam Laicum, gentilem, mulierem, modo adhibeat formam, materiam & intentionem. Hoc Caluinus negat. *lib. 4. Inst. 4. cap. 15. §. 20. 21. 22.* vbi docet solos ordinarios Ecclesiæ ministros, qui legitimè vocati & ordinati sunt, posse baptizare; alios non posse, etiam in periculo mortis.

Nititur duobus potissimum fundamentis. *Primo*, quod solis Apostolis, & eorum successoribus data sit potestas docendi & baptizandi, iuxta Matthæum 28.v.19. *Euntes docete omnes gentes, &c.* Sicut ergo laicis non licet docere, seu Euangelium prædicare, ita nec baptizare. *Secundo*, quod nulla possit esse necessitas suscipiendi baptismum ab homine laico. Nam infantes etiam sine baptismo saluari possunt ex vi promissionis, quam Deus fecit Abrahæ & posteris eius.

z. Sed facile refellitur. *Primo*, ex perpetua Ecclesiæ praxi & consuetudine. Semper enim usitatum fuit, ut Laici in necessitate baptizarent, vt patet ex Tertul. lib. de Bapt. cap. 17. Et ex aliis Patribus. Neque hoc negat Caluinus, sed dicit omnes errasse. At nos dicimus Caluinum errasse, qui solus contra omnes se opponit. *Secundo*, quia ipsi Apostoli leguntur baptizasse, antequam erant ordinati Sacerdotes. *Ioan. 4. v. 2.* Item Ananias baptizauit Paulum. *Aet. 9. v. 18.* Et fratres Laici, qui cum Petro erant, baptizarunt Cornelium & Familiam eius. *Act. 10. v. 48.*

Hinc D. Ambrosius in cap. 4. ad Ephes. dicit in primitiva Ecclesia solitos esse Apostolos committere Fratribus non ordinatis baptismi ministerium, quando ipsi per se illud exercere non poterant. Et sanè verisimile est id contingisse primo die Pentecostes, cùm tria millia hominum baptizati sunt, cùm nulli adhuc Sacerdotes ordinati erant præter solos Apostolos; qui per se non potuerunt tot milia baptizare.

Tertio, quia Caluinistæ fatentur baptismum ab hereticis collatum esse validum, modò conferatur secundum formam Ecclesiæ. At sèpe contingit apud hereticos non esse veram ordinationem ministrorum Ecclesiæ. Ergo tunc Laici validè conferunt baptismum.

Quarto, quia licet solis Apostolis dictum sit: *Docete omnes gentes, baptizantes eas;* hoc tamen non obstat, quod minus in necessitate liceat Laicis docere, & instruere homines morientes, qui sunt in periculo salutis. Ergo idem dicendum est de baptismo, præsertim cùm docere magis sit proprium Apostolorum, quam baptizare, iuxta 1. Cor. 1. v.

17. Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Vide S. Thom. in multis articulis.

3. Hinc soluitur primum Caluini fundamentum; alterum refutabimur quæstione sequenti, dubio tertio, vbi disputabitur de necessitate baptismi.

C A P V T X.

De suscipientibus Baptismum.

DI C A M primo, de Infantibus. Secundo, de Adul-
tis. De Infantibus multa quæri possunt. Primo, an
sint capaces baptismi, contra Anabaptistas. Secun-
do, an aliqua dispositio requiratur, ut sint capaces, contra
Lutheranos. Tertio, an baptisimus sit illis ad salutem ne-
cessarius, contra Caluinistas. Quarto, an possit suppleri per
Martyrium. Quinto, an aliquo modo possit suppleri. Sexto,
an expediat infantes Christianorum baptizare ante usum
rationis. Septimo, an liceat infantes infidelium baptizare
inuitis parentibus. Octavo, an aliquando liceat baptizare
infantes in utero materno existentes.

Similiter de adultis multa disputari possunt. *Primo*, an baptismus sit illis necessarius ad salutem. *Secundo*, an suppleri possit per martyrium. *Tertio*, an etiam per contritionem. *Quarto*, quæ dispositio requiratur ad valorem baptis- mi. Nam de dispositione ad effectum dicetur in *quæst.* seq.
Quinto, an furiosi & amentes sint baptizandi.

Q VÆSTIO I.

An infantes sint capaces Baptismi contra Anabaptistas?

Anabaptistæ negant. Præcipuum fundamentum sumitur ex Matth. 28. v. 19. *Decete omnes gentes, baptizantes eas, &c.* Et ex illo Marci 16. v. 26. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Nam ex his locis colligitur eos tantum esse capaces baptismi iuxta Christi institutionem & voluntatem, qui sunt capaces doctrinæ & fidei, quia Christus iubet doctrinam & fidem præmitti attite.

baptismum. Atqui infantes non sunt capaces fidei & doctrinæ. Ergo nec baptismi.

In eodem errore fuerunt Petrus Brusius, & quidam Henricus, à quibus orti sunt hæretici Petrobrusiani & Henriciani, vt refert D. Bernard. Serm. 66. in *Cantica* & epist. 240.

2 Prima Conclusio : Infantes sunt capaces salutis, id est, gratiæ & gloriæ. Probatur primo, exemplo Hieremiac & Ioannis Baptiste, qui in vtero materno iustificati sunt à peccato originali. Secundo, exemplo SS. Innocentium ab Herode occisorum. Tertio, quia si possunt participare peccatum Adæ, cur non similiter gratiæ Christi ? Quarto ex Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cœlorum.*

Hinc sumi possunt duo argumenta. Vnum ex illis verbis, *Sinite parvulos ad me venire, nempe per iustificationem;* alterum ex illis : *Talium est regnum cœlorum.*

Aliqui respondent, Christum non loqui de infantibus, sed de pueris, qui iam vsu rationis vtuntur. Nam infantes non possunt venire ad Christum, sed debent portari. Hoc refellitur ex Luca, qui apertè significat, Christum loqui de infantibus, qui ab aliis portabantur. Sic enim habet cap. 18. v. 15. *Afferebant autem ad illum & infantes, & pueri, ut illos tangeret.* Alij respondent, priora verba intelligi de infantibus ; posteriora de adultis, qui sunt similes infantibus, vt sensus sit : Eorum esse regnum cœlorum, qui sunt infantibus similes in innocentia & simplicitate.

Hæc responsio non est mala, sed tamen non tollit vim argumenti. Nam licet verum sit regnum cœlorum pertinere ad eos, qui sunt similes infantibus in moribus & innocentia, tamen etiam pertinere potest ad ipsos infantes, quod apertè significat Christus quando eos complectitur, & per manuum impositionem benedicit. Illa enim benedictio non potest esse otiosa. Vnde sicut Isaac & Ismaël sunt allegoricè duo testamenta apud Apostolum, Gal. 4. vers. 24. & tamen historicè duo veri homines fuerunt : sic etiam infantes allegoricè significant humiles & innocentes, qui sunt apti regno cœlorum, & tamen ipsi possunt etiam

etiam esse apti ad regnum cœlorum , vt ex dictis patet.

3 Secunda Conclusio : Infantes sunt etiam capaces Baptismi, & legitimè baptizari possunt. Probatur primo quia sunt capaces gratiæ & gloriæ , vt dixi. Ergo sunt capaces iustificationis à peccato originali. Ergo etiam remedij contra illud peccatum. At in nouo Testamento non est aliud remedium ordinarium nisi Baptismus. Secundo. probatur ex verbis Domini : *Sinite paruulos venire ad me.* Unde sic argumentor : Christus vult , vt parentes possint suos infantes ad ipsum portare. Sed non est alius modus portandi illos ad Christum , nisi per Baptismum , præsertim post mortem Christi. Ergo parentes possunt illos portare per Baptismum ad Christum.

Tertio , probatur ex Ecclesiæ praxi antiqua & traditione , quia semper usitatum fuit , vt infantes baptizarentur. Hoc argumento utitur etiam Melan. *in locis, tit. de Bapt.* paruul. Sed meritò ridetur ab Anabaptistis. Nam si in hac re debet valere traditio , cur non etiam in inuocatione Sanctorum , & aliis similibus : aut si in his non valet , cur in Baptismo paruolorum valeat ?

Quarto , probatur ex illis Scripturæ locis , vbi dicuntur baptizatae integræ familie , vt Act. 16.v.15. Cùm autem baptizata esset Liuia & domus eius ; & v. 33. Baptizatus est ipse (nempe custos carceris) & omnis domus eius continuo. Et 1. Corinth. 1. v. 16. Baptizauit autem & Stephanus domum eius. Est autem probabile in illis familiis integris fuisse aliquos infantes.

Quinto probatur , quia infantes in veteri Testamento legitimè circumcidabantur. Ergo nunc possunt legitimè baptizari , cùm circumcisio fuerit figura Baptismi.

Sexto , quia transitus maris rubri fuit etiam figura Baptismi. 1. Corinth. 10.v.20. Atqui in illo transitu non solum adulti , sed etiam infantes Iudeorum seruati sunt.

4 Prima Obiectio : In sacris litteris nullum habemus mandatum & exemplum de Baptismo infantium. Ergo talis Baptismus reiiciendus est. Respondeo , hoc argumentum rectè procedit contra Calvinianos & Lutheranos , qui Scripturam solam admittunt. Ex sola enim Scriptura

non possunt proferre ullum mandatum de Baptismo infantium, nisi illud: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Hoc autem ipsi non admittunt, quia negant ibi agi de Baptismo, ut latius dicam *dubio 3.* Sed praeter hoc nullum aliud extat in Scriptura. Similiter nullum habent clarum exemplum de infantibus baptizatis. Nam quod attuli de integris familiis baptizatis non conuincit. At Catholici praeter Scripturam admittunt etiam traditionem & praxim Ecclesiae, de qua Augustinus *lib. 10. de Genesi, capitulo 23.* sic loquitur: *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est; nec ullo modo superstua deputanda; nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Vide eundem Augustinum *lib. 4. de Baptismo, capitulo 24.* vbi dicit, Apostolicam esse traditionem, quod parvuli sint baptizandi. Et *lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 26.* vbi dicit Pelagianos non fuisse auctor Baptismum parvorum damnare, quod viderent in tota Ecclesia visitatum esse.

5 Obiectio secunda: Christus mandauit Apostolis, ut prius docerent homines, & postea baptizarent, Matthæi 28. vers. 9. Ergo infantes non sunt baptizandi prius quam docentur. At doceri non possunt, nisi post usum rationis. Ergo tunc demum baptizandi sunt. Respondeo Christus eo loco docuit Apostolos ordinem quem seruarent in conversione gentilium adulorum. Erat autem hic ordo, ut prius instituerent eos in fide. Secundo, baptizarent. Tertio, docerent seruare precepta Dei. Nam fides & Baptismus non sufficiunt adultis sine obseruatione mandatorum Dei. Hic autem ordo in infantibus seruari non potest: immo non semper in adultis. Si enim aliquis Catechumenus satius instructus esset in fide, & tamen iusta de causa differretur huius Baptismus, sine dubio docendus esset, ut seruaret legem Dei etiam ante Baptismi susceptionem, nec quisquam prudens auderet illi dicere, posse eum transgredi legem Dei, priusquam & quandiu baptizatus non esset.

6 Tertia Obiectio: Reprobi non sunt baptizandi, ne profanetur Sacramentum. Sed multi infantum sunt reprobi. Ergo non sunt baptizandi. Respondeo primo, quod eodem argumento probaretur, nec adultos esse baptizandos,

cum etiam multi adulti sint reprobi, de quibus non constat. Secundo respondeo, valet hoc argumentum contra Calvinistas, docentes Baptismum esse sigillum aeternae benevolentiae Dei, & praedestinationis circa homines. Hinc enim sequitur Baptismum profanari quando confertur reprobis. Ratio, quia sicut profanatur sigillum Principis, quando appenditur falsae Scripturae & Epistola: ita divinitate praedestinationis sigillum, quando appenditur homini aprobo, qui non est praedestinatus.

Tertio respondeo, non valet contra Catholicos obiectio, qui docent Baptismum esse signum presentis iustificationis, & gratiae, non aeternae; ac proinde non profanari quando confertur infantibus reprobis: quia omnes infantes siue sint reprobi, siue praedestinati, re ipsa iustificantur per Baptismum.

7 Quarta Obiectio: Nemo potest baptizari, nisi credat & poeniteat. Infantes neutrum faciunt, ergo, &c. Maior patet ex Marco 16. vers. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. Et Actorum 8. vers. 36. Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et in Act. cap. 2. vers. 38. Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.

Respondeo, hoc argumentum valet contra Lutheranos docentes Sacraenta esse instituta ad alendam fidem: contra nos non valet. Primo, quia nos hoc non dicimus. Secundo, quia loca citata intelliguntur de adultis, qui praeter peccatum originale (quod aliena voluntate contrahitum est) habent etiam peccata propria voluntate contracta; & ideo requiritur ab iis fides & poenitentia, ut infra dicam de adultis: infantibus sufficit fides aliena, ut patet ex sequenti dubio.

Q V A E S T I O II.

An requiratur aliqua dispositio in infantibus ad suscipiendum Baptismum?

1 Error Lutheri est in parvulis requiri fidem actualem, ut docet lib. de capt. Babyl. cap. de Bapt. Et in lib. contra Coriol.

Cochl. Et in lib. ad *Vvaldensi*. Et addit hanc fidem actualem non acquiri vi Baptismi, sed ante Baptismum, cùm exorcizantur per orationem Ecclesiarum, & fidem adferentiū paruulos ad Baptismum. Et sic exponit, quod dici solet: Paruulis fide alienā succurri. Fundamentum Lutheri est duplex. Primum sumitur ex illo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* alterum est ex quibusdam Lutheri principiis, qualia sunt: Omnia Sacra menta ad fidem alendam instituta sunt: Sacra menta non iustificant, nec vlli prosunt, sed sola fides: Sacra menta non impletur dum fiunt, sed dum creduntur.

2 Ex hoc errore, quia valde improbabilis videbatur, oriae sunt aliæ sectæ tres. Prima Anabaptistarum, paruulos non esse baptizandos, quia Baptismus sine fide non proficit, & fides à paruulis haberi non potest: de quo antea. Secunda est Sacramentariorum; paruulos posse baptizari, quia in illis non requiritur fides ad Baptismum. Tertia est quorumdam Lutheranorum in conciliabulo Vvittembergensi, conantium sententiam Lutheri mitigare his tribus pronunciatis. *Primo*, Infantes non salvantur sine aliqua ipsorum actione. *Secundo*, Et si nos non intelligamus qualis sit illa actio infantium: tamen certum est in eis fieri sanctos, & quosdam nouos motus, sicut factum est in Ioanne Baptista exultante. *Tertio*, licet non sit imaginandum quod infantes intelligent: tamen motus eorum & inclinationes ad credendum & diligendum Deum, similes sunt actibus fidei & dilectionis: Et hoc sensu intelligent infantes credere.

3 Prima Conclusio: Infantes secundum legem ordinariam non habent fidem actualem quando baptizantur. Est contra Lutherum, & probatur *primo*, quia nil tale colligi potest ex Scripturis. *Secundo*, quia Patres contrarium docent. Gregorius Nazianzenus *oratione in sancta Lumina*, dicit, infantes sine sensu sanctificationis sanctificari. Et D. Augustinus *epistola 57. ad Dardanum*, ridet hanc Lutheri sententiam, *primo*, quia iniuriam facit humanis sensibus. Videmus enim infantes partim vocis eiulatu, partim motu corporis reluctari & obstrepere Baptismo, quod sanè non facerent, si crederent se per Baptismum liberari à peccato

cato originali. *Secundo*, quia cùm adolescentur, nihil omnino sciunt de rebus fidei, nisi initio instituantur. E. vel antea non crediderunt, quod est probandum; vel à fide defecerunt, quod est absurdum. *Tertio*, quia sicut ex eo quod asina Balaam locuta sit, non licet inferre omnes asinas loqui: ita similiter exemplum vnius Ioannis Baptistæ non debet trahi ad omnes infantes. Hæc ex Augustino. *Tertio* probatur ratione, quia Lutherus docet illam fidem actualē in infantibus oriri ante Baptismum, partim per vim exorcismi, partim per orationem Ecclesiæ & fidem offerentium. At nihil horum fieri potest.

Prima pars de verbo Exorcismi patet, quia verbum non potest gignere actualē fidem, nisi actu audiatur & intelligatur. At infantes nec audiunt, nec intelligunt verba Exorcismi, tum quia sèpè dormientes baptizantur, tum quia verba Exorcismi solent proferri Latinè, ut ne adulti quidem intelligant, præsertim idiotæ; tum denique, quia non minus ignorant maternam, quam linguam Latinam. Accedit quod Exorcismus non referatur ad fidem docendam, sed ad dæmones arcendos; neque requiratur ad valorem Baptismi.

Secunda pars de oratione Ecclesiæ patet. *Primo*, quia nusquam habemus in scripturis promissionem Diuinam, quod velit infallibiliter dare infantibus fidem actualē per orationem Ecclesiæ: nec est vlla traditio Ecclesiastica de hac re. *Secundo*, quia sequeretur infantes priuatim baptizatos in articulo mortis non esse verè baptizatos, quia in tali casu non habent actualē fidem per orationem Ecclesiæ. Fides autem actualis secundūm Lutherum necessaria est ad Baptismum.

Tertia pars de fide parentum & offerentium patet, quia sèpè contingit parentes & offerentes esse infideles aut Hæreticos, qui non habent veram fidem; & tamen Baptismus est validus, ut docet D. August. Epist. 23. quam legere potestis.

4 Secunda Conclusio. Infantes, quando baptizantur, non habent nouos quosdam & sanctos motus, qui sint similes actibus fidei ac dilectionis. Est contra interpretes

Lutheri,

142 CAP. X. DE SACRAMENTIS
Lutheri; & probatur *primo*, quia nihil tale colligi potest ex Scripturis, immo repugnat eidem. Nam Lutherani volunt illos motus infantium fieri sine cognitione, & dici fidem, licet improprem: & eo modo non iustificari infantes sine aliqua fide. At in tota Scriptura nusquam habemus nomen fidei iustificantis in ea iustificatione, ut designet quendam motum sine sensu & cognitione: sed potius in contraria, ut patet ex Rom. 10. v. 13, *Fides ex auditu*, & Heb. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse seclusa verbo Dei.*

Secundo probatur ratione, quia implicat tales motus fieri sine cognitione. Vel enim sunt in intellectu, vel in voluntate. Si in intellectu, iam sunt ipsa cognitio. Nam sicut oculus non potest vitaliter moueri nisi videndo, neque auditus nisi audiendo: ita nec intellectus nisi intelligentio. Si autem sunt in voluntate, iam supponunt cognitionem in intellectu vel in sensu: quia voluntas actu non mouetur, nisi in bonum cognitum & apprehensum.

Tertio probatur ex Luthero, quia ipse docet fidem infantium gigni ex auditu verborum exorcismi. Ergo non gignitur sine cognitione. Ergo Lutherani repugnant Lutheri dicentes motus infantium fieri sine cognitione. Deinde Lutherus docet fidem infantium gigni ante Baptismum, Lutherani dicunt gigni per Baptismum. Sic enim loquitur Philippus in locis, tit. de Bapt. parvul. Spiritus, inquit, Sanctus per Baptismum illis datur, qui efficit in eis novos motus & inclinationes.

Quarto probatur ex communi quadam principio omnium Lutheranorum docentium hominem sola fide iustificari. At si ita est, quomodo infantes iustificantur per illos motus internos sine fide iustificante?

5 Tertia Conclusio. Licet infantes non habeant propriam fidem actualem, ut volebat Lutherus: neque motus aliquos internos similes fidei, ut Lutherani volebant: non tamen dicendum est eos in Baptismo iustificari sine villa fide; quod est contra Sacramentarios.

Probatur *prima*, quia in Baptismo infunditur illis habitus fidei, spei & charitatis formaliter iustificantur, ut passim docent Schol. in 3. dist. 23. Deinde praeter hunc habitum

tum dicuntur etiam actu credere in duplici sensu. *Primo*, quatenus actu baptizantur. Nam ut docet August. lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 27. infantibus ipsum baptizari est credere seu fidem profiteri. *Secundo*, quatenus credunt aliena fide, de qua August. Serm. 10. de verbis Apostoli. Sic ait: *Accommodat illis Mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur.* Et lib. 1. de pecc. meritis, cap. 25. *Mater Ecclesia cor maternum eis praefat, ut Sacris Mysterys imbuantur, quia non possunt proprio corde credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem.*

Hinc passim docent Patres & Scholastici, infantes baptizari in fide Ecclesiae & parentum. Atque ex dictis facile soluuntur rationes Lutheranorum, quas contra nos asserunt.

6 Prima Obiectio: Nemo potest iustificari sine fide. At parvuli in Baptismo iustificantur. Ergo non sunt sine fide. Respond. maior falsa est, si intelligatur de sola fide actuali propria: vera est, si indifferenter de quavis fide, sive propria, sive aliena: Itemque sive actuali, sive habituali. Et hoc sensu concedo parvulos non iustificari sine fide; tum quia infunditur illis fides habitualis, qua formaliter iustificantur; tum etiam quia baptizantur in fide matris Ecclesiae, ut ex Augustino dixi.

7 Secunda Obiectio. Si parvuli non crederent actu proprio, iam in ipso Sacramento Baptisini committeretur mendacium a respondentibus pro parvulo, Credo. Resp. nullum est ibi mendacium. Qui enim pro parvulo respondent, Credo: non significant ipsum credere actu proprio, sed vel alieno: ut iam dictum ex Augustino, vel certe ipsa susceptione Sacramenti, ut interpretatur idem Augustinus *Epistol. 23. ad Bonifacium Episcopum.*

Dices: Fides aliena nihil prodest parvulo. Resp. Si potuit illi obesse alienum peccatum, cur non similiter prodesse aliena fides? Est tamen opus distinctione. Nam duplex est aliena fides in hoc casu. Una parentum amicos sumque offerentium parvulum ut baptizetur: altera Matris Ecclesiae, cuius gremio inseritur parvulus per Baptismum. Prior fides prodest illi ut baptizetur. Si enim parentes

rentes vel amici , qui portant parvulum ad Baptismum , non crederent prodesse illi Baptismum , non utique portarent ad Baptismum. Posterior prodest , quia cum parvulus per Baptismum fiat membrum Ecclesie , & omnia membra corporis participant eundem spiritum & animam ; consequens est ut fides reliquorum membrorum censeatur etiam pertinere ad hoc membrum nouum , quod per regenerationem illis vnitur & coniungitur.

Dices : Quid si parentes , qui offerunt parvulum ad baptizandum non habeant veram fidem. Respond. hoc non obstat valori Baptismi. Satis est , quod baptizans adhibeat veram formam , materiam & intentionem. Vnde sequitur fidem parentum posse quidem esse utilem ad suscipiendum Baptismum , non tamen necessariam ad valorem Baptismi.

S Tertia Obiectio. Christus aperte significat parvulos habere actum fidei , cum ait Matthaei 18. vers. 6. *Qui scandalizauerit unum de pusillis illis qui in me credunt.* Respond. Christus per pusillos non intelligit infantes , sed grandiores pueros , ut ex contextu patet. Primo , quia vocavit illos ad se , & vocati accesserunt. Secundo , quia erant capaces scandali. Neutrum comuenit infantibus.

Q V A E S T I O III.

An Baptismus sit infantibus necessarius ad salutem?

Primus error est Pelagianorum , Baptismum non esse illis necessarium ad remissionem peccati originalis , sed solum ad affsecutionem regni coelorum , ut refert Augustinus lib. de heresib. cap. 88. Fundamentum illorum est , quia negant dari peccatum originale ; ac proinde negant infantes ideo baptizari ut renouentur , sed solum ut adoptentur ad regnum coelorum , iuxta Ioan. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus , &c. non potest introire in regnum Dei.* Vide eundem Augustinum lib. 1. de anima & eius origine , cap. 9. circa finem.

Secundus error est Ioannis Vviclefi Baptismum nec ad remissionem peccati originalis , nec ad affsecutionem regni coelorum

cœlorum esse necessarium, ut refert Thom. Vvaldens. 2. de *Sacramentis*, cap. 99. Fundamentum eius sumitur ex Diuina Prædestinatione. Nam si infans prædestinatus est, et si non baptizetur, saluabitur. Si vero reprobatus est, et si baptizetur, non saluabitur. Nulla ergo necessitas, immo nec utilitas Baptismi. Nam prædestinati sine illo saluantur, & reprobati per illum non saluantur. Idem tenet Mart. Bucerus in cap. 3. *Matthæi*.

Tertius, Error est Caluini 4. *Inst. cap. 16. §. 24. & 25.* Et in *Antid. Conc. Trid. sess. 6. cap. 5.* qui docet Baptismum non esse necessarium infantibus fidelium, eò quod eiusmodi infantes sint sancti ab utero materno. Fundamentum eius sumitur ex Diuina Promissione, quæ Abrahæ & posteris eius facta est, iuxta Genes. 17. v. 7. *Statuam pactum meum inter te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fædere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.*

Ex quo loco docet Caluinus promissionem vitæ æternæ pertinere ad omnes posteros Abrahæ, id est, ad omnes filios fidelium. Hinc deducit primo omnes infantes nasci sanctos, quotquot nascuntur ex parentibus fidelibus. Secundo, eorum sanctitatem & salutem non incipere à Baptismo, sed per Baptismum obsegnari. Tertio, nisi sancti & hæredes vitæ æternæ essent ante Baptismum, non posse admitti ad Baptismum, ne Baptismus profanetur. Quartto, eos sanctos fieri & adoptari in regnum Dei, vi promissionis Diuinæ, ac proinde iniuriam facere promissioni Diuinæ, qui dicunt eam non sufficere ad salutem sine Baptismo.

Deinde statuit idem Caluinus duas regulas de Baptismo. Prima est, filios infidelium non debere admitti ad Baptismum, eò quod alieni sint à fœdere ac promissione, nisi adulta ætate fidem Christi complectantur. Altera est, filios fidelium debere recipi ad Baptismum, qui simul atque nati sunt, in fœderis hæreditatem à Deo accipiuntur. Hæc omnia confirmat ex illo 1. Cor. 7. v. 14. *Alioqui filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.*

Idem sentit Petrus Martyr, & Henricus Bullingerus circa verba Pauli citata. Hoc tamen discrimen est, quod

Caluinus solos eos dicat esse sanctos ante Baptisimum, qui immediatè nascuntur ex parentibus fidelibus: Bullingerus autem putat satis esse, si maiores fuerint fideles, etiam si immediati parentes non sint. Ex hoc ultimo sequitur, omnes ferè pueros saluari, quia pauci non habuerunt aliquem ex maioribus suis fidelem.

neofac

4 Prima Conclusio: Baptismus est infantibus necessarium remedium ad remissionem peccati originalis, & ad gratiam & gloriam consequendam, adeò ut si sine Baptismo ex hac vita discedant, non possint saluari, excepto casu Martyrij, de quo infrà. Est communis sententia Catholiconum, definita in Concilio Carthaginensi & Mileuitano, apud August. Epist. 90. & 92. Et in Concil. Trid. sess. 7. cap. 5. de Baptismo. Consentient antiqui Patres, & nominatum Augustin. lib. 30. de anima, & eius origine, cap. 9. ubi sic ait: *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et Epist. 28. ad Hieron. ait: *Quisquis dixerit quod in Christo viuiscabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuiscari omnino non posse.* Hæc verba notet Caluinistæ.

Ratio conclusionis est, quia illud dicitur medium necessarium ad aliquem finem, sine quo finis haberi non potest. Sed salus infantium non potest haberi absque Baptismo. Ergo Baptismus est medium necessarium ad salutem. Minor patet ex Ioan. 3. vers. 4. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non potest, &c.* quæ verba non sonant præceptum, sed medium; vt patet ex ratione, quæ additur: *quod nascum est ex carne, caro est.* Item: *oportet vos nasci denuo.*

Ex quibus omnibus sic argumentor: nemo potest saluari nisi ex filio Adæ fiat filius Dei. Sed non potest fieri filius Dei, nisi iterum nascatur per aquam & Spiritum. Ergo non potest saluari sine Baptismo. Ratio à priori est, quia omnes filii Adæ nascuntur in peccato originali, vt suppono contra Pelagianos. Ergo non possunt fieri filii Dei, nisi liberen-

liberentur ab originali peccato per nouam regenerationem : At in noua lege non est alia regeneratione, nisi per Baptismum.

Caluinus , vt eludat vim huius argumenti , negat Christum loqui de Baptismo ; negat nomen aquæ sumi propriè pro vera aqua : vult accipi metaphoricè pro Spiritu sancto, vt sensus sit : *nisi quis renatus fuerit ex aqua* , id est , ex Spiritu sancto , qui instar aquæ purgat & mundat animas nostras, non potest intrare in regnum Dei.

Probat ipse hoc à simili. Sicut enim hic dicitur : *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*. Ita Matth.3. v.ii. dicitur : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*. Sed apud Matthæum per ignem intelligitur Spiritus sanctus , qui in regeneratione habet se per modum ignis. Ergo hic intelligitur , per aquam Spiritus sanctus , qui in regeneratione habet se per modum aquæ.

Sed facile Caluinus refellitur. Primo, quia recedit à communī sententia antiquorum Patrum. Secundo , quia discipulus eius Beza fatetur Christum loqui de Baptismo aquæ. Tertio, quia si verba Christi non essent intelligenda de Baptismo , non poterit Caluinus ex tota Scriptura probare aquam esse necessariam ad Baptismum. Ac proinde, si quis diceret infantem posse baptizari ex vino & cereuisia , non potest illum Caluinus ex Scriptura refutare. Licet enim ex aliis Scripturæ testimoniis colligatur quosdam baptizatos fuisse ex aqua ; non tamen ex illis colligitur necessariò baptizatos esse in aqua. Videat ergo Caluinus quomodo probet veram aquam requiri ad Baptismum , quod tamen ipse cum Catholicis defendit.

Porrò illa verba : *Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igni*, nihil iuvant causam Caluinii. Nam ibi per ignem non tam intelligitur Spiritus sanctus , quam externum signum Spiritus sancti, nempe ignis ille sensibilis, qui in Pentecoste visibiliter descendit super Apostolos, Actor.1. & 2. v. 3. Vnde etiam constat apud Matthæum non agi de Baptismo propriè dicto , sed de missione Spiritus sancti , quæ in die Pentecostes facta est.

5 Secunda Conclusio : Baptismus non minùs necessarius

est fidelium filiis quam infidelium , quia filij fidelium non minūs nascuntur in peccato originali , quam alij. Ergo non minūs sunt filij iræ , quam illi. Ergo non minūs indigent Baptismo ad salutem , quam alij. Deus enim non instituit duo remedia contra peccatum originale , vnum pro filiis fidelium , alterum pro infidelium , sed vnum pro utrisque.

Dices primo : fideles parentes non habent peccatum originale. Ergo non possunt illud in filios quos generant , transfundere. Ergo filij fidelium non nascuntur in peccato originali. Ergo non indigent Baptismo. Respond. distinguendum est primum consequens , quia duplice intelligi potest parentes transfundere peccatum originale in filios. Primo , vt ipsi quasi effectiè producant aut communicent illud peccatum suis filiis. Et hoc falsum est. Secundo , vt ipsi per carnalem generationem producendo filios ex semine Adæ subministrent materiam seu subiectum , in quod transfundi possit peccatum originale , & hoc verum est.

7 Vbi nota primo , non dari aliquam causam realem , quæ actione reali producat peccatum originale in paruulis. Ratio , quia peccatum illud formaliter non consistit in aliqua reali entitate , sed in priuatione. Neque illa priuatio oritur in paruulis per realem expulsionem alicuius formæ , sicut in Adamo contigit ; Sed quasi iure hæreditario illis communicatur. Vnde patet differentia inter Adamum & posteros eius , quia priuatio gratiæ facta est in Adamo per realem expulsionem. Prius enim habebat realem qualitatem gratiæ , qua postea per realem actionem peccati priuatus est. Hoc non fit in paruulis. Illi enim non habent in se gratiam qua realiter priuentur ; sed nascuntur cum illa priuatione.

8 Nota secundo , dari nihilominus duplē causam moralē peccati originalis in paruulis. Vna est ipsum peccatum commune , quo omnes in Adamo peccauimus. Altera est naturalis generatio ex Adamo. Diuerso tamen modo haec duæ causæ concurrunt ad peccatum originale communicandum. Nam ipsum peccatum commune quasi directè producit peccatum originale in primo instanti conceptio-

conceptionis; nisi diuinitus præueniatur eius actio, & eodem instanti infans iustificetur. Generatio verò naturalis solum substituit, & applicat subiectum in quo peccatum Adami producat suum effectum, id est, maculam originalem.

Hinc sequitur perinde esse siue proximi parentes sint iusti & fideles, siue non. Nam qualescumque sint, satis est quod per generationem naturalem producant filium in quo peccatum Adami possit suam vim moraliter exercere. Hæc latius tractantur *in 1.2. quæst. 81.*

9 Dices secundo, etiam si fidelium filij nascantur cum peccato originali, tamen illud peccatum iis non imputatur, eò quod sint filij sanctorum, idque ex vi promissionis Diuinæ. Resp. per sequentem conclusionem.

10 Tertia Conclusio: Necessitas Baptismi in infantibus non tollitur per Diuinam promissionem factam Abrahæ & posteris his verbis: *Ego Deus tuus & seminis tui post te,* Genes. 13. Neque vi illius promissionis filij fidelium nascuntur sancti, & liberi à reatu, & imputatione peccati originalis, est contra Caluinum, & probatur.

Primo, quia promissio illa potest dupliciter explicari. Vel secundum sensum litteralem, vel secundum spiritualem & mysticum. Si secundum litteralem explicetur, nihil ad rem facit. Non enim Deus, secundum litteram promisit Abrahæ, & femini eius remissionem peccatorum & vitam æternam; sed peculiarem protectionem, gubernationem & terrenam felicitatem. Ratio est, quia illa promissio facta est Abrahæ, postquam illi remissa essent peccata. Nam ante circumcisio[n]em, cui promissio annexa est, fuit iustus & fidelis, ut patet ex Roman. 4. vers. 11.

Si autem explicetur secundum sensum mysticum, tunc quidem potest intelligi de remissione peccatorum & vita æterna, sed tamen non descendit ad nos per carnalem generationem ex parentibus, ut putat Caluinus; Sed per spiritualem regenerationem in Christo. Hoc sèpè Apostolus docet, præsertim Roman. 4. & 9. & Galat. 3. & 4. vbi aperte ostendit eos esse veros Abrahæ filios secundum promissionem, non qui filii carnis, sed qui sunt filii fidei,

id est, qui imitantur fidem Abrahæ. Tunc ergo secundūm Apostolum incipimus esse filij Abrahæ vi promissionis, tūm incipimus esse fideles. At paruuli non incipiunt esse fideles, nisi cūm baptizantur. Illis enim baptizari est credere, vt dixi ex Augustino.

Secundo, probatur Conclusio, quia Iacob & Esau erant filij parentum fidelium, & tamen Esau non est natus sanctus, & liber à reatu peccati originalis, vt patet ex illo Rom. 9. v. 13. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Similiter David erat natus ex parente fidei, & tamen de seipso dicit, Psalm. 50. v. 7. *Ecce enim in iniurias conceptus sum, & in peccato, &c.* Idem dici potest de multis aliis. Non ergo filii sanctorum nascuntur sancti.

Hinc passim docent Patres, Christianos non nasci, sed fieri; vt Diuus Hieronymus Epist. 7. ad Lætam. Tertullianus in *Apolog.* cap. 17. & alij plurimi.

Respondet Petrus Martyr filios sanctorum nasci sanctos, quando prædestinati sunt. Contrà est, quia hoc modo etiam filij infidelium nascuntur sancti. Deinde non disputamus hic an filij fidelium nascantur sancti vi prædestinationis; sed solum an vi promissionis diuinæ Abrahæ factæ. Hæc enim promissio distincta est à prædestinatione, quia promissio solum pertinet ad Abraham & posteros eius. Prædestination autem pertinet ad omnes eos qui salvi sunt, siue sint posteri Abrahæ, siue non.

Probatur *tertio* Conclusio, quia si omnes filij fidelium nascuntur sancti secundūm Caluinum; vel omnes manent sancti, vel aliqui deficiunt. Si aliqui deficiunt, iam ex membris Christi sunt membra diaboli; quod repugnat Caluini principiis. Ipse enim docet fidem aut sanctitatem semel habitam amitti non posse: Item docet omnes filios fidelium vi promissionis diuinæ adoptatos esse ad vitam æternam. Hæc autem promissio & adoptio est efficax secundūm ipsum Caluinum.

Si verò omnes manent sancti, & membræ Ecclesiæ: sequitur *primo* Iudæos non potuisse deficere à fide: quia omnes Iudæi sunt posteri Abrahæ. *Secundo*, sequitur nec Ecclesiam Romanam potuisse deficere, quam tamen Caluinus

ait defecisse. Sequela patet, quia omnes fideles, qui fuerunt in primitiua Ecclesia Romana, habuerunt filios sanctos, iuxta principia Caluini, & hi filij rursus habuere filios sanctos; & ita deinceps. Ergo sicut generatio filiorum non defecit: ita nec sanctitas potuit deficere. Quomodo ergo Caluinus dicit Ecclesiam pridem defecisse a fide? Tertio, sequitur filios Caluinistarum non posse deficerre a fide Caluinistica: quod tamen est contra experientiam.

II Obiici solet illud Apostoli 1. Corinth. 7. vers. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidem: qlioqui filii vestri immundi essent. Nunc autem sancti sunt.* Hinc colligit Caluinus filios sanctos esse, qui nascuntur ex parentibus fidelibus, immundos qui ex infidelibus. Ex eodem loco colligebant olim Pelagiani filios fidelium non contrahere peccatum originale.

Resp. primo, cum Augustino lib. 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 26. Sanctificatione in esse multiplicem. Nam est quædam sanctificatio Catechumenorum per signum Christi, & manus impositionem, quæ tamen non sufficit ad remissionem peccatorum & vitam æternam. Quædam est sanctificatio ciborum per verbum Dei & orationem, ut habetur 1. Timoth. 4. vers. 5. Quædam est vera & interna sanctificatio hominis coram Deo, quæ valet ad remissionem peccatorum & vitam æternam, nempe sanctificatio per internam gratiam & iustificationem, de qua Apostolus 1. Corinth. 6. vers. 11. *Abluti estis, sanctificati estis, sanctificari estis.*

Resp. Secundo, cum eodem Augustino, sanctitatem illum, quam Apostolus tribuit filiis fidelium, quomodo cumque intelligatur, non posse tamen intelligi eam; quæ fit per veram & internam sanctificationem coram Deo; & quæ sufficit ad salutem, ut perperam exponit Caluinus. Ratio Augustini est, quia Apostolus eodem sensu dicit; Filios sanctificari a parentibus, quo sensu dicit virum infidelem sanctificari ab uxore fidei. Sed vir infidelis ex eo, quod habeat uxorem fidem, non fit sanctus vera & interna sanctificatione, quæ sufficiat ad salutem: alioqui

nulla bona vxor haberet malum maritum: & nullus bonus maritus haberet malam vxorem: quod est contra experientiam. Ergo similiter nec filij ex eo quod nascantur ex parentibus fidelibus, habent veram & internam sanctificationem, quæ sufficiat ad salutem.

Confirmatur, quia constat multos fidelium filios esse improbos & degenerare à sanctitate suorum parentum. Ergo non sufficit illis quod nati sint ex sanctis parentibus. Tales fuerunt filii Heli Sacerdotis. 1. Regum 2. & Absalon filius Dauidis. 2. Regum 13. & Achaz filius Ioathan. 4. Regum 16. & infiniti alij bonorum parentum mali filij.

Respondeo tertio, Apostolum posse intelligi de sanctitate quadam ciuili, ita ut filii dicantur sancti, quia sunt legitimi & non spuri, ut D. Thomas & alij plerique explicant. Erat enim quæstio inter Corinthios, qui iam ad fidem conuersi erant, an si vxor fieret fidelis aut Christiana, & vir esset infidelis, possent simul in matrimonio perseverare: vel, quod idem est, an tale matrimonium esset legitimum, necne? Poterat enim videri non esse legitimum ob disparitatem religionis. Nam fidelis videtur pollui per cohabitationem cum infideli. Respondet Apostolus tale matrimonium esse legitimum, neque pollui fidelem ab infideli, sed è contrario sanctificari infidelem à fidei, si cum eo consentiat habitare. Esse autem legitimum matrimonium probat ex eo, quia filii eorum non censentur infames & spuri: sed sancti, id est, legitimi & liberi à ciuili aliqua ignominia.

Respondeo quarto, Apostolum etiam posse intelligi de sanctitate quadam Christiana inchoata, ut sensus sit: virum infidelem censeri quasi Christianum, si cupiat manere cum uxore Christiana: quia spes est conuersionis ad Christianam fidem: & similiter filios eorum censeri Christianos, quia educantur more Christiano. Hæc expositio videtur colligi ex ipso contextu, vers. 16. ubi ait Apostolus: *Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut unde scis vir si mulierem saluam facies?*

12 Quarta Conclusio: Necessitas Baptismi in infantibus non tollitur per diuinam prædestinationem. Est contra
Vicile

Vuiclefum & Martinum Bucerum. Probatur *primo*, retorquendo argumentum in Aduersarios: Illi sic argumentantur: Si infans est predestinatus, etiam si non baptizetur, saluabitur: Si est reprobatus, etiam si baptizetur, non saluabitur. Ego sic retorquo: Si adultus est predestinatus, etiam si non credat, saluabitur. Si est reprobatus, etiam si credat, non saluabitur. Soluant ipsi hoc argumentum si possunt. Addo utrumque argumentum habere aliquid difficultatis apud eos, qui docent predestinationem ad gloriam fieri independentem ab electione & praeuisione mediorum: quod nos non dicimus.

Hinc *secundo*, probatur Conclusio à priori, quia efficaciter predestinationem ad gloriam dependet ab efficaci executione mediorum. Ergo non potest habere suam vim nisi per media. Ergo cessantibus mediis cessat etiam predestinationem. Atqui baptismus est medium necessarium ad gloriam. Ergo predestinationem ad gloriam dependet à praeuisita executione baptismi. Ergo nisi infans baptizetur, non potest peruenire ad gloriam.

Eodem modo ratiocinandum est de fide respectu adulorum. Nullus enim adultus predestinatus est efficaciter ad gloriam, nisi ex praeuisita fide.

Hinc patet non valere hanc collectionem: si infans est predestinatus, etiam si non baptizetur, saluabitur. Sic potius colligendum erat: Si infans est predestinatus ad gloriam, non morietur sine baptismino, quia predestinatus est ad gloriam dependenter à Baptismo. Similiter haec non valet: Si infans est reprobatus, etiam si baptizetur, damnabitur. Sic erat colligendum: Si infans est reprobatus morietur sine baptismino, quia reprobatus est dependenter à peccato originali, quod non potest consistere cum baptismino.

Quod si quis vellet tenere alteram sententiam, quæ docet efficacem predestinationem ad gloriam esse priorem praeuisione mediorum, ac proinde independentem ab illa: debebit aliter soluere argumentum Vuiclefii, & poterit videri Franc. Suarez disp. 27. sect. 1. in refutatione tertii erroris.

QVÆSTIO IV.

An Baptismus infantium possit suppleri per Martyrium?

1 **N**egant Alensis 4.p.q.22.memb.5.art. 1. & Adrianus in 4. quæst. vlt. de baptismo. Ratio potest esse duplex. Vna, quia infantes non sunt capaces Martyrij. Nam Martyrium est actus virtutis fortitudinis, qui non potest esse sine vsu rationis quò infantes carent. Altera est, quia etiam si essent capaces, tamen Martyrium sine baptismo non prodesset illis iuxta illam generalem regulam: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Hæc enim regula non habet ullam exceptionem in tota Scriptura.

2 Prima Conclusio: Infantes sunt capaces Martyrij, seu baptismi sanguinis. Ita D.Thom. in 2.2. quæst. 124. art. 1. ad 1. Richardus, Scotus, Gabriel, & alij in 4. dist. 4. Et probatur exemplo Sanctorum Innocentium, quos Ecclesia tanquam Martyres colit, & passim apud Patres pro Martyribus habentur. Vnde est illud Augustini 3.de lib. arb. cap. 23. Non frustra infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.

3 Dices: Licet Ecclesia habeat Innocentes pro sanctis, non tamen pro veris Martyribus, quia non sunt voluntariè passi pro Christo. Respondeo. Nulla potest esse causa, cur habeat illos Ecclesia pro sanctis, nisi solum Martyrium; ac proinde si non essent veri Martyres, nec verè essent sancti.

4 Dices secundo: Fuerunt sanctificati per Circumcisio-nem. Respondeo. Licet aliqui illorum fuerint Circumcisi, aut alio modo liberati à peccato originali: tamen de omnibus dici non potest. Constat enim occisos esse omnes à bimatu & infrà, quotquot erant in Bethleem & finibus eius. Ergo multi ante octauum diem sunt occisi: imò non pauci eo ipso die quo nati sunt: & verisimile est fuisse multos filios infidelium.

enohæc 5 Secunda Conclusio. Martyrium, seu baptismus sanguinis sufficit infantibus ad salutem sine baptismo aquæ. D. Thomas loco citato. Probo ex dictis, quia Innocentes saluti sunt per Martyrium. Multi enim ex illis non habuerunt aliud

aliud remedium contra peccatum originale. De quo plura
infrà quæst. II.

6 Ad primam rationem contrariam respondeo, Martyrium posse dupliciter spectari. Primo formaliter, quatenus est actus virtutis, & sic non habet locum in infantibus. Secundo materialiter, quatenus est actualis mors pro Christo perpeſſa, & sic conuenit infantibus.

Dices: Illa perpeſſio mortis non potest propriè vocati Martyrium, quando deest consensus. Respondeo. Potest vocari Martyrium, quoad efficaciam, non tamen, quoad formalem rationem & essentiam. Probatur, quia licet infantes non habuerint proprium consensum: tamen voluntas & meritum Christi potuit illis efficaciter prodefeſſe; ſicut voluntas & demeritum Adami potuit illis obefſe. Vnde fit ut patiendo mortem pro Christo non quidem exercuerint actum virtutis propter defectum propriæ voluntatis: tamen acceperint præmium virtutis ob meritum & voluntatem Christi.

7 Ad secundam respondeo. Etiam si sit generalis regula, neminem saluari posse, niſi per baptismum aquæ; tamen non excludit speciale priuilegium, ſeu exceptionem Martyrij.

Dicos: Vnde conſtat de illo priuilegio, ſeu exceptione? Respondeo, ex Christi verbis, Matth. 10. v. 32. Qui conſitebitur me coram hominibus, conſitebor, & ego eum coram Patre meo. Hæc autem confefſio non tantum fit verbo, ſed etiam facto & opere. Vnde de Innocentibus cantat Ecclesia in collecta: Deus, cuius præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeffi ſunt, &c.

QVÆSTIO V.

An Baptismus infantium poſſit alio modo ſuppleri?

1 Cretanus art. 2. docet in neceſſitate ſuppleri poſſe per fidem parentum, applicatam infantibus per ſignum Crucis cum inuocatione Trinitatis. Et art. 11. addit. eodem modo ſuccurri poſſe infantibus in utero materno existentibus. Hæc ſententia eſt temeraria, & iuſſu Pij V.

ex commen. D. Thom. expuncta in Romana impressione.

2 Prima Conclusio: Infantes secundum legem ordinariam non possunt saluari sine baptismo in re suscepto: excepto solo casu Martyrij. Ac proinde non sufficit illis parentum fides applicata per signum Crucis cum inuocatio-ne SS. Trinitatis, D. Thom. *infra quest. 73. art. 3.* & alij omnes contra Caiet.

Ratio sumitur ex duobus principiis, *Primum*: Illa verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. continent necessitatem baptismi, non solum respectu adultorum, sed etiam infantium. Hoc omnes Catholici concedunt, etiam Caietanus: & meritò, quia infantes ex una parte sunt capaces baptismi, ut ostendi contra Anabaptistas: & ex altera parte indigent baptismi propter peccatum originale. Est ergo necessitas aliqua baptismi respectu illorum.

Alterum est, quod illa necessitas respectu infantium non sit necessitas præcepti, sed medij. Hoc etiam concedit Caietanus cum aliis Catholicis. Et probatur *primo*, quia infantes non sunt capaces præcepti: sunt autem capaces medij. *Secundo*, quia si esset tantum necessitas præcepti, sequeretur omnes infantes saluari sine baptismo, etiam infantes Turcarum, Iudeorum & Gentilium; quod est absurdum. Sequela patet, quia quicunque habet inuincibilem ignoratiā alicuius præcepti, excusat ab obligatione illius præcepti. Sed omnes infantes habent inuincibilem ignoratiā præcepti baptismi. Ergo excusat ab obseruatione illius præcepti. Si ergo non esset alia necessitas baptismi quam necessitas præcepti, omnes, infantes saluari pos-sent sine baptismo.

Tertio probatur, quia quando tantum est necessitas præcepti: si in aliquo casu præceptum obseruari non potest, non est opus suppleri defectum illius. At defectus Baptismi suppleri debet in infantibus secundum Caiet. Ergo est ne-cessitas medij.

Ex his duobus principiis probatur Conclusio, quia omnia media, quæ secundum legem ordinariam necessaria sunt infantibus ad salutem, pendent ex sola Dei voluntate & in-stitutione: non autem ex phantasia, aut speculatione huma-na:

na: Dei autem voluntatem & institutionem non possumus aliter cognoscere , quām ex Scriptura aut traditione. Sed neque Scriptura neque traditio agnoscit aliud medium ordinariū pro salute infantium quām baptismum. Ergo sine temeritate non potest aliud astrui. Vide D. August. *M. 3. de anima & eius orig. cap. 9. & ep. 28. ad Hieronymum.*

Confirmatur *primo*, quia si fides parentum esset medium ordinariū pro infantibus in necessitate , quomodo hoc ignorāset Ecclesia usque ad Caietanum ? *Secundo* , vnde scit Caietanus fidem parentum debere applicari per signum Crucis , & non alio modo infantibus ? *Tertio* , vnde scit hoc remedium valere in necessitate & non extra necessitatem ?

3 Scēunda Conclusio : Infantes non saluantur sine baptismo ex speciali priuilegio , quamuis id fieri non implacet. Probatur *primo* , quia de tali priuilegio post promulgatum Euangeliū nihil constat ex Scriptura & traditione. Ergo hoc afferendum non est. *Secundo* , quia Baptismus non minus est necessarius infantibus quām fides adultis. Sed non possumus sine temeritate afferere adultos ex speciali priuilegio saluari sine fide. Ergo nec infantes sine baptismo.

4 Prima Obiectio : Fides non fuit maioris efficaciam in veteri testamento quām in nouo. Sed in veteri sufficiebat fides parentum applicata parvulis per aliquod signum externum. Ergo etiam hoc in nouo sufficit. Resp. in veteri sufficiebat Sacramentum fidei , quod etiam nunc sufficit. Hoc interest, quod Sacramentum fidei non fuerit tunc determinatum ad certum signum externum: nunc autem determinatum sit ad ablutionem aquæ.

Porro illa propositio : quod fides olim non fuerit efficacior quām nunc est , potest variè intelligi. *Primo* , quod actus ex obiectio non fuerit nobilior, quām nunc est. *Secundo* , quod non habuerit maiorem vim ad iustificandum ipsum credentem. *Tertio* , nec maiorem vim ad iustificandos alios. *Quarto* , quod Sacramentum fidei non fuerit tunc efficaciùs quam nunc.

His omnibus modis concedi potest propositio : imò nostra

nostra fides his omnibus modis quodammodo præferenda est. *Primo*, quia versatur expressè & distinctè circa Trinitatem personarum & incarnationem Verbi. Ergo ex obiecto est aliquo modo nobilior. Nam fideles in veteri Testamento non habebant expressam & distinctam fidem trium personarum, & Verbi incarnati, sicut nos iam habemus.

Secundo, quia fides habet vim iustificandi ex meritis Christi. Hæc autem merita copiosius operantur in novo quam in veteri Testamento. *Tertio*, quia Sacra menta noua sunt efficaciora veteribus.

Quod autem obiicitur fidem parentum applicatam paruulis suffecisse ad salutem, id verum est, non tam ratione fidei, quam ratione Sacramenti. Nam sola fides non poterat sufficere sine externo Sacramento. Vnde Sacramentum erat causa iustificationis. Fides autem parentum habebat se per modum dispositionis.

5 Secunda Obiectio : Votum baptismi sufficit adultis. Ergo etiam infantibus. Respondeo. Infantes non sunt capaces voti.

Dices : Votum parentum illis sufficit. Nam ut dici solet, voluntas patris reputatur voluntas paruuli. Resp. hoc verum est in iis rebus in quibus pater est caput filij : non autem in iis, in quibus habet se ut priuata persona. At in iustificatione parentes & filii sunt eiusdem ordinis, nec unus est caput alterius, sed omnium caput est Christus, & omnes sunt in unum membra sub uno capite Christo. Rom. 12. v. 15. *Multi unum corpus sumus in Christo ; singuli autem alter alterius membra.* Vide D. Thom. supra quæst. 8. vbi disputat de gratia capitum in Christo.

6 Tertia Obiectio : Si baptismus est omnino necessarius infantibus ad salutem, sequitur infinitos propè infantes carere omni præsidio salutis ; quod est partim contra bonitatem Dei, qui vult omnes homines saluos fieri, teste Apostolo, partim contra merita Christi, quæ debent esse communia omnibus. Sequela patet, quia plurimi infantes moriuntur in utero, qui baptizari non possunt. Si ergo præter baptismum non est aliud remedium, sequitur illos omni præsidio destitui, quod est valde durum.

Respon

Respondeo primo, hoc argumentum procedit etiam contra Caietanum. Nam infiniti propè infantes moriuntur quotidie apud Turcas & gentiles, qui nec baptismō, nec illo remedio à Caietano excogitato iuuari possunt. Nam parentes illorum infantium non habent veram fidem; neque sciunt suos paruulos obnoxios esse peccato originali & indigere remedio. Respond. secundo, non est contra bonitatem Dei, quod multi infantes pereant sine remedio salutis, tum quia propter peccatum originale iustè excludi possunt à remedio salutis: tum quia salus est supernaturalis, quæ non debetur illis, etiam si peccatum non haberent; sed essent in puris naturalibus: tum denique, quia nulla poena sensibili afficiuntur; sed agunt vitam felicem iuxta exigētiā status naturæ.

Quod autem obiicitur ex Apostolo, Deum velle omnes homines saluos fieri, verum est de Dei conditionata voluntate respectu adulorum, ut ex contextu patet, & suppono ex materia de prædestinatione.

Respond. tertio, nec est contra merita Christi, quod multi infantes pereant, quia licet merita illius sint infiniti valoris: tamen non profunt, nisi applicentur. Debent autem applicari iuxta diuinam ordinationem, in qua partim bonitas, partim iustitia elucet. Bonitas respectu eorum quibus fit; iustitia respectu aliorum quibus non fit applicatio.

Dices: Quare Deus vni potius applicat quam alteri merita Christi? Respondet Apol. alius Roman. 9.v.20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Et cap. 11.v.32. O altitudo, &c. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!

5 Quarta Obiectio: Sicut Ioan. 3.v.5. dicitur; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non potest, &c. in regnum Dei.* Ita Ioan. 6.v. 50. dicitur: *nisi manducaveritis carnem Filii heminis, non habebitis, &c.* Sed ex hoc loco non rectè colligitur Eucharistiam esse medium necessarium infantibus ad salutem. Ergo nec ex altero colligitur Baptismum esse medium necessarium ad salutem. Nam modus loquendi utrobique est idem.

Respondeo, de hac re agendum est infra cap. 15. quest. 6. nunc breuiter dico non esse spectanda nuda verba, sed sensum

sum & rem significatam, quæ diuersa est in illis duobus Sacramentis. Nam per baptismum spiritualiter generamur filij Dei: per Eucharistiam spiritualiter nutrimur. Vnde baptismus ordinatur ad acquirendam vitam spiritualem, Eucharistia ad eam conseruandam.

Hinc sequitur *primo*, baptismum iis esse necessarium, quibus necessaria est generatio & vita spiritualis: hæc autem omnibus ad salutem necessaria est, tam infantibus quam adultis. Ne non enim potest saluari, nisi sit filius Dei: & nemo potest esse filius Dei, nisi genitus ex Deo. *Secundo*, sequitur Eucharistiam iis esse necessariam, quibus necessaria est nutritio & conseruatio vitæ, quando hæc aliunde haberi non potest. At nutritio vitæ spiritualis non est infantibus necessaria. Ergo nec Eucharistia. Minor patet; quia sicut nutritio corporalis tunc solum necessaria est ad conseruandam vitam corporalem, quando per actionem caloris naturalis aliquid deperditur, quod restaurandum est: ita nutritio spiritualis tunc solum necessaria est ad conseruandam vitam spiritualem, quando per quotidiana peccata deperditur aliquid quod est restaurandum. Sed in infantibus nihil deperditur per peccata, cum non possint peccare ante usum rationis. Ergo non indigent nutritione spirituali. Ergo nec Eucharistiam. Ergo hoc Sacmentum non est illis medium ad salutem. An autem sit adultis necessarium medium, dicemus alibi.

QVÆSTIO VI.

An expediatur infantes Christianorum baptizare ante usum rationis?

1. **G**regorius Nazianzen. in serm. de Baptismo, optat in fantium baptismum differri in triennium, ut per se possint aliquo modo respondere, & annuere. Tertullianus autem libro de Baptismo, putat melius esse, ut differatur usque ad annos discretionis. Reliqui tamen Patres non probant hanc dilationem, sicut nec D. Thom. art. 3. & 9.

2. Prima Conclusio: Certum est licere infantes Christianorum baptizare ante usum rationis. *Primo*, quia tota Ecclesia

Ecclesia re ipsa hoc facit. Secundo, quia nullo præcepto siue naturali, siue positivo id prohibitum est. Non quidem positivo, quia nullum tale extat: nec naturali, quia id solum prohibetur lege naturali, quod per se & intrinsecè malum est. Sed actio baptizandi infantes non est intrinsecè per se, & ex obiecto mala, quia nec est iniuriosa proximo, cum potius illi profit ad salutem; nec est iniuriosa Sacramento, cum detur homini capaci, & non indigno, qui indiget tali remedio: nec est iniuriosa Christo, aut Deo, cum cedat in honorem eius atque in animarum salutem.

3 Secunda Conclusio: Non solum licet, sed etiam expedit parvulos baptizare ante usum rationis. Primo, quia liberantur a peccato originali & potestate Diaboli. Secundo, quia sunt membra Christi, & securi sunt de vita æterna, si sic moriantur. Hinc D. Chrysostom. tom. 5. ad Neophytos, ait: *Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ut non sint coquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint omnes, ut Spiritus habitatio sicut.*

4 Tertia Conclusio: Extra casum necessitatis nullum extat diuinum præceptum baptizandi infantes ante usum rationis, tametsi Ecclesiastico iure id faciendum sit. Prima pars patet, quia de nullo diuino præcepto nobis constat. Secunda probatur, quia licet non sit uilla lex Canonica de hac rescripta: tamen recepta Ecclesiae consuetudo sufficiens videtur ad hoc ius introducendum.

Dixi: Extra casum necessitatis, quia si infans sit in periculo mortis, iam concurrunt multa præcepta baptizandi illum. Primo, generale charitatis præceptum, quo tenebunt subuenire proximo indigenti. Secundo, præceptum pietatis, quo parentes tenentur filiis prouidere. Tertio, præceptum iustitiae, quo parochi tenentur suos subditos iuuare in tali necessitate.

Obiectio: Ex baptismō parvolorum necessariò sequitur unum incommodum è duobus. Vel enim quando ad usum rationis peruererunt, cogendi sunt ut permaneant in Ecclesia, quod est contra libertatem Christianam; vel si hæc

libertas illis relinquitur, baptismus & character eius exponeatur periculo, ne indignè tractentur & violentur.

Respondeo. Non est contra Christianam libertatem, ut qui per baptismum ingressi sunt in Ecclesiam, cogantur in illa permanere, tum quia Ecclesia hoc ius accepit à Christo: tum quia cedit in utilitatem Christianorum; de qua relatus in materia de fide.

QVÆSTIO VII.

An liceat infantes infidelium baptizare inuitis parentibus?

1 **D**uplices sunt infideles: alij post suscepturn baptismū defecerunt à fide, vel ad heresim, vel ad Iudaïsmum, vel ad paganismum; & vocantur Apostate: alij fidem & baptismum nunquam suscepserunt. Hi iterum sunt duplices: quidam subiecti sunt Christianis Principibus in iurisdictione temporali: quo pacto Iudei in Germania subiecti sunt Imperatori: & aliqui Gentiles in India subiecti sunt regi Hispaniarum. Quidam non sunt subiecti, sed liberi ab omni iurisdictione Christianorum, vt Turcae ac multi alijs Gentiles. Rursum, qui subiecti sunt Principibus Christianis, vel politicè tantum subiecti sunt, vel etiam seruilliter, & iuxta has distinctiones procedendum est.

2 **P**rima Conclusio: Filij apostatarum baptizari possunt ab Ecclesia inuitis eorum parentibus. Est communis sententia, quia Ecclesia habet ius in ipsis parentes, & potest eos ad fidem cogere, aut poenam mortis irrogare, si pertinaces sint. Ergo potest eos priuare iure ac potestate quam habent in suos filios. Ergo ipsis inuitis potest eorum filios baptizare.

3 **S**ecunda Conclusio: Filij infidelium nullo modo subiectorum Ecclesiae vel Principibus Christianis, non possunt ab Ecclesia baptizari inuitis parentibus. Ita D. Thom. art. 10. & alij passim. Nota primo, nos non disputare, an talis baptismus esset validus, sed solum, an licitus. Constat enim fore validum, etiamsi parentes non consentirent. Secundo, certum est talem baptismum fore illicitum & prohibitum iure Eccle-

Ecclesiasticō; sed dubium est, an etiam iure naturali, & diuinō esset illicitus & prohibitus. Nos asserimus. Ratio, quia Ecclesia duobus posset modis tales infantes baptizare. *Primo*, eripiendo eos parentibus. *Secundo*, relinquendo illos sub cura & potestate. Neutrum licet. Non primum, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in tales parentes, nec spiritualem, nec temporalem, ut suppono. Ergo non potest eos priuare suis rebus & possessionibus. Ergo multo minūs filiis. Hoc enim esset contra iustitiam. Nec secundūm, quia duplex committeretur peccatum, sacrilegium & iniustitia. De sacrilegio patet, quia si filii infidelium baptizarentur inuitis parentibus, & simul relinquenterunt sub cura & potestate parentum; iam ab iis instruerentur in idolatria, & sic baptismus eorum profanaretur, & contemneretur, quod est apertè sacrilegium. Ecclesia autem non debet dare causam huius sacrilegi.

De iniustitia patet dupliciter. *Primo*, quia infideles parentes, qui nullo modo subiecti sunt Ecclesiae, habent plenam & absolutam potestatem in suos filios. Ergo faceret illis iniuriam, qui contra eorum voluntatem baptizaret illorum filios. *Secundo*, quia Ecclesia ratione characteris acquirit ius in omnes baptizatos. Ergo & acquirerent tale ius in filios infidelium inuitis parentibus; & per consequens eriperentur e potestate parentum ipsis reclamantibus, quae est manifesta iniuria.

4 Prima Obiectio: Ecclesia videtur duplici titulo habere ius baptizandi tales infantes. *Primo*, ex illa generali concessione Christi: *Baptizate omnes gentes*. Sicut enim Christus instituit, ut baptismus esset medium necessarium omnibus infantibus tam fidelium, quam infidelium; ita etiam præcepit omnes baptizari. Sicut ergo præceptum generale est, ita & potestas baptizandi. *Secundo*, ex generali concessione iuris naturae, quo licitum est quosvis innocentem defendere. At filij infidelium sunt innocentes, & summam iniuriam patiuntur a parentibus propter negatum baptismum. Ergo licet eos defendere & baptismum conferre.

Confirnatur, quia si parens infidelis vellet filium innocentem gladio interficere, liceret eum eripere ex manu

parentis & vitam corporis conseruare. Ergo idem licebit, si parens vellet illum spiritualiter interficere negando baptismum.

Resp. *Primo*, Christus non dedit Apostolis potestatem, aut præceptum, ut baptizarent inuitos, sed volentes homines. Sicut ergo adulti non debent baptizari, nisi sponte consentiant: ita nec infantes, nisi consentiant iij in quorum cura & potestate sunt. Resp. *Secundo*, Ius naturæ concedit defensionem innocentum in iis rebus, quæ sunt iuris naturæ. Vnde si alicui innocentia fiat iniuria, quæ repugnet naturali iustitiæ; tunc iure naturæ licebit ipsum defendere. Si autem fiat illi iniuria, quæ solum repugnet supernatura-li debito fidei, aut religionis, tunc solo iure naturæ non li-cet illum defendere, nisi accedat aliud ius spirituale, seu Ecclesiasticum, quod in casu præsenti nullum est.

5 Secunda Obiectio: Tametsi parentes habeant potesta-tum in suos filios; tamen quando ea abutuntur, iure pos-sunt illa priuari. At infideles abutuntur potestate sua in filios, quando non patiuntur eos baptizari. *Primo*, quia fa-ciunt contra præceptum Christi, quod obligat omnes mor-tales ad suscipiendum baptismum. *Secundo*, quia iniuste re-pugnant Ecclesiæ cupienti vti suo iure à Christo sibi con-cessio. *Tertio*, quia potestas parentum eò spectat, vt filios suos alant ad cultum Dei, quod non faciunt infideles quan-do impediunt Baptismum filiorum.

Respondeo, tametsi parentes peccent & abutantur sua potestate quam habent in filios, non tamen possunt puniri, nisi à superiore habente in illos iurisdictionem. Ecclesia autem non habet ullam in eos iurisdictionem. Non spiritualem; quia non sunt baptizati. Nec temporalem, quia nul-li Principi Christiano subiecti sunt in temporalibus, vt supponimus.

6 Tertia Obiectio: In lege naturæ poterat quicunque fi-delis offerre Deo alienum infantem, illique remedium ap-plicare contra peccatum originale etiam inuitis parenti-bus. Ergo idem licebit in lege gratiæ. Resp. *Primo*, aliqui concesso antecedente negant consequentiam. Ratio, quia in lege naturæ poterat hoc fieri sine iniuria parentum, non

autem

autem in lege gratiæ. Baptismus enim imprimit characterem ex quo oritur specialis obligatio ad seruandam fidem Christianam, quæm filij non possunt seruare, si sint sub potestate parentum infidelium: ac proinde, si eam seruare debeant, necesse est illos abstrahere à potestate parentum: quod est facere iniuriam parentibus. At remedium naturæ contra peccatum originale non imprimebat characterem: ac proinde poterant filij à peccato originali liberari sine speciali obligatione seruandi diuinæ Maiestati.

Resp. Secundo, rectius negatur antecedens. Primo, quia iniuria, quæ nunc in noua lege fit parenti, quando baptizatur filius ipso inuitio, non solum oritur ex charactere: sed etiam (directè) ex iure paterno in filium. Hoc autem est idem in lege naturæ atque in lege gratiæ. Secundo, quia licet tunc non imprimeretur character, tamen infundebatur fides supernaturalis per Sacramentum legis naturæ. Vel ergo fides illa seruanda erat infanti: & sic à parente debebat abstrahi, vel negligenda: & sic commissum fuisset sacrilegium.

7 Quarta Obiectio: Si filij infidelium essent in extremo mortis periculo, liceret illos baptizare inuitis parentibus. Ergo etiam extra illud periculum licebit. Est enim par ratio ex parte parentum. Nam in utroque casu habent ius in suos filios. Si ergo non est contra ius illorum baptizare filios in uno casu, non erit etiam in altero. Aliqui concedunt antecedens, quia putant parentes in tali casu amittere ius suum per mortem filiorum, quæ iam proxima est. Alij negant illud, quia putant intrinsecè malum esse baptizare filium inuitis parentibus, ac proinde in nullo casu esse licitum.

Respondeo, parentes in tali casu non amittunt ius per mortem filiorum, quia mors, etiamsi proxima sit, nondum tamen adeat. Quandiu ergo filij viuunt, tamdiu manent sub potestate parentum. Reip. Secundo, possunt nihilominus filij in tali casu baptizari, modò fiat occultè & insciis parentibus. Ratio, quia si certo constet filium moritum, non est ullum periculum futuri sacrilegij. Et ex altera parte non est opus eripere illum è patria potestate, quia

Paulò pòst per mortem est auferendus sine iniuria. Et licet ipsi parentes in tali casu habeant ius in filium : tamen in necessitate fit hoc commune aliis. Resp. *Tertio*, non potest tamen hoc fieri parentibus scientibus & repugnantibus, quia fieret cum scandalo & periculo sacrilegij blasphemiae que contra Christianam fidem.

8 Quinta Obiectione : Si non licet baptizare filios infidelium manentes sub cura parentum propter periculum sacrilegij, non licebit etiam filios hæretorum propter eandem causam. Resp. est magna differentia inter fideles & hæreticos. *Primo*, quia hæretici sunt Christiani, & habent baptismum in honore. *Secundo*, quia possunt coerceri ab Ecclesia, ne peruerant filios, sed permittant illos instrui Catholico ritu. *Tertio*, possunt etiam spoliari suis filiis. Si tamen esset morale periculum sacrilegij futuri, abstineendum esset à tali baptismo.

9 Sexta Obiectione : si alter parens consentiret, tunc liceret baptizare infantem intuito altero parente. Ergo etiam intuito utroque. Est enim par ratio, siue spectes iniuriam, siue sacrilegium. Nam si alteri intuito non fit iniuria, nec utriusque fit : aut si utriusque fit, etiam alteri fit. Similiter, si ab altero non timetur sacrilegium, cur ab utroque timetur ? aut si ab utroque timetur, cur non etiam ab altero ?

Resp. *Primo*, si præcisè spectemus periculum sacrilegij, videtur esse par ratio in utroque casu, præsertim relinquendo infantem baptizatum sub cura parentis repugnantis baptismo. Resp. *Secundο*, si autem præcisè spectemus iniuriam, non est par ratio. Nam quando infans baptizatur consentiente altero parente, tunc nulla fit iniuria, etiam si alter dissentiat. Ratio est, quia iuxta commune ius, si filius alteri parenti subtrahendus est, adiudicatur parenti innocentis. At parens consentiens in baptismum censetur innocens in hoc casu, quia consensus illius fit in favorem Christianæ religionis & in salutem filij. Ergo parenti consentienti adiudicandus est filius. Idem colligitur, ex cap. 2. *Extra de conuers. infidelium*. Et ex Concil. Tolerano 4. cap. 61.

10 Tertia Conclusio : Filii eorum infidelium, qui politicè tantum subiecti sunt Principibus Christianis, in temporali
tameq;

tamen iurisdictione, non possunt etiam baptizari inuitis parentibus. Ita Durand. *in 4. dist. 4. 6.* Capreol. Palud. Dom. Sotus, & alij contra Scotum & Gabrielem, qui contrarium tenent. Ratio horum est; quia Princeps habet potestatem puniendi suos subditos, quando peccant contra diuina præcepta. Ergo potest punire infideles sibi subiectos, quando contra præceptum baptismi non patiuntur suos filios baptizari. Ergo potest illis eripere filios & baptizare in poenam illius peccati.

Sed conclusio nostra probatur contraria ratione, quia Princeps secularis non habet, nisi secularis potestatem in suos subditos. Ergo solum habet potestatem puniendi ea peccata quæ sunt contra politicam pacem & gubernationem. Hic enim est finis & scopus politicæ potestatis, sub quem finem non cadit baptismus; neque contra illum peccant infideles parentes, qui recusant baptismum.

Dices: Hinc sequeretur Principem Christianum non posse etiam punire subditos Christianos nolentes filium suum baptizare; quod tamen est falsum. Resp. per se & propria autoritate id non potest, sed solum ex concessione Magistratus Ecclesiastici.

Dices: Ergo ex eadem concessione poterit etiam punire infideles. Reip. non est par ratio, quia infideles non subsumunt potestati Ecclesiastice, sicut Christiani.

Confirmatur Conclusio, quia, ut dictum est in præcedenti, Ecclesia potest dupliciter infantes infidelium baptizare. *Primo*, abstrahendo eos à parentibus: & hoc est contra iustitiam. *Secundo*, relinquendo eos cum parentibus: & tunc est periculum sacrilegii.

II Quarta Conclusio: Filij eorum infidelium, qui nona tantum politicè, sed etiam seruiliter subiecti sunt Principibus Christianis, possunt autoritate Dominorum separari à parentibus, ipsique inuitis baptizari. Ita Durand. *l.c.* Ratio sumitur ex duobus principiis. *Primo*, dominos pro suo arbitrio posse separare filium seruum à patre seruo sineulla iniustitia: idque vi potestatis, & iuris quod habent ratione domini. Probatur, quia seruitus iure gentium hoc modo introducta est, ut dominus possit seruum vendere,

aut donare, aut mittere quò volet. Ergo sicut hoc potest facere circa parentem; ita quoque circa filium. Est enim par ratio, cùm vterque sit aequaliter seruus: & per consequens aequaliter subiectus suo dominio.

Alterum est: Si filius serui infidelis semel separetur à patre, potest inuito patre baptizari. Probatur, quia dominus succedit loco parentis, & ad eum pertinet ius & cura gubernandi seruum suum, non minùs quām cura prouidendi illi de necessariis ad vitam corporalem. Hinc 1. *Math. cap. 2.* Mathathias omnes parvulos incircumcisos in bello captos circumcidi fecit: inter quos procul dubio erant multi filij infidelium.

Ex his duobus principiis patet ratio conclusionis. Et hinc ulterius infertur posse dominum hac speciali intentione vendere seruum, ut liberè possit filium baptizare a parente suo separatum.

Q V A E S T I O V I I I .

An liceat baptizare infantes in utero materno existentes?

versus **P**rima Conclusio: Si infans omnino clausus est in utero materno, non potest baptizari. Ita S. Thom. art. II. Ratio est, quia neque per seipsum (materialiter) potest ablui, neque ablutio matris potest reputari pro ablutione filij, cùm sit persona distincta, ut bene notauit August. *lib. 6. contra Julianum, cap. 5. & 6.* Vnde etiam in Concilio Neocæsariensi *cap. 6.* dicitur baptismum mulieris prægnantis non prodesse filio.

Secunda Conclusio: Si mater prægnans moriatur, potest infans excindi & baptizari etiam ante tempus natuitatis. Si autem sit vicina morti, non potest inde excindi infans & baptizari. Ita D. Thom. art. II. ad 3. Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eneniant bona. Ergo mater, etiamsi sit vicina morti, non tamen debet interfici ut saluetur filius. Nam quamdiu viuit, nemo potest violenter auferre illi vitam, cùm non sit dominus vitae illius.

Dices: quid si mater iuste damnata sit ad mortem, an tunc

tunc liceat exscindere infantem & baptizare? Resp. regulariter differendum est supplicium matris usque ad partum propter bonum proli, *i. prægnantis, ff. de panis.*

4 Dices secundo, quid si infans ante partum credatur moriturus in utero? Paludanus in 4. *dil. 6. q. 1.* dubitat, quid tunc faciendum sit, quia lex antea citata nihil dicit de tali casu: solum in genere afferit differendum esse supplicium usque ad partum. Resp. in tali casu licebit anticipare supplicium seruato ordine iuris quantum fieri potest. Ratio est, quia tunc nulli fit iniuria, & ex altera parte saluatur infans ne in æternum pereat. Confirmatur, quia dilatio supplicij, quæ in iure conceditur, non est in fauorem matris, sed filij. Ergo maximè debet spectari utilitas filij. Si ergo dilatio non esset filio utilis, sed potius noxia, non deberet differri supplicium matris; quia tunc cessaret finis ob quem dilatio introducta est à iure.

5 Dices tertio: Cessante fine legis in particulari, non cessat obligatio legis. Resp. hoc est verum, quando finis legis in particulari cessat negatiuè tantum, id est, quando lex ad talem finem non amplius prodest. At falsum est, quando cessat contrariè, id est, quando lex, si seruetur, obest seruant, cum alioqui deberet prodesse. Hoc autem fieret in nostro casu. Nam si lex illa de differendo supplicio matris ad partum usque seruaretur, quando infans putaretur moriturus ante partum, iam obesset infanti.

Q V A E S T I O I X.

An Baptismus sit adultis necessarius ad salutem?

1 **D**uplex est necessitas, altera medij, altera præcepti. Hic illud dicitur necessarium ad salutem necessitate medij, sine cuius causalitate seu concursu salus haberi non potest. Id autem dicitur necessarium necessitate præcepti, sine quo peccatum caueri non potest. Prior necessitas directè respicit finis consecutionem; id est, effectiuè concurrit: posterior autem respicit impedimenti, id est, peccati ablationem. Vnde sequitur id, quod est necessarium necessitate medij, non posse omitti sine dispendio

L 5 salutis,

salutis, quia carnis salus eius suppleri non potest: id autem, quod est necessarium necessitate pracepti, posse aliquando omitti sine dispendio salutis, præsertim per ignorantiam inuincibilem, quæ excusat à peccato.

2. Prima Conclusio. Baptismus vel in re, vel in voto est adultis necessarius ad salutem necessitate medijs secundum legem ordinariam. Hoc partim colligitur ex illo: *nisi quis renatus fuerit, &c.* partim in sequenti quæst. explicabitur, ubi agendum est de voto Baptismi. Dixi secundum legem ordinariam, propter speciale priuilegium Martyrij, de quo infra quæst. 11.

3. Secunda Conclusio. Baptismus est etiam adultis necessarius necessitate pracepti, quia omnia media necessaria ad salutem, quando sunt in nostra potestate, cadunt sub praceptum. Hinc patet differentia inter infantes & adultos. Nam adulti si negligant Baptismum, non solum amittunt salutem, sed etiam contrahunt nouum peccatum, quia transgredivintur praceptum Baptismi. Infantes autem si non baptizentur, amittunt quidem salutem, sed non peccant, quia non sunt capaces pracepti illius.

4. Quæres quale sit hoc praceptum Baptismi respectu adultorum? Aliqui respondent esse naturale, non positivum, supposita institutione Baptismi. Ratio, quia homo adultus naturali iure charitatis tenetur curam gerere suæ salutis; & consequenter adhibere media necessaria ad salutem.

Hæc responso bona est, non tamen satis rem explicat. Nam duplex praceptum spectari potest in Baptismo, alterum positivum, ex quo oritur necessitas medijs: alterum naturale, quod supponit necessitatem medijs. Vnde hæc tria sunt in Baptismo. *Primo* praceptum positivum. *Secundo* necessitas medijs. *Tertio* praceptum naturale.

5. Dices: Quid opus est fingere pracepta, cùm alterum sufficiat? Necessitas enim medijs in Baptismo potest oriri ex libera Dei institutione & voluntate, sine ullo pracepto positivo. Resp. generatim loquendo, necessitas medijs in ordine ad finem potest oriri ex tribus causis. *Primo* ex natura rei; quo pacto cibus & potus medium necessarium est

est ad vitam conseruandam. Secundo ex libera institutione superioris sine ullo præcepto; quo pacto Doctoratus potest esse necessarius ad certum beneficium consequendum. Tertio ex libera institutione superioris coniuncta cum præcepto positivo. Et hoc modo dicimus Baptismum esse medium necessarium ad salutem.

Ratio est, quia quando homo adultus iustificatus est per votum Baptismi, adhuc tenetur sub peccato re ipsa suscipere Baptismum. Ergo si non susciperet re ipsa, peccaret mortaliter. Ergo transgredereatur aliquod præceptum, quod non potest esse aliud, quam præceptum Baptismi; idque posituum.

6 Dices: transgredereatur naturale præceptum Baptismi non positum. Resp. hoc dici non potest: quia naturale non obligat, nisi supposita necessitate medijs. Ideo enim naturali iure tenemur baptizari, quia Baptismus est medium ad salutem necessarium. Ergo cessante necessitate medijs cessat obligatio præcepti naturalis, quod oritur ex illa necessitate. At vero, cum adultus per votum Baptismi iustificatus est, cessat necessitas medijs, quia iam habet gratiam iustificantem. Ergo etiam cessat obligatio præcepti naturalis. Ergo illa obligatio qua tenetur suscipere Baptismum, non est naturalis, sed positiva.

QVÆSTIO X.

An Baptismus adultorum suppleri possit per contritionem?

I **A** liqui sic proponunt: an Baptismus re ipsa suscep-
tus sit adultis necessarius ad salutem, an vero sufficiat Baptismus in voto, quod includitur in contritione.

Prima opinio est Baptismum re ipsa suscep-
tum esse necessarium ad salutem huius vitæ, id est, ad gratiam iustifi-
cantem & remissionem peccatorum. Ita Michael Baius
Professor Louaniensis, qui docuit catechumenos posse qui-
dem obtinere perfectam & synceram charitatem, non ta-
men remissionem peccatorum ante realem susceptionem
Baptismi.

In hac sententia continetur duplex error. Unus, obtineri
posse

posse charitatem sine remissione peccatorum , qui refutari solet in materia de iustificatione. Alter error est non posse obtineri peccatorum remissionem ante realem susceptionem Baptismi , qui hoc loco refutandus est.

2 Secunda opinio est , Baptismum re ipsa suscepsum necessarium esse ad salutem alterius vitæ , id est , ad consequendam gloriam , non tamen ad salutem huius vitæ. Ita videtur sentire auctor libri illius qui inscribitur de dogmatibus Ecclesiasticis : & habetur inter opera S. Augustini. Nam cap. 74. expressè dicit Catechumenum non salvare , etiam si in bonis operibus vixerit , nisi re ipsa sit baptizatus , aut martyrium passus.

3 Prima Conclusio. Baptismus in re non est adultis simpliciter necessarius ad consequendam primam gratiam & remissionem peccatorum : sed sufficit contritio continens in se votum Baptismi. Est communis sententia , & probatur primo ex illis Scripturæ locis , vbi hominibus verè pœnitentibus promittitur iustificatio & remissio peccatorum. Ezech. 18. v. 21. Si egerit pœnitentiam impius , vita viuet & non morietur. Et v. 27. Cum auerterit se impius ab impietate sua , animam suam vivificabit. Et v. 30. Conuertimini & agite pœnitentiam , & non erit vobis in ruinam iniquitas. Potest autem homo adultus verè pœnitere ante susceptionem Baptismi. Ergo potest tunc consequi remissionem peccatorum , & gratiam iustificantem.

Secundo probatur exemplo Cornelij Centurioris , qui ante suscepsum Baptismum fuit iustus , vt patet Act. 10. v. 22. Item exemplo eorum super quos cecidit ipse Spiritus sanctus antequam baptizati essent , iuxta illud Petri Act. 10. v. 47. Nunquid aquam prohibere quis poterit ut baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos ?

Tertio probatur ex Conc. Trident. sess. 6. c. 4. vbi dicit post Euangeliū promulgatum neminem transferri à statu peccati ad gratiæ statum sine lauacro regenerationis & eius voto. Et hoc sensu exponit illud Ioan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto.

Quarto probatur ex Patribus , quorum testimonia citantur apud Gratianum , de consecrat. dist. 4. in varijs capitibus.

Quinto,

Quinto, Ratione; quia posita ultima dispositione statim infunditur gratia iustificans. Sed ultima dispositio ad gratiam iustificantem est contritio, quae haberi potest ante Baptismum. Ergo, &c.

4 Secunda Conclusio. Baptismus in re non est adultis simpliciter necessarius ad consequendam gloriam: quamvis ordinariè non consequantur illam sine Baptismo. *Irīma* pars patet, quia Catechumenus potest iustificari per contritionem ante susceptionem Baptismi. Ergo si tunc subito moreretur antequām posset baptizari, procul dubio fieret saluus, si inter ea non peccaret mortaliter. Potest autem fieri ut non peccet mortaliter. Secunda pars patet, quia raro fit ut Catechumeni, qui iam iustificati sunt per contritionem subito moriantur antequām possint baptizari. Vel ergo Baptismum suscipiunt, vel negligunt, si negligunt, non consequuntur gloriam: Si suscipiunt, consequuntur quidem gloriam, sed non sine Baptismo.

5 Tertia Conclusio. Votum Baptismi esse potest duplex, explicitum & implicitum. Explicitum est, quando adultus non solum habet contritionem de peccatis cum generali proposito seruandi deinceps omnia præcepta; sed etiam cum speciali proposito suscipiendi Baptismum; quod haberi non potest sine fide, & cognitione Baptismi. Implicitum est, quod in ipsa contritione, & generali proposito seruandi omnia præcepta continetur.

6 Quæres: An sufficiat votum implicitum? Prima responsio est sufficere iis qui non habent notitiam Baptismi, aliis verò qui habent notitiam, non sufficere, sed necessarium esse votum explicitum. Ratio, quia qui habent notitiam Baptismi, tenentur illum suscipere quam primum possunt. Ergo tenentur habere expressum propositum suscipiendi.

Non placet hæc responsio. Primo, quia eodem modo sequeretur, quod tenerentur habere expressum propositum restitutionis, & singulorum præceptorum Dei. Nam etiam illa tenentur seruare quam primum possunt. Hinc argumentor ex opposito, quia Catechumenus, quamvis teneatur alienum restituere cum primum potest: non tamem

tamen tenetur expresse proponere cum iustificatur; sed sufficit generale propositum seruandi omnia mandata, quia ex vi illius propositi, si non mutetur, sequetur suo tempore restitutio, & aliorum præceptorum obseruatio comitabitur. Eadem responsio etiam secundo non placet, quia sicut carens notitia Baptismi excusatur ab expresso voto propter ignorantiam: ita habens notitiam Baptismi poterit excusari ab expresso voto propter actualē inconsiderationem. Fieri enim potest ut aliquis subito excitetur ad considerationem Bonitatis Dei, & suorum peccatorum, nihil cogitans de Baptismo, & ex illa consideratione moueat ad veram dilectionem & contritionem. Ergo tunc iustificabitur sine expresso voto Baptismi.

Tertio, quia potest dari casus in quo non esset opus expresso voto Baptismi, etiam si homo actu cogitaret de Baptismo, ut si esset in extremo vitæ disserimine, & iudicaret sibi iam esse impossibile baptizari: tunc enim non tenetur desiderare Baptismum, quia nemo tenetur desiderare impossibile.

Secunda responsio est, ad consequendam gratiam in hac vita sufficere implicitum desiderium Baptismi: ad consequendam verò gloriam in altera vita requiri explicitum votum. Non placet, quia interior dispositio, quæ sufficit ad gratiam iustificantem, potest etiam sufficere ad gloriam correspondentem gratiæ iustificanti. Ergo si voluntas implicita Baptismi sufficit ad primam gratiam consequendam, poterit etiam sufficere ad primam gloriam consequendam, præsertim si homo statim post acceptam gratiam moriatur antequam peccet mortaliter.

Tertia responsio, tam ad gratiam quam ad gloriam sufficere implicitum votum Baptismi. Ratio colligitur ex refutatione aliarum responsonum.

Q V A E S T I O X I .

An Baptismus adulorum suppleri possit per martyrium?

Affirmant paßim Theologi, & sancti Patres probantes ex Matthæo 10. *Qui perdiderit animā suam propter me,*

me, inueniet eam. Tota difficultas est *primo*, an, sicut Baptismus ex opere operato tollit omnem culpam & poenam, sic etiam martyrium. *Secondo*, quæ dispositio requiratur in homine existente in peccatis mortalibus, ut proficit illi martyrium sine Baptismo.

Prima opinio est requiri veram contritionem & dilectionem Dei super omnia perfectam. Ita Palud. *in 4. dist. 4. quest. 3. art. 1.* Bonaventura *ibid. quest. 2.* Alexander Alens. *4. part. q. 22. memb. 5. art. 1.* & Melchior Canus *in relectione de paenitentia, part. 3.* Hi enim putant Martyrium non conferre gratiam ex opere operato, sed solum ex re, & affectu patientis. Vnde inferunt: sicut peccator extra martyrium non potest iustificari sine contritione (nisi Sacramentum suppleat) ita nec in martyrio.

Probatur hæc sententia *primo*, quia martyrium non est Sacramentum. Ergo non habet vim ex opere operato. *Secondo*, ex illo *i. Corinth. 13. vers. 3.* *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi profert.* *Tertio*, ex D. Thom. *quest. 66. art. 12. ad 2.* vbi sic habet: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate.* Ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum Flaminis. *Quarto*, quia peccator, quamdiu manet in statu & affectu peccati mortalis, non potest saluari, sed quamdiu non habet contritionem, manet in statu & affectu peccati. Ergo non potest saluari, nisi accedat contritio.

Secunda opinio est, sufficere voluntatem patiënti pro Christo, nec opus esse contritione, etiam si homo recordetur suorum peccatorum; ita Andr. Vega *lib. 6. in Concil. Trident. cap. 36. sub finem.* Probatur *primo*, quia Martyrium est per se sufficiens remedium ad salutem, non minùs quam Baptismus aut Poenitentia. Ergo possumus illo contenti esse prætermissis aliis.

Probatur *secundo*, quia actus Martyrij est per se difficilimus. Ergo, quando instat eius occasio & necessitas, non est obligandus homo ut occupetur circa sua peccata, sed potius, ut intentus sit martyrio fortiter subeundo. *Tertio* probatur, quia voluntas moriendi pro Christo est quædam virtualis dilectio Dei super omnia, quia per illam pluris facit

facit Deum homo, quām seipsum & propriam vitam suam, quā est illi charior quām omnes creaturæ. Ergo diligit Deum super omnem creaturam.

4 Tertia opinio est, requiri saltem attritionem, si homo sit conscientius peccati. Ratio, quia ad Baptismi effectum consequendum non sufficit voluntas suscipiendi Baptismum, sed etiam requiritur attritio. Ergo idem est de Martyrio.

5 Prima Conclusio: In Martyrio adulorum possunt tria spectari. *Primo*, irrogatio mortis à Tyranno facta ex odio Christi. *Secundo*, acceptatio mortis seu voluntas moriendi pro Christo. *Tertio*, perpeccio mortis, seu mors ipsa tolerata. Porro voluntas moriendi pro Christo fieri potest vel ex affectu dilectionis Dei, vel Obedientiæ, vel Religionis, vel Fidei, vel Spei, vel Fortitudinis Christianæ. Vnde patet internum actum Martyrij posse ad varias virtutes pertinere.

6 Secunda Conclusio: Interna acceptatio mortis pro Christo, si fiat ab homine iusto, & proueniat ex aliquo ditorum affectuum, magnam vim habet per modum operis operantis. *Primo*, quia est meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. *Secundo*, tollit omnia peccata venialia, quorum continet virtualem displicentiam. *Tertio*, minuit reatum poenæ, sicut omnia alia bona opera, præsertim laboriosa & poenalia. Si autem fiat ab homine peccatore ex simili affectu, solum disponit ad gratiam iustificantem; idque vel proxime, si proueniat ex affectu dilectionis Dei super omnia; vel remotè, si affectu Fidei, Spei, Religionis, Obedientiæ, Fortitudinis.

7 Tertia Conclusio: Externa perpeccio mortis pro Christo suscepta, per se, & quasi ex opere operato habet eandem vim cum Baptismo aquæ, id est, vim conferendi gratiam iustificantem, & delendi omnia peccata, & tollendi omnem reatum poenæ, si homo sit debitè dispositus, neque obicem ponat. Ita D. Thomas quæst. 87. art. 1. ad 2. vbi sic habet: *Passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi: & ideo purgat ab omni culpa & veniali & mortali, nisi attualiter voluntatem peccato inuenierit inhærentem.*

Idem

Idem docent S. Patres, Clemens lib. 5. Constit. Apostol. cap. 5. Tertull. in *Apologetico*, circa finem, Cypr. epist. 37. Augustinus lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 7. vbi inter cætera sic habet: Quicumque, etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum iis valet ad dimittenda peccata, quantum si absolucentur sacro fonte ipsius baptismatis.

Ratio conclusionis sumitur ex promissione Christi, qui voluit hoc speciale priuilegium concedere iis qui pro ipso moriuntur, vt non minùs in suo sanguine, quam in aqua baptizari possint. Nam vt notat S. Augustinus *loco cit.* qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua; etiam dixit: Omnis, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et, *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Hinc ita argumentor: Si Baptismus habet vim omnem culpam & pœnam tollendi, eò quod sit Sacramentalis, seu mystica configuratio mortis Christi, vt patet Rom. 6. multò magis Martyrium habebit illam vim, cùm sit realis conformatio cum Christo moriente.

Hoc argumento vñi sunt Clemens, Cyprianus, & alij Patres citati. Et confirmatur *primo*, quia Martyrium profuit Innocentibus ex opere operato. Ergo idem est de adul-tis. *Secundo*, si tantum prodeisset ex opere operantis; iam non magis prodeisset quām eleemosyna pro Christo facta; quod est contra communem sensum Ecclesiæ. *Tertio*, nec rectè dixisset Augustinus, iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.

3 Quarta Conclusio: Ut externa perpetatio mortis pro Christo suscepta profitetur peccatori, & ex opere operato conferat illi primam gratiam iustificantem, & remissionem peccatorum, non est per se necessaria contritio, tanquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum, quod fructum Martyrij impediret.

Prima pars probatur *primo*, quia Martyrium habet eandem vim cum Baptismo, vt docet D. Thomas & Pa-tres citati. Atqui Baptismus non requirit contritionem, vt conferat gratiam iustificantem. Ergo nec Martyrium.

Secundo, quia si contritio esset necessaria, nunquam Martyrium conferre posset primam gratiam, quam tamen potest conferre Baptismus; & sic non haberet eandem vim cum Baptismo.

Secunda pars probatur, quia licet contritio non sit necessaria ex parte Martyrij, sicut non est necessaria ex parte Baptismi: tamen est necessaria ratione præcepti. Nam si vñquam obligat præceptum contritionis, maximè in periculo mortis obligat. Atqui is, qui subiturus est Martyrium, est in periculo mortis. Ergo tunc ratione illius præcepti tenetur contritionem concipere. Ergo si voluntariè omittit, peccat mortaliter, & continenter manet in illo peccato, quamdiu omittit. Ergo Martyrium illi non proficit. Impossibile enim est hominem iustificari, quamdiu manet in affectu peccati.

Hinc patet contritionem requiri, non quidem tanquam necessariam dispositionem ad tollenda præterita peccata per Martyrium, sed tanquam necessarium opus ad vitandum nouum peccatum contra præceptum contritionis, quod tunc obligat; non propter confessionem fidei; sed generatim propter periculum mortis, ex quacumque causa id impendeat.

Quæres: An attritio non sufficeret in tali casu? Respondeo. Sufficeret ex parte Martyrij per modum dispositio-nis, ut dicam in sequenti Conclusione: non tamen sufficeret ex parte præcepti occurrentis, nisi interuenerit aliquis error. Vnde seruanda est hæc regula: Attritio, si putetur esse attritio, non sufficit, quia per eam non satisfit præcepto contritionis: Si autem bona fide putetur esse legitima contritio, sufficit; quia per illam ita satisfit præcepto, ut contra illud non peccetur.

10 Quinta Conclusio: Ut externa perpessio mortis pro Christo suscepta profit peccatori, sufficit attritio per modum dispositio-nis. Ratio patet ex dictis, quia si non est necessaria contritio. Ergo sufficiet attritio, cùm non possit dari melior dispositio post contritionem.

Confirmatur *primo*, quia attritio sufficit in Baptismo. Ergo etiam in Martyrio. *Secundo*, nisi attritio sufficeret, nunquam

nunquam Martyrium deleret peccata mortalia ; quod est contra D. Thom. & Patres citatos.

ii Sexta Conclusio : Voluntas patiendi pro Christo videtur sufficere peccatori , si non aduertat se esse in peccato. Ratio est , quia si in tali casu præter voluntatem patiendi requireretur formalis contritio vel attritio ; id esset vel ratione præcepti , vel dispositionis. Non *primum*, quia licet præceptum contritionis obliget in periculo mortis ; tamen si quis inculpabiliter ignoret se obligari , non peccat contra illud. Atqui is , qui non aduertit se in peccato esse , inculpabiliter ignorat se obligari ad contritionem. Ergo tunc non peccat, licet non habeat contritionem. Nec *secundum* , quia si attritio est sufficiens dispositio ad effectum Martyrij. Ergo etiam voluntas patiendi pro Christo est sufficiens, cum sit virtualis quædam dilectio Dei, & peccatorum detestatio. Nam illa voluntas videtur esse talis , ex qua sequeretur actualis dolor , si peccatum memoria occurreret.

Dices : Voluntas suscipiendi Baptismum non sufficit peccatori , etiamsi non aduertat se esse in peccato. Ergo nec voluntas suscipiendi Martyrium. Respondeo. In hac re non est par ratio. *Primo* , quia Patres non solùm tribuunt Martyrio æqualem vim cum Baptismo , sed etiam maiorem, præfertim Clemens *loc.cit.* *Secundo* , quia voluntas moriendi pro Christo est multo nobilior & excellenter , quam sola voluntas suscipiendi Baptismum. *Tertio* , quia voluntas illa moriendi est coniuncta cum externo actu Martij , qui omnium difficillimus est ; & ideo meruit peculiare priuilegium à Christo.

ii Septima Conclusio : Si peccator aduertat se esse in peccato mortali , non videtur sufficere voluntas moriendi pro Christo , sed ulterius requiritur contritio , non quidem , seu necessaria dispositio ad effectum Martyrij , id est , ad tollenda peccata vetera ; sed tanquam necessarium opus ad vitandum nouum peccatum ratione præcepti contritionis , quod obligat in tali casu. Nam huic præcepto non satis fit , nisi per formalem contritionem ; vel certè per attritionem quæ putetur esse contritio.

13 Ad *primum* argumentum primæ opinionis. Resp. Martyrium habere vim ex opere operato , licet Sacramentum non sit, ex speciali priuilegio.

Ad *secundum* respondeo. Concedo passionem mortis non prodesse sine charitate : Nego Martyrem , qui pro Christo libenter acceptat mortem , non habere charitatem. *Primo* , quia ipsa voluntas pro Christo moriendi est quidam virtualis actus charitatis. *Secundo*, quia vi Martyrij infunditur illa gratia iustificans, & charitas habituatis ipsa.

Dices : Apostolus loquitur de actu charitatis præcedente Martyrium , non de habitu , qui confertur per Martyrium. Respondeo. Non ita est. Nam codem modo requirit charitatem ad perpetuationem mortis , quo iliam requirit ad fidem & scientiam. At non necesse est, ut charitas præcedat fidem & scientiam , sed satis est ut comitetur. Sensus ergo Apostoli est , nihil esse tam perfectum in hac vita , quod possit hominem saluare , si absit charitas.

Hoç sensu recte etiam dicimus , nec Baptismum , nec Eucharistiam , nec ullum aliud Sacramentum prodesse homini ad salutem , si moriatur sine charitate ipsa.

Ad *tertium* respondeo. Fateor D. Thomam ibi fauere valde primæ opinioni , licet alibi nobis faueat, præfertim q. 87. art. 1. ad 2.

Ad *quartum* respondeo. Peccator habens attritionem, aut voluntatem moriendi pro Christo , non censetur retinere effectum peccati mortalis.

Ad *primum* argumentum secundæ opinionis respondeo. Posse nos esse contentos Martyrio , si adsit legitima dispositio , & si non occurrat aliquod præceptum implendum. Si autem tempore Martyrij occurrat aliquod præceptum obligans, tenemur illud obsernare, si possumus. Ad *secundum*, patet ex dictis. Nam licet homo sit maximè occupatus tempore Martyrij , non tamen excusat à præcepto diuino occurrente , si feruari potest. Ad *tertium* patet etiam. Nam licet voluntas moriendi pro Christo sit sufficiens dispositio ad effectum Martyrij : tamen aliunde necessaria

cessaria est contritio, nimurum, ut satisfiat præcepto contritionis, quod tunc obligat.

Argumentum tertiae opinionis non est contra nos.

Q V A E S T I O X I I .

Quæ dispositio requiratur ad valorem Baptismi, & amentes baptizandi sint?

I **P**rima Conclusio: Nulla alia dispositio in adultis requiritur ad valorem Baptismi, nisi consensus, seu voluntas suscipiendi Baptismum. S. Thom. art. 4. 7. 8. Neque necesse est consensum esse actualem, sed sufficit aliquando præcessisse consensum actualem, qui adhuc moraliter dureret, nec interea retractatus sit. Vide dicta cap. 6. q. 10. ubi hæc omnia explicaui.

Secunda Conclusio: Amentes, si perpetui sint, inter infantes computari debent: si autem aliquando usum rationis habuerint, eadem est ratio de illis, quæ de aliis adultis. Iudicandi autem sunt, iuxta statum & voluntatem in qua inuenti sunt, quando in amentiam inciderunt. S. Thomas articulo 12.

C A P V T X I .

De effectibus Baptismi.

I **C**ATHOLICI agnoscunt hos effectus. *Primum*, gratiam sanctificantem cum donis supernaturæ libus. *Secundo*, remissionem totius culpæ. *Tertio*, remissionem poenæ. *Quarto*, characterem. *Quinto*, subiectionem in Ecclesia. Aduersarij ponunt alios. *Primo*, quod Baptismus faciat hominem impeccabilem. *Secondo*, quod cum liberet ab obedientia legis diuinæ. *Tertio*, quod liberet ab observatione legum humanarum. *Quarto*, quod liberet ab omnibus votis. De quibus omnibus agemus, excepto charactere, de quo suprà. Addam aliquid de dispositione requisita ad effectum Baptismi, & de fictione, quæ illum impedit.

QVÆSTIO I.

An Baptismus conferat gratiam iustificantem, & alia dona spiritualia?

Duxplex est gratia. Una habitualis, quam vocamus sanctificantem vel iustificantem, vel iustitiam inherentem, vel gratiam adoptionis. Altera actualis, quæ partim consistit in actuali illuminatione intellectus, partim in actuali motione voluntatis à Deo excitata. Nos hic disputamus de gratia habituali. Caluinus negat talem gratiam infundi in Baptismo, vel in alia quacumque iustificatione. Putat enim hominem fieri formaliter iustum, non per iustitiam inherenterem, sed per imputatiuam, id est, per actualem iustitiam Christi, quæ in nobis non est, sed tamen nobis imputatur. Hic error refutatur in materia de iustificatione. Nunc breuiter dicam, quæ huius loci propria sunt.

Prima Conclusio: Baptismus confert homini gratiam iustificantem, si sufficienter dispositus sit. Ita D. Thom. art. 4. & Conc. Trident. sess. 6. cap. 7. Et colligitur ex illo ad Titum 3. vers. 5. *Saluos nos fecit per tauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

Ratio est, quia homo per Baptismum spiritualiter renascitur. Ergo accipit nouam vitam spiritualem, quam antea non habebat. Hæc autem vita nihil aliud est, quam gratia iustificans, de qua Ioan. 4. vers. 14. *Aqua, quam ego dabo ei sicut in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et cap. 6. v. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis, (id est, conseruabitis,) vitam in vobis.* Ex quibus locis constat hominem iustum habere in se vitam quandam spiritualem quæ nutritur & conservatur per Eucharistiam, & quæ est quasi fons quidam, seu origo vitæ æternæ. Hoc sensu dicunt Theologi gratiam esse gloriæ semen.

Secunda ratio: Homo per Baptismum renascitur, & fit Filius Dei, cùm antea esset filius iræ. Ephes. 2. vers. 3.

Nox

Non autem sit filius Dei per naturalem generationem, sicut est Christus secundum Diuinitatem: Neque per vniōnem Hypostaticam, sicut est idem Christus secundum humanitatem: sed per adoptionem, sicut Angel: in cœlis. Adoptio autem consistit in iustificatione, ut cum Augustino dixi cap. 23. q. 1. Iustificatio autem formaliter sit per gratiam, seu iustitiam inhærentem, ut suppono ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. Et ex tract. de iustif.

Tertia ratio: Homo per Baptismum incorporatur Christo, & sit membrum illius. Sed à Christo tanquam à capite deriuatur gratia in omnia membra, ut dixi cap. 8. de gratia capit. *tereo 54*

Quarta ratio: Homo per Baptismum interius renouatur. At non potest interius renouari, nisi per internam gratiam.

3 Secunda Conclusio: Baptismus præter gratiam iustificantem confert etiam tres habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis. Ita D.Thom. & Concil.Trident. locis cit. Ratio sumitur ex proportione, quæ est inter animam & gratiam. Nam primo, sicut anima est vita corporis, sic gratia est vita animæ. Secundo, sicut anima per se ipsam formaliter viuificat corpus, & per potentias superadditas effectiū producit operationes vitales in genere naturæ: sic gratia per se ipsam formaliter viuificat animam; & per habitus superadditos effectiū producit operationes vitales in genere gratiae. Hinc tertio sequitur: sicut anima se habet ad potentias actiwas: ita gratia ad habitus actiuos; ac proinde sicut anima non potest fungi suo munere sine intellectu, & aliis potentiis: ita nec gratia sine fide, spe, & ipsa charitate.

Dices: Ergo sicut intellectus, & voluntas non possunt esse sine anima: ita fides & spes non poterunt esse sine gratia. Hoc autem falsum est, quia in homine peccatore potest esse fides & spes sine gratia. Resp. Non est necesse, ut proportio sit in omnibus: Est quidem in operatione, non tamen in connexione. Nam sicut anima operatur per potentias superadditas: ita gratia per habitus superadditos. Non tamen sicut potentiae habent necessariam cum anima

connexionem; sic etiam habitus supradicti cum gratia. Hæc enim connexio est voluntaria, & ex sola Dei ordinatione: illa vero est naturalis, & per naturalem emanationem unius ab alio.

5 Nota triplicem connexionem spectari posse inter gratiam & habitus supernaturales. *Prima* est, quoad infusione. *secunda*, quoad conseruationem. *Tertia*, quoad modum operandi meritorie. *Primo* modo semper sunt connexi illi habitus secundum D. Thomam licet non secundum alios: quia quando quis primo iustificatur, tunc simul accipit fidem, spem, charitatem, & gratiam iustificantem. *Secondo* modo non semper sunt connexi, quia per quodlibet peccatum mortale amittitur charitas & gratia, non tamen fides & spes. *Tertio* modo sunt iterum connexi, quia fides & spes non possunt meritorie operari sine gratia & charitate. Vide D. Thom. I. 2. q. 71. art. 4.

6 Tertia Conclusio: Totum hunc effectum confert Baptismus non adultis solum, sed etiam infantibus. Ita D. Thom. art. 6. Et Augustin. in *Enchiridio*, cap. 52. Probatur *primo*, quia infantes sunt capaces effectuum Baptismi, praesertim cum non ponant obicem. *Secondo*, quia rationes allatae pro adultis, possunt applicari infantibus. *Tertio*, quia si non acciperent gratiam in Baptismo, non saluarentur, si contingeret eos statim mori post Baptismum, & sic Baptismus non prodeesse illis ad salutem; ut quid ergo baptizarentur?

7 Obiectio: Nec infantibus, nec adultis videtur conferri habitus fidei, spei, & charitatis. Non infantibus, quia non possunt illis vti, ac proinde frustra illis conferuntur. Nec adultis, quia experiuntur eandem difficultatem operandi post Baptismum, quam ante habebant.

Respondeo *primo*, tametsi infantes in illa aetate non possint vti habitibus supernaturalibus, sicut nec potentia intellectiva aut generativa: possunt tamen postea vti cum adolescent; ac proinde non sunt frustra. Respondeo *secundo*, adulti experiuntur difficultatem in operando, non ex defectu habituum, sed ob inordinatos motus concupiscentiarum, qui non tolluntur per Baptismum.

QVÆSTIO VIII.

An Baptismus tollat peccatum originale?

1 **N**egat Caluin. 4. Inst. cap. 15. §. 10. cùm ait: *Falsum est, quod docuerunt pridem nonnulli, per baptismum solui nos & eximi ab originali peccato.* Et in antidot. Concil. Trident. sess. 5. ait: *Manet verè peccatum in nobis, neque per baptismum statim uno die extinguitur; sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Hic apertè docet, peccatum originale verè manere in baptizatis, sed non imputari. Idem sentiunt Lutherani. Fundamentum est, quia putant, originale peccatum nil aliud esse, quam concupiscentiam, quæ non tollitur per baptismum. Hoc fundamentum refutatum est in 1. 2. quæst. 82. nunc de re ipsa videamus.

2 Prima Conclusio: Peccatum originale verè tollitur per baptismum. Ita D. Thom. art. 1. Et Concil. Trident. sess. 5. Et colligitur ex Scripturis. Ioan. 1. v. 19. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* (originale, quod est totius mundi peccatum) Act. 22. vers. 26. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* Et Ezech. 36. vers. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Ratio prima est, quia baptismus confert gratiam sanctificantem, ut probau. At peccatum originale non potest consistere cum hac gratia. Confirmatur primo, quia sicut homo per gratiam est filius Dei: ita per peccatum originale est filius Diaboli. Atqui non potest simul esse filius Dei & Diaboli, filius amoris & iræ. Secundo, per gratiam habet homo ius ad vitam æternam: at per peccatum originale est reus æternæ mortis. Tertio, gratia est vita animæ: at peccatum originale est mors animæ. Non potest autem fieri ut eadem anima simul viua sit & mortua.

Secunda ratio sumitur ex figuris Baptismi Circumcisione, mari rubro, aqua Iordanis, probatica piscina, suffocatione porcorum. Nam in Circumcisione verè & non tantum imputatiuè absindebatur caro. In mari rubro

verè suffocati sunt Ægyptij , quibus Hebræi antea seruiebant ; & sic consequenter de aliis. Ergo etiam in baptismo verè tollitur peccatum originale.

Tertia ratio sumitur ex ipso Caluino , quia fatetur ipse per baptismum tolli reatum peccati originalis. Hic quero quid intelligat per reatum ? an culpam, seu rationem peccati? an verò dignitatem pœnæ , seu obligationem ad subeundam pœnam ? Si culpam intelligit, iam sibi ipsi repugnat. Nam alibi docet infantes fidelium esse sanctos & hæredes vitæ æternæ ex utero materno ante baptismum. Si ergo per baptismum tollitur ab illis culpa, sequitur ante baptismum fuisse in illis culpam ; ac proinde non fuisse tunc sanctos. Si autem per reatum intelligit dignitatem pœnæ . Ergo cum dicit peccatum manere & reatum tolli , sensus erit culpam manere , & tolli dignitatem pœnæ , quod est impossibile. Nam qui verè culpabilis, verè dignus est pœna: nec fieri potest, ut culpa maneat & dignitas pœnæ non maneat.

3 Secunda Conclusio : Si peccatum originale non tolleatur per Baptismum, ut vult Caluinus, non posset non imputari à Deo. Nota dupliciter intelligi posse hanc Caluini propositionem : peccatum originale verè manet in nobis, sed non imputatur. Primo , quod coram Deo non imputetur ad culpam, id est, non censeatur pro culpa, cum tamen culpa sit. Secundo , quod non imputetur ad pœnam. Priori sensu asserit Caluinus, ut patet ex 3. Inst. cap. 11 §. 3. vbi agens de imputatione, sic eam explicat : Ut pro iustis à Deo censemur, qui in nobis non sumus, (iusti) quasi dicat Caluinus : nos verè sumus iniusti & peccatores, & tamen à Deo censemur iusti & innocentes. Itaque secundum Caluinum nihil aliud est peccatum non imputari , quam peccatum quidem esse in homine , & tamen censeri quasi non esset: aut hominem esse quidem verè peccatorem, sed tamen censeri iustum à Deo. Perinde ac si quis verè sit ægrotus , & tamen à medico sanus censeatur.

Hic sensus refellitur ex Apostolo Rom. 2. v. 2. vbi ait: Iudicium Dei , esse secundum veritatem. At quomodo erit secundum veritatem , si Deus non iudicat sicut res in se est ?
si cul

si culpam, quæ reuera culpa est, censet non esse? si hominem, qui reuera peccator est, pronunciat iustum & innocentem? Secundo, refellitur ex illo Sap.14.v.9. *Odio sunt Deo impius & impietas eius.* Hic quæro ex Caluino, an Deus oderit hominem baptizatum, in quo manet peccatum & impietas? Si non odit, quomodo vera est Scriptura citata? si odit, certè propter culpam; quomodo ergo non imputat peccatum propter culpam?

Posterior sensus, qui asserit peccatum non imputari ad poenam, æquè improbabilis est, licet dupliciter accipi possit. Primo, ut Deus iudicet hominem in quo peccatum manet, non esse dignum poena, cum reuera dignus sit, quod aperte pugnat cum Apostolo dicente, Iudicium Dei esse secundum veritatem. Secundo, ut iudicet quidem esse dignum poena, statuat tamen illum non punire; quod etiam falsum est. Quamuis enim, cum sint multa poenarum genera, statuere possit Deus non punire peccatorem hac aut illa poena: non tamen potest statuere nullo genere poenæ illum afficere. Certè magna poena est odium Dei sustinere. Hanc peccator, quamdiu culpam in se habet, euadere non potest. Vnicain habent aduersarij obiectionem, videlicet.

4 Obiicitur ex Rom.4.v.8. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Resp. Hoc intelligitur de peccato iam remisso & ablato, ut ex contextu patet. Sic enim habet: *Beatis quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* *Beatus vir, cui non imputauit, &c.* Ex quibus patet illum dici beatum, cui hæc tria conueniunt. Primo, cuius remissa sunt peccata. Secundo, cuius tecta sunt peccata. Tertio, cui non imputantur peccata, nempe quæ iam remissa atque tecta sunt.

5 Quæres cur Scriptura vtatur tot modis loquendi ad vnam rem explicandam? Resp. Quia in peccato tria spectari possunt. Primo, quod sit offensa Dei. Secundo, quod macula & foeditas animæ. Tertio, quod annexum habeat reatum poenæ æternæ. Beatus ergo est, cui offensa à Deo remittitur: cuius macula & foeditas tegitur: cui reatus æternæ poenæ non imputatur.

¶ Dicess:

6 Dices: Si macula tegitur tantum. Ergo non tollitur, quod est pro Caluino. Resp. De hac re dicam *in sequenti quest.* Simile de emplastro, quod tegit & tollit vulnus.

Q V A E S T I O III.

An Baptismus tollat alia peccata?

1 **L** Oquor de peccatis præteritis & ante baptismum commissis, non autem de præsentibus aut futuris. Nam præsentia potius impediunt effectum baptismi, præfertim si mortalia sint, & ideo per baptismum non tolluntur. Futura autem tolli nequeunt antequam existant. Porro peccata ante baptismum commissa aut mortalia, aut venialia sunt, de utrisque questio est. Lutherani & Calvinistæ docent non tolli, sed tantum tegi, seu non imputari. Hunc autem effectum propriè non tribuunt baptismo, sed partim fidei, partim Iustitiae imputatiæ. Putant enim. *Primo*, baptismum nihil aliud facere, quam obsignare promissionem Dei, & hoc modo fidem excitare. *Secundo* fidem, cum iam excitata est, apprehendere iustitiam Christi actualem, id est, meritum & satisfactionem Christi pro nobis. *Tertio*, hanc iustitiam fide apprehensam fieri quodammodo nostram, quatenus per fidem nobis applicatur, id est, quatenus fide credimus & apprehendimus Christum pro nostris peccatis satisfecisse Deo Patri. *Quarto*, hoc modo fieri ut peccata nostra nobis non amplius imputentur, quia per satisfactionem Christi, quasi tecta sunt in conspectu Dei. *Hæc omnia refutauit in materia de Iustificatione: nunc breuiter attingam hic pertinentia.*

Carlo
2 Prima Conclusio: Baptismus verè tollit peccata omnia mortalia ante commissa, si homo sit sufficienter dispositus. D. Thom. art. 1. colligitur ex Scripturis citatis, & ex illo Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* Et 1. Cor. 6. vers. 11. *Hæc quidem suistis, sed abluti estis.*

Ratio est, quia sicut peccatum originale non potest confistere cum gratia sanctificante, ita nec mortalia peccata. Nam ideo dicuntur mortalia, quia priuant hominem vita spirituali,

spirituali, quæ est Gratia, & consequenter mortem afferrunt. Vbi nota *primo*, sicut vulnus lethale dicitur non solum illud, quod homini viuo infligitur, & vitam illi eripit; sed etiam illud, quod homini mortuo infligitur, & tale est quod vitam illi eriperet, si adhuc haberet. Ita seruata proportione iudices de peccato mortali.

3 Dices: actus unus non expellit habitum. Ergo unum peccatum non expellit gratiam. Resp. Antecedens verum esse in habitibus acquisitis, non infusis.

4 Nota *secundo*, omnia peccata mortalia sufficienter tolli per solam infusionem gratiæ sanctificantis, ut ex priore quæst. & ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7.* patet, vbi Concilium definit iustitiam inhærentem, seu, quod idem est, gratiam iustificantem esse unicam causam formalem iustificationis. Vnde apertè sequitur hominem sufficienter iustificari per gratiam sanctificantem, ac proinde omnia peccata mortalia sufficienter tolli per infusionem illius gratiæ. Hoc dico propter quosdam recentiores Catholicos, qui cùm fateantur gratiam facere formaliter hominem Deo gratum, negant tamen per solam infusionem gratiæ sufficienter tolli peccatum; sed opus esse præterea liberali donatione. Hos alibi refutavi.

5 Secunda Conclusio. Baptismus tollit etiam omnia peccata venialia, si non sit impedimentum ex parte suscipientis. Ita D.Thom. *art. 1.* Ratio non potest sumi præcisè ex infusione gratiæ, quia gratia potest consistere cum peccatis venialibus; & ideo non sequitur tolli peccata venialia, si infundatur gratia. Aliunde ergo probari debet hoc modo conclusio.

Per Baptismum homo spiritualiter generatur, & fit natus homo. Ergo nihil retinet pertinens ad veterem hominem. Sed omnia peccata pertinent ad veterem hominem. Ergo nullum peccatum retinet. Conf. *Rom. 6. v. 6.* *Hac scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus* (id est, multitudo) *peccati.* Et inf. *v. 11.* *Existimate vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo.* Huc referri etiam illud potest *i. Petr. 2. v. 2.* *Sicut modo geniti infantes.*

6 Nota; hæc Conclusio supponit peccata venialia habere

bere maculam, tametsi distinctam à macula peccati mortalis, vt docet D. Thom. *infrā quæst. 87. art. 2. ad 3.* Et ratio est, quia si ex actu præterito peccati venialis non relinquetur macula, nihil planè ex illo peccato remaneret in homine post perpetratum actum, & sic frustra quæreretur remedium ad tale peccatum abluendum. Vide autem D. Thom. *i. 2. quæst. 83. art. 1.* vbi vult maculam contrahi per accidens.

7 Prima Obiectio. Scriptura docet peccata tegi. *Roman. 4. vers. 7. Beati, quorum ielta sunt peccata.* Resp. eadem Scriptura docet peccata tolli, *Ioan. 1. vers. 29. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Vtrumque ergo verum est & tegi. & tolli, vt eleganter explicat August. *in enarratione secunda super Psal. 31. Sicut enim Medicus per emplastrum tegit & tollit vulnera: Sic Deus per Gratiam tegit & tollit peccata nostra.* Hinc patet discrimen inter nos & Caluinistas. Dicimus enim nos, peccata tegi & sanari per internam infusionem gratie sanctificantis: illi dicunt tegi per externam Christi institutam, non tamen sanari.

8 Secunda Obiectio. Generatio spiritualis, quæ sit in baptismo opponitur carnali ex Adamo. Sed per carnalem generationem ex Adamo solum contrahimus originale peccatum & non aliæ peccata. Ergo similiter per spiritualem generationem in baptismo, solum tollitur originale & non alia. Resp. non sequitur. *Primo*, quia virtus Christi in baptismo est efficacior, quam peccatum Adami in generatione carnali, iuxta illud Rom. 15. v. 16. *Iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* *Secundo*, quia peccatum originale potest contrahi sine aliis, non tamen potest tolli sine aliis. Non enim tollitur, nisi per gratiam iustificantem, quæ cum nullo peccato mortali potest consistere.

QVÆSTIO IV.

An Baptismus remittat omnem pœnam peccatis debitam?

1 **P**œna distinguitur à poenalitate. Nam pœna est, quæ alicui personæ pro peccatis iusto Dei iudicio imponitur.

nitur. Pœnalitas est defectus quidam naturæ, qui per se oritur ex principiis naturæ, & per accidens ex peccato primi parentis, ut v. g. passibilitas corporis, morbus, dolor, concupiscentia, famæ, sitis, mors.

2. Prima Conclusio. Baptismus simul cum culpa remittit omnem pœnam culpæ debitam. Ita D. Thom. art. 2. Concil. Florent. in decreto Eugenij. Et Tridentinum *sess. 6. cap. 14.* Et *sess. 14. cap. 8.* Et est communis traditio Ecclesiæ, quæ in præxi apparet; quia nunquam baptizatis solent imponi opera satisfactoria pro peccatis antè commissis, eo quod omnis pœna quæ ratione illorum peccatorum erat debita, per baptismum sit remissa, ut etiam notauit S. Thom. *suprà quest. 68. art. 5.*

Ratio est, quia per Baptismum perfectè renascimur, & commorimur superiori vitæ, & nouam accipimus. Ergo liberamur ab omni calpa superioris vitæ, & sumus tanquam infantes modò geniti. Hinc discrimen patet inter Sacramentum Baptismi, & Pœnitentia. Nam in illo remittitur culpa, & tota pœna: in hac, culpa & pœna æterna, non temporalis. Item in altero imponitur satisfactio; in altero non item. Hoc etiam sensu multi explicant illud Hebr. 7. v. 4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & postea prolapsi, rursus renouari ad pœnitentiam, nempe renouatione perfecta, qualis est in baptismo, quæ continet remissionem omnis culpæ & pœnæ absque vila satisfactione.*

3. Dices: Si baptismus tollit omnem pœnam. Ergo iniusti sunt principes & magistratus suspendentes furem, aut latronem ob furta & latrocinia antè baptismum commissa. Respondeo, duplex est pœna: una à Deo, altera ab homine constituta. Prior tollitur in baptismo, non posterior, & meritò, quia sicut homines scandalizati sunt per publicam culpam, ideo debent ædificari per publican: pœnam. Secundo, quia multi impunè peccarent ante baptismum, si putarent se fore postea liberos ab omni pœna ciuili. Tertio, multi factè accederent, ut euaderent supplicium humnanum.

Resp. Secundo, potest tamen Princeps condonare omnem pœnam in fauorem baptisini, si velit; præsertim quando

4 Secunda Conclusio : Homo per baptismum non libe-
ratur à poenitentibus huius vitæ. Docet experientia. Et
tres congruentias adferunt D. Thom. art. 3. *Prima* est , quia hæ
poenitentes fuerunt etiam in Christo ; excepta concupis-
centia , & ignorantia. *Secunda* , quia sunt utiles ad exerci-
tium virtutum & pugnæ spiritualis. *Tertia*, quia si tolleren-
tur per baptismum, multi vellent baptizari non tam ut sal-
uarentur, quam ut liberarentur à miseriis huius vitæ.

5 Dices *Primo*. Baptismus habet sufficientem vim ad tol-
lendam omnem culpam & poenam. Ergo etiam ad tollen-
das poenitentes.

Dices *Secundo* : Donum Christi potentius est quam pec-
catum Adami, Rom. 5. v. 15. sed per peccatum Adami intra-
uit mors cum aliis poenitentibus in hunc mundum. Rom.
5. v. 12. Ergo multo magis per donum Christi in baptismo
debent tolli omnes poenitentes.

Dices : *Tertio*, remota causa remouetur effectus. Sed
causa harum poenitentiarum est peccatum originale quod
tollitur per baptismum. Ergo debent etiam poenitentes tolli.

Dices : *Quarto* , quicquid pertinet ad veterem vitam &
hominem , hoc tollitur per baptismum. At poenitentes
pertinent ad veterem vitam. Ergo,&c.

6 Resp. Ad *primum*, baptismus habet quidem sufficientem
vim ad tollendas poenitentes , non tamen tollit illas, nisi
in Resurrectione Iustorum , quando mortale hoc induet
immortalitatem ; idque propter congruentias suprà alla-
tas. Ad *secundum* Resp. donum Christi potentius est quam
peccatum Adami , quia per peccatum Adami contraximus
solum peccatum originale : per donum autem Christi libe-
ramur ab omni peccato, non tantum originali , sed etiam
actualibus : Item ab omni poena in hac vita , & ab omni
poenitente in altera vita. Ad *tertium* Resp. poenitentes du-
pliciter spectantur. *Primo*, quatenus sunt defectus quidam
naturales, & per se oriuntur ex principiis naturæ. *Secundo*,
quatenus per accidens oriuntur ex peccato primi parentis,
& habent

& habent annexum reatum culpæ originalis: priori modo manent, posteriori tolluntur. Ad quartum Resp. poenaltates pertinent ad veterem hominem quatenus oriuntur ex peccato & habent annexum reatum peccati: & sic per baptismum tolluntur.

Q V A E S T I O V.

An Baptismus subiicit hominem Iurisdictioni Ecclesiae?

1 **P**otestas Ecclesiastica triplex est. *Vna ordinis*: altera iurisdictionis interioris. *Tertia iurisdictionis exterioris*. *Prima* refertur ad Sacra menta conficienda, & administranda. *Secunda* ad regendum populum Christianum in foro conscientiæ, quod fit absoluendo & ligando. *Tertia* ad eundem populum regendum in foro exteriori; quod fit leges ferendo, excommunicando, & alias poenas, aut præmia constituendo.

2 Secunda Conclusio. Homo per susceptionem baptismi subiicitur potestati & iurisdictioni Ecclesiae. Probatur *primo*, quia per baptismum tanquam per ianuam ingreditur in Ecclesiam. Ergo debet subesse prælatis Ecclesiae. *Secundo* per Baptismum fit membrum Christi. Ergo debet subesse capiti, seu Vicario Christi. *Tertio*, fit ouis in ouili Christi. Ergo debet subesse pastori. *Quarto*, qui olim circumcidabantur, subiecti erant legi Mosaicæ in Synagoga. *Gal. 5. v. 3.* Ergo, qui nunc baptizantur, subiecti sunt legi Euangelicæ in Ecclesia.

3 Hinc patet errasse Erasmus, qui putauit parvulos baptizatos, cùm adolescent, interrogandos esse an stare velint promissioni quam eorum nomine fecerunt parentes, aut patrini in baptismo. Quod si nolint, liberos esse dimittendos. Hic error refutatus est in Trid. Concil. *sess. 7. an. 14. de Baptismo*. Et meritò. Nam hoc ipso, quod aliquis legitime baptizatur, fit membrum Ecclesiae, & subiicitur capiti Ecclesiae. Ergo sicut baptismus non pendet à futura acceptatione promissionis facta per patrinos aut parentes: ita neque subiectio ab illa pendet. Vide in *Iure Canon.* cap. *Maioribus*. *Extra de Baptismo*.



Q V A

QVÆSTIO VI.

An Baptismus faciat hominem impeccabilem?

1 **H**ic sunt duo errores veterum, & duo recentium hæreticorum. *Primus est Iouiniani*, hominēt verē baptizatum non posse amplius peccare, vt refert Augustin, *1.5.lib.de hæresibus cap. 82.* Et *Hero. 1.b.2, contra Iouinianum.* Fundamentum sumitur ex his locis. *1.Ioan.3. v.9.* *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Et *cap.5. v.18.* *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.*

2 *Secundus error est*, hominem verē baptizatum & sumenter Eucharistiam non posse damnari, etiamsi perditissimè viuat, modo ab Ecclesia Catholica non recedat. Ita quosdam sensisse ait Aug. *lib.21.de Ciuit.Dei.c.25.*

3 *Tertius error est Lutheri in lib.de Captiu.Babil.c.de baptismo*, vbi docet hominem baptizatum non posse damnari, nisi nolit credere. Fundamentum eius est, quia, sicut per ipsum baptismum, ita etiam per memoriam baptisimi excitatur fides. Vbi autem fides est, ibi peccata non imputantur.

4 *Quartus error est Caluini*, qui in omnibus consentit cum Luthero excepto uno punēto. Putat enim fidem esse propriam electorum, id est, prædestinatorum, & semel habitam amitti non posse; idque non vi baptismi, sed prædestinationis. At Lutherus putat fidem amitti posse per infidelitatem.

5 De his erroribus multa alibi disputabuntur, hic breuiter dicam necessaria.

6 **Prima Conclusio.** Homo baptizatus potest mortaliter peccare. Est contra Iouinianum, probatur ex *Epist.ad Hebr. c.6. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & postea prolapsi, &c.* Et *2.Petr.2. v. 22. Canis reuersus ad vomitum.* Item exemplo Simonis Magi, quem constat credidisse, baptizatum esse, & postea peccasse. *Actor.8.*

7 Ad testimonia contraria. Resp. hunc esse illorum sensum, quod homo, qui ex Deo natus est, & habet gratiam

Dei in se, non possit peccare quatenus talis est, & quamdiu talis est. Hoc colligitur ex capite tertio, versu sexto. *Omnis qui in ea manet, non peccat.*

8 Secunda Conclusio. Homo baptizatus, si male viuat, potest damnari, etiamsi maneat in Ecclesia. Probatur ex Rom.8.v.13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et 1.Cor. 6. v. 9. *Nolite errare; neque fornicarij, neque adulterij, neque molles regnum Dei possidebunt,* Gal.5.v.21. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

9 Tertia Conclusio. Homo baptizatus, si male viuat potest damnari, etiamsi credat. Est contra Lutherum, & probatur ex iis scripturis quae docent solam fidem non sufficere ad salutem, quod dupliciter intelligitur. Primo, solam non sufficere ad primam gratiam, seu iustitiam acquirendam. Secundo, nec sufficere ad eam conseruandam. Vtrumque ad materiam de iustificatione pertinet.

10 Quarta Conclusio: Homo baptizatus potest fidem & ~~eteneo~~ ^{hui} sanctitatem amittere. Contra Caluin. Probatur primo, ex Rom.11.v.20. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Secundo probatur exemplo omnium qui ex Catholicis sunt heretici. Si enim fideim non amittarent, non fierent heretici. Huc refertur hoc 1.Tim. 1. v. 19. *Quidam circa fidem naufragauerunt.*

11 Quinta Conclusio. Sola memoria baptismi non sufficit ad tollenda peccata post baptismum commissa. Contra Luther. & Caluin. probabitur infra in materia de Sacramento Poenitentiae. Si enim Poenitentiae Sacramentum necessarium est ad tollenda peccata post baptismum commissa, omnino sequitur non sufficere memoriam baptismi. Vide Concil.Trident. sess.7. Conc.10. de baptism.

QVÆSTIO VII.

*An Baptismus liberet hominem à lege Diuina
& Humana?*

1 **L**utherani & Caluinistæ docent. Primo hominem per baptismum addici seruitutis Diuinæ, & liberari ab humana. Prius probant ex Matth.28. v. 19. *Baptizate omnes*

gentes , docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis .
 Posterius probant ex illo 1. Cor. 7. vers. 23. *Precio redempti
 estis , nolite fieri servi hominum.* Et Colos. 2. vers. 20. *Si ergo
 mortui estis cum Christo , quid adhuc viuitis secundum præcepta
 & doctrinas hominum ? Secundo docent hominem baptiza-
 tum obligari quidem ad seruandam legem Dei , sed tamen
 transgressionem legis non imputari illi si credit , nec salu-
 tem eius pendere ab obsecratione legis , sed à sola fide.
 Tertio , docent eum in conscientia non posse obligari vlla
 lege humana , quia per baptismum ab omni seruitute hu-
 mana liberatus est.*

2. Prima Conclusio. Homo baptizatus non solum obliga-
 tur lege Diuina , sed etiam salus ipsius pendet ab obserua-
 tione legis Diuinæ , & non à sola fide. Hoc probatum est in
 materia de Iustificatione & Legibus : nunc sufficient hæc
 Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi , serua mandata.* Rom. 2.
 v. 13. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum , sed factores legis
 iustificabuntur.* Iacob. 2. v. 14. *Quid prodest fratres mei , si quis
 fidem dicat se habere , opera autem non habeat ?*

3. Secunda Conclusio. Homo baptizatus potest in con-
 scientia obligari ad seruandas leges humanas. Hoc suppo-
 no ex materia de Legibus. Et patet ex Roman. 13. v. 1. *Omnis
 anima potestatis sublimioribus subdita sit.* Et infra: *Qui resi-
 stit potestati , Dei ordinationi resistit.* Et iterum: *necessitate
 subditi estote non solum propter iram , sed etiam propter con-
 scientiam.* Hebr. 13. vers. 17. *Obedite præpositis vestris , & sub-
 iacete illis.*

4. Tertia Conclusio : Homo per Baptismum liberatur ab
 omni seruitute peccati , & ab omni seruitute humana , quæ
 coniuncta est cum peccato ; non autem à seruitute iusti-
 tæ , nec à seruitute humana quæ fit ex iustitia. Priorem
 partem probant testimonia aduersariorum. Posteriorem
 probat illud Ephes. 6. vers. 5. *Serui obedite dominis carnalibus
 cum timore , & tremore sicut Christo.* Et Colos. 3. vers. 22. *Ser-
 ui obedite per omnia dominis carnalibus , non ad oculum ser-
 uientes , quasi hominibus placentes , sed in simplicitate cordis
 simientes Deum.*

QVÆSTIO VIII.

An Baptismus liberet ab omnibus votis?

1 **L**utherus in lib. de capt. Bab. cap. de Baptismo. Et Kemni-
tius in Examine Concil. Trident. sess. 7. can. 9. & alij
Lutherani docent hominem per Baptismum liberari ab
omnibus votis, non solum quæ antea, sed etiam quæ fecerit
postea; excepto voto quod fit in baptismo cum promittimus
nos legem Dei seruatuos. Simile quid insinuat Calui-
nus in Antidot. sess. 7. cap. 9. Et probatur primo, quia Christus
dixit Apostolis, ut baptizarent homines, & docerent eos
seruare præcepta Dei, nulla facta mentione votorum. Er-
go baptizati non tenentur seruare vota. Secundo, quia in
baptismo plus vouemus, quam possimus præstare. Ergo
stultum est aliquid aliud promittere. Tertio, quia res illæ
quas vouemus, vel sunt præceptæ à Deo, vel non sunt. Si
sunt præceptæ, frustra vouemus, cum in baptismo voueri-
mus seruare omnia præcepta Dei. Si non sunt præceptæ,
iam pugnamus cum baptismo, qui nos liberauit ab omni-
bus humanis inventionibus, quas vocant vota.

2 Prima Conclusio: Obligatio voti est iuris naturalis &
diuini. Vtroque enim iure tenemur præstare quod Deo
vouimus. Prima pars patet, quia sicut iure naturæ tenemur
præstare quod homini promittimus, sic etiam quod Deo
promittimus. Secunda patet ex Deut. 23. vers. 21. *Cum vo-
ueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret
illud Dominus Deus tuus: Et si moratus fueris, reputabitur
tibi in peccatum: Si nolueris polliceri, absque peccato eris.*
Et Ecclesiastæ 5. vers. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris red-
dere. Displacet enim ei infidelis & stulta promissio, mul-
tisque melius est non vouere, quam post vota promissa non
reddere.*

Dices: Hæc valebant in veteri, non autem in noua lege.
Respondeo. Iam dixi, obligationem voti esse iuris na-
turalis, ac proinde non minus ad nouam, quam ad vete-
rem legem pertinere. Confirmatur ex 1. Tim. 5. vers. 11.
Adolescentiores viduas desita. cum enim luxuriatæ fuerint

198 CAP. XL DE SACRAMENTIS
in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primaria
fidem irritam fecerunt. Vbi loquitur de voto continentiae in
novo testamento.

neofaci
3 Secunda Conclusio : Baptismus non tollit obligatio-
nem voti , sed potius confirmat. Ratio est , quia in ba-
ptismo promittimus nos seruatores omnia Dei mandata,
ut Aduersarij fatentur ; vnum autem est ex mandatis Dei,
ut vota impleamus , iuxta primam conclusionem. Ergo
tenemur implere vota vi promissionis in baptismo facta.

Ad argumentum *primum* respondeo. Aliud est vouere
aliquid Deo , & aliud præstare , vel implere votum. Deus
non præcepit nobis ut voueamus ; sed præcepit, ut implea-
mus illud quod sponte vouimus. Ad *secundum* respon-
deo , quicquid in baptismo promittimus , hoc possumus
præstare cum diuina gratia , si volumus. Non enim præ-
cepta Dei impossibilia sunt , ut dixi de iustificatione. Ad
tertium , possumus vouere res à Deo præceptas , nec id
frustra fit , tum quia tunc magis excitamur ad præstan-
dum , cùm videmus nos duplici vinculo obligari : tum
etiam quia præstantius est aliquid facere ex duplice vir-
tute , videlicet Religionis & obedientiae , quam ex vna
tantum. Possumus etiam vouere res præceptas , modò
sunt res bona & conducant ad salutem animæ : neque hoc
pugnat cum Baptismo , quia baptismus non liberat nos
à rebus bonis & ad salutem pertinentibus , sed à malis
aut ad malum incitantibus. Denique falsum est votum
esse humanam inuentionem , cùm sit iuris diuini & natu-
ralis , ut dixi.

Q V A E S T I O I X .

*Quæ dispositio requiratur ad effectus Baptismi con-
sequendos ab adultis ?*

neofaci
1 **L**OQUOR de effectibus quos Catholici agnoscunt, præ-
sertim de gratia sanctificante , remissione peccato-
rum, & charactere. Item loquor de adultis, & non de par-
vulis, qui non indigent dispositione.

2 Prima Conclusio : Ad consequendum characterem

non requiritur alia dispositio in adultis, quam quæ requiritur ad valorem baptismi, nempè voluntas suscipiendi baptismum. Ratio, quia non potest baptismus esse validus, quin conferat characterem. Hac enim de causa iterari non potest. Ergo non requiritur maior dispositio ad characterem, quam ad valorem Sacramenti.

^{recessit} 3 Secunda Conclusio: Ad consequendam gratiam sanctificantem & remissionem solius peccati originalis (si forte adultus aliquis non haberet aliud peccatum) requiruntur & sufficiunt hæ tres conditiones. *Prima*, fides ex parte intellectus, quia sine fide impossibile est placere Deo. *Secunda*, voluntas suscipiendi baptismum. *Tertia*, voluntas, seu propositum profitandi & seruandi legem Christi.

4 Tertia Conclusio: Ad consequendam gratiam sanctificantem & remissionem peccati originalis & mortalium, præter dictas tres dispositiones requiritur etiam aliqua pœnitentia, seu detestatio prioris vitæ. Est communis sententia in his terminis generalibus. Ratio, quia homini adulto, qui mortaliter peccauit, pœnitentia est medium necessarium ad salutem, iuxta Luc. 13. vers. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Act. 2. vers. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque,* &c. Hinc Augustin. lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 18. ait: *Baptismus sine pœnitentia nunquam profuit ei qui peccavit spontaneè.* Ratio à priori est, quia Deus dedit homini liberum arbitrium, & posuit ante eum vitam & mortem, ut eligeret quod vellet; ac proinde non vult illi dare vitam, nisi volunti & eligenti. At peccator non censetur velle & elgere vitam, quamdiu non detestatur sua peccata quæ mortem illi attulerunt. Ergo nisi illa detestetur, non potest vivere & saluari.

5 Quæres: Qualis & quanta dēbet esse detestatio peccatorum, ut sufficiat ad effectum baptismi? Respondeo. Aliqui requirunt veram contritionem, ut Gabriel, Marsil. & Pet. Soto. Alij contritionem, vel attritionem, quæ putetur contritio, ut Nauarrus & Cordub. Alij dicunt sufficere attritionem licet cognitam, secundum plerosque Thomistas.

Alij denique dicunt sufficere quamcunque displicantiam etiam naturalem, ut D. Sot.

6 Quarta Conclusio: Ad dictum effectum consequendum non requiritur vera contritio, sed sufficit attritio. Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. insinuat attritionem sufficere in Sacramento Poenitentiae. Ergo multo magis sufficit in baptismo, cum faciliter remittantur peccata per baptismum, quam per Sacramentum Poenitentiae, ut dicitur cap. 8.

Ratio à priori est, quia baptismus eo fine à Christo institutus est, ut homo per eum renascatur, & accipiat vitam spiritualem. Ergo debet homini conferre vitam spiritualem. Hanc autem non conferret, si necessaria esset vera contritio, quia sola contritio sine Sacramento sufficiens est ad hunc effectum conferendum.

7 Dices: Contritio non confert illum effectum, nisi quatenus includit votum baptismi. Ergo non confert illum per se, sed vi baptismi. Resp. Contritio non magis includit votum baptismi, quam restitutionis aut alterius alicuius præcepti obligantis. Is enim verè conteritur, qui dolet se offendisse Deum, & habet generale propositum seruandi deinceps omnia diuina præcepta occurrentia, non solum baptismi, sed etiam restitutionis, & alia omnia. Sicut ergo contritio non censetur conferre gratiam, vi restitutionis, aut alterius præcepti; ita nec vi baptismi. Est enim par ratio.

8 Dices secundo: Homo per peccatum mortale auertit se à Deo tanquam ultimo fine. Ergo ex natura rei non potest tolli hoc peccatum, nisi se iterum conuertat ad Deum, ut ad ultimum finem. Hoc autem non potest fieri sine amore Dei, qui includit contritionem. Resp. Habitualis auersio, de qua hic agimus (nam actualis auersio, non tollitur per baptismum, sed impedit effectum illius) sufficienter tollitur per habitualem conuersionem ad Deum, id est, per gratiam iustificantem, ut patet ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. Obiectio autem procedit de actuali, quæ non potest sufficienter tolli, nisi per actualem conuersionem.

9 Quinta Conclusio: Hæc attritio quam dixi sufficere, debet esse supernaturalis, & ex viribus gratiæ. Probatur primo, quia homo per solas naturæ vires non potest se sufficien-

sufficienter ad gratiam disponere, ut suppono ex materia de gratia. *Secundo*, quia inter dispositionem & formam introducendam debet esse proportio. Sicut ergo forma est supernaturalis, id est, gratia ipsa; ita & dispositio. *Tertio*, quia dispositio intellectus est remotior à forma, quam dispositio voluntatis. Sed intellectu requiritur supernaturalis fides. Ergo in voluntate requiritur attritio supernaturalis.

Dices: Non videtur hoc sequi, quia non est eadem ratio intellectus & voluntatis. Nam in intellectu requiritur & què perfecta dispositio in Sacramento & extra Sacramentum, nempe actus fidei eiusdem rationis & speciei; & tamen in voluntate non requiritur & què perfecta dispositio in Sacramento & extra Sacramentum. Nam in Sacramento sufficit attritio, extra Sacramentum requiritur contritio. Ergo eodem modo fieri potest, ut in intellectu requiratur dispositio supernaturalis, & in voluntate sufficiat naturalis dispositio.

Et ratio huius differentiæ esse potest, quia actus intellectus est prior actu voluntatis, & est quasi basis, seu fundatum aliorum actuum. Ergo si actus intellectus in se supernaturalis est, poterunt reliqui actus sequentes, etiam si naturales sint, participare aliquam supernaturalitatem saltem extrinsecè; quod sufficere videtur ad formam supernaturalem introducendam.

Respondeo. Dispositio supernaturalis in intellectu non potest essentialiter esse magis, vel minus perfecta, quia non potest esse alia quam actus fidei, qui semper est eiusdem speciei, quia semper habet idem obiectum formale, ut suppono ex materia de fide. Hinc fit, ut semper & què perfecta sit dispositio intellectus, sive extra, sive in Sacramento. At dispositio supernaturalis in voluntate potest essentialiter esse magis vel minus perfecta, ut patet in attritione & contritione. Vnde non est mirum, si perfectior sit extra quam in Sacramento.

Quod obiicitur, naturales actus voluntatis posse aliquam supernaturalitatem participare à supernaturali actu intellectus, nihil est. Sicut enim per se, & per suam enti-

202 C A P . XI . D E S A C R A M E N T I S
tatem debent disponere ad formam supernaturalem in-
troducendam : ita per se & suam entitatem debent habe-
re proportionem cum forma supernaturali ; quod non fa-
cerent , si per se , & suam entitatem non essent superna-
turales.

11 Sexta Conclusio : Hæc attritio debet esse efficax , &
absoluta detestatio peccatorum , quia si esset inefficax &
imperfecta , posset consistere cum affectu peccati morta-
lis. Item debet includere propositum seruandi omnia præ-
cepta : quia nemo potest efficaciter & absolutè peccat
prioris vitæ detestari , nisi deinceps velit desistere à pecca-
tis , & seruare præcepta Dei.

12 Dices : Ergo debet etiam includere propositum con-
tritionis. Respondeo. Sicut includit propositum seruandi
omnia præcepta , quando occurunt & obligant. Sic etiam
includit propositum seruandi preceptum contritionis ; si
occurrat & obliget. Vide quæ dixi de Martyrio.

Q V A E S T I O X .

An fictio impedit effectum Baptismi , & quamdiu ?

neofaci
1 Prima Conclusio : Fictio aliquando impedit valorem
Baptismi , aliquando effectum illius. Nota , quod
fictio opponatur dispositioni. Ille enim censetur ficte ac-
cedere ad Baptismum , qui non est sufficienter dispositus.
Sicut ergo in adultis requiritur duplex dispositio. Prima ,
ad valorem Baptismi. Secunda , ad effectum illius ; sic etiam
est duplex fictio. Prima , impediens valorem. Secunda , ef-
fectum Baptismi. Prior est , quando quis recipit Baptis-
mum sine voluntate , seu intentione recipiendi. Posterior
est , quando quis caret fide vel attritione , vel proposito ser-
uandi mandata Dei ; quæ dispositiones requiruntur ad ef-
fectum Baptismi.

2 Secunda Conclusio : Hoc interest inter utramque
fictionem , quod priore recedente non sequatur valor Ba-
ptismi : at recedente posteriore sequatur effectus Baptis-
mi. Ratio , quia valor Baptismi non pendet a sola volun-
tate suscipientis , sed etiam ab intentione ministri ; itemque
a debita

à debita materia & forma. Ergo, si hæc desint, non potest esse validus Baptismus, etiam si adhuc voluntas suscipientis, per quam fictio remouetur. At effectus Baptismi infallibiliter sequitur posito Baptismo cum legitima dispositione. Ergo si remouetur fictio per sufficientem dispositionem, iam sequetur effectus Baptismi, qui erat impeditus per fictionem.

3 Dices : Quando fictio remouetur per sufficientem dispositionem, iam re ipsa non adest Baptismus, sed transiuit. Ergo tunc non potest producere effectum suum. Confirmatur à simili de valore Baptismi. Nam ideo non fit validus Baptismus recedente fictione, quia intentio ministri & forma & materia transferunt; valor autem Baptismi pendet ab illis præsentibus non præteritis.

Respondeo. Non est simile. Nam valor Baptismi pendet à materia & forma intrinsecè & essentialiter : effectus autem Baptismi pendet à Baptismo effectuè, tanquam ab instrumento morali, quod potest moraliter operari, etiamsi physicè non sit præfens.

QVÆSTIO X.

Per quid tollatur fictio?

1 **S**ensus est : An attritio sufficiat ad fictionem tollendam, an verò requiratur contritio. Aliqui putant sufficere attritionem, quia si in ipsa susceptione Baptismi adfuerisset attritio, fuisse sufficiens ad tollendam fictionem. Ergo etiam postea erit sufficiens. Alij requirunt contritionem, quia fictio nihil aliud est quam peccatum mortale. Sed attritio extra Sacramentum non sufficit ad tollendum peccatum mortale. Ergo nec ad tollendam fictionem.

2 Prima Conclusio : Fictio impediet effectum Baptismi potest dupliciter contingere. *Primo*, sine actuali peccato, vt si quis bona fide accedat ad Baptismum, putans se esse attritum, & tamen non sit : aut si inuincibiliter existimet non esse necessariam attritionem, sed suscipere voluntatem suscipiendi Baptismum. *Secundo*, cum actuali peccato, vt si quis accedat ad Baptismum, sciens se non esse sufficien-

204 C A P . XI . D E S A C R A M E N T I S
sufficienter dispositum. Tunc enim committit actuale sa-
cilegium. Prior fictio est negativa & inuoluntaria: poste-
rior contraria & voluntaria. Igitur, &c.

3 Secunda Conclusio: In eo qui ficte accedit ad Baptis-
mum sine actuali peccato , sufficienter tollitur fictio per
solam attritionem, si post susceptum Baptismum non pec-
cauit mortaliter. Probatur primo , quia attritio sufficiens
est in ipso Baptismo. Ergo etiam post Baptismum , si in-
terea nullum peccati impedimentum accesserit. Secundo,
quia fictio, de qua agimus, consistit in sola carentia dispo-
sitionis. Ergo posita dispositione tollitur fictio. Sed in hoc
casu non opus est alia dispositione, quam attritione. Ergo
per illam sufficienter tollitur fictio. Tertio, quia in tali ca-
su non opus est Sacramento Poenitentiae , cum suppona-
mus omnia peccata facta esse ante Baptismum. Ergo om-
nia tollenda sunt vi solius Baptismi. Ergo possunt tolli
per illam dispositionem , quæ sufficit cum solo Baptismo.
Sed attritio talis est. Ergo, &c.

3 Dixi in Conclusione: Si post susceptum Baptismum
peccauit mortaliter. Nam si, qui ficte accessit ad Baptis-
mum sine actuali peccato , post susceptum Baptismum
peccasset mortaliter, non sufficeret illi attritio ad tol-
lendum fictionem , sed necessaria esset contritio. Ratio,
quia peccatum post Baptismum commissum non potest
tolli per Baptismum , ut suprà dixi , & patet ex Con-
cilio Tridentino sessione 7. canone 10. Nec potest tolli per
solam attritionem extra Sacramentum , ut omnes faten-
tur. Nec potest tolli nisi fictione sublata , & aliis pecca-
tis ante Baptismum commissis; quia unum peccatum mor-
tale non potest tolli sine alio. Non enim tollitur for-
maliter , nisi per gratiam iustificantem , quæ cum nullo
peccato mortali potest consistere. Si ergo sola attritio
non sufficit ad tollendum peccatum mortale post Baptis-
mum commissum , non poterit etiam tollere reliqua quæ
cum illo coniuncta sunt ; ac proinde non potest tollere
fictionem.

Confirmatur , quia si quis post Baptismum dignè suscep-
tum mortaliter peccet , non sufficit illi attritio sola ad
remissio

remissionem illius peccati. Ergo multò minus si peccet mortaliter post Baptismum indignè suscep^tum.

4 Tertia Conclusio : In eo qui fictè accedit ad Baptis- ~~tem~~ ^{eo} mūm cum actuali peccato sacrilegij , non tollitur fictio per solam attritionem, sed necessaria est contritio, etiamsi post acceptum Baptismum , nullum aliud mortale peccatum commisisset. S. Thom. art. 10. ad 2. vbi dicit , peccatum fictionis non tolli per Baptismum , sed per poenitentiam. Ratio , quia illud peccatum computatur inter ea quæ Baptismum sequuntur. Ergo non potest tolli, nisi vel per Sacramentum Pœnitentiæ , vel per contritionem. Ergo sola attritio non sufficit.

5 Dices : Debet potius computari inter peccata præcedentia Baptismum ; quia hoc peccatum consistit in voluntate suscipiendi Baptismum indignè : at talis voluntas suscipiendi Baptismum , prior est ipsa susceptione Baptismi. Ergo, &c. Respondeo. Si talis voluntas ante susceptionem Baptismi cessaret , tunc pertineret ad peccata Baptismum præcedentia. Hoc autem non fit , quia ponimus ex tali voluntate sequi sacrilegam susceptionem Baptismi ; & sic debet pertinere ad peccata Baptismum subsequentia.

Ratio est , quia Baptismus priùs natura confert characterem, quam gratiam sanctificantem : tum quia ad imprimendum characterem non requirit illas dispositiones, quas requirit ad gratiam : tum etiam , quia sicut character baptismalis est potentia passiva ad suscipienda alia Sacra menta , & eorum effectus : sic etiam ad suscipiendum effectum gratiæ baptismalis. Ergo quando quis ponit obicem gratiæ baptismali per sacrilegam fictionem, iam intelligitur habere characterem baptismalem. Ergo tale sacrilegium , prout re ipsa fit , censetur fieri ab homine baptizato ; ac proinde ab homine subiecto clauibus Ecclesiæ. Ergo peccatum ipsius debet tolli vel per Sacramentum Pœnitentiæ , vel extra Sacramentum per contritionem.

Confirmatur , quia in genere causæ efficientis hic ordo spectari potest, ut primo concipiatur causa efficiens ordin

206 CAP. XL. DE SACRAMENTIS
dine naturæ. Secundo, dispositio ad effectum. Tertio, ipse
effectus. Vnde prius est Baptismum existere quam habere
effectum gratiæ: & prius est hominem disponi ad gratiam
quam habere gratiam. Sicut ergo dispositio ad gratiam
supponit Baptismum: ita fictio, quæ opponitur dispositio-
ni, supponit etiam Baptismum, & sic pertinet ad peccata
Baptismum sequentia.

6 Quæres: Quid dicatur de aliis peccatis actualibus in
ipsa susceptione Baptismi commissis? Nam qui fictè ac-
cedit ad Baptismum, non solum committit actuale sacri-
legium, quatenus sciens & volens indignè Sacramentum
suscepit; sed etiam potest alia peccata actualia commit-
tere; ut si actu habeat voluntatem furandi, aut fornicandi,
aut odij, aut inuidiæ, &c.

Diuis Thomas articulo 10. ad 2. Cajetanus *ibidem*, & alij
Thomistæ docent peccata actualia concomitantia Baptis-
mum, sublata fictione tolli per ipsum Baptismum. Un-
de ponunt hanc differentiam inter fictionem sacrilegam,
& alia actualia peccata concomitantia; quod fictio non
tollatur per Baptismum, sed per poenitentia Sacra-
mentum aut contritionem: reliqua vero per Baptismum. Hinc
inferunt bene, quod non sit opus confiteri reliqua pecca-
ta, sed solam fictionem; ac proinde sufficere, si quis dicat
se fictè & indignè Baptismum suscepisse, non addendo in
codem Baptismi momento actuale odium aut concupis-
tiam, &c. si quam habuerit.

Hæc sententia probabilis est: puto tamen opus esse
distinctione. Nam si peccata actualia, quæ committuntur
in ipsa Baptismi susceptione, solum antecedenter & con-
comitanter se habeant, ita ut non persevererent actualiter
post susceptionem Baptismi; tunc recedente fictione tolli
possunt per Baptismum, sicut alia peccata ante Baptis-
mum commissa; nec opus erit postea confiteri. Si autem
actualiter persevererent finito Baptismo, tunc per poeniten-
tiæ aut contritionem tollenda sunt.

CAPVT XII.

De Circumcisione.

I **D**IVVS Thomas disputat primo, an Circumcisio fuerit figura Baptismi. Secundo, an conuenienter instituta, tum ratione temporis, tum ratione personarum. Tertio, an ritus ipsius fuerit conueniens. Quarto, an contulerit gratiam ex opere operato; de hoc postremo multa dixi cap. 4. quest. II. cætera pertinent ad interpretem Scripturæ.

CAPVT XIII.

De ceremonijs Baptismi.

I **D**IVVS Thomas agit de duabus præcedentibus Baptismum, videlicet de Catechismo & Exorcismo, sub quibus alias minutiores comprehendit; nos de iisdem agemus hoc ordine. Primo, quæ sint ceremoniæ Baptismi infantium. Secundo, quæ adulorum. Tertio, an sint tolerandæ. Quarto, an habeant aliquam vim & efficaciam physicam. Quinto, quis sit minister earum.

QVÆSTIO I.

Quæ sint ceremoniæ Baptismi infantium.

IN Baptismo infantium seruantur hæc. Primo, petitur nomen infantis. Secundo, fit insufflatio cum hac formula verborum: *Exi ab eo immunde spiritus, &c.* Tertio, signum crucis imprimitur in fronte & corde. Quarto, datur illi gustandum sal benedictum. Quinto, sequitur Exorcismus sub hac formula: *Exorcizo te immunde spiritus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut excelas & recedas ab hoc famulo Dei.* Sexto, nares & aures infantis tanguntur sputo vel saliuia. Hæc omnia fiunt ante ingressum in Ecclesiam. Post ingressum scrutatur hic ordo. Primo, fit abrenun-

abrenunciatio Satanæ. Secundo, professio fidei. Tertio, vngitur pectus infantis oleo salutis. Quarto, sequitur Baptismus. Explicatio harum ceremoniarum patebit ex sequenti quæstione.

QVÆSTIO II.

Quæ sunt Ceremonie Baptismi adulorum?

1 **H**Æ sunt triplices. Aliæ præcedunt Baptismum. Aliæ comitantur. Aliæ sequuntur. De singulis dicam breuiter.

2 Prima Conclusio: Ante Baptismum Catechumenorum sunt duæ generales Ceremoniæ, Catechismus, & Exorcismus, ad quas aliæ reuocantur. Catechismus ideo præcedit, quia Catechumi debent priùs institui in fide Christiana, quam publicè profiteantur susceptionem Baptismi. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* vbi Christus mandat Apostolis ut priùs instruant gentiles in fide, ac deinde eos baptizent. Exorcismus autem ideo præmittitur, ut priùs expellatur diabolus ab homine baptizando antequam fiat membrum Christi per Baptismum. Hæc generatim.

2 Sub Catechismo continentur hæ Ceremoniæ. *Prima*, quod Catechumi, qui baptizari cupiunt, dant sua nomina, & ex eo tempore dicuntur competentes seu electi, & recipiuntur ab Ecclesia, ut instruantur & præparentur ad Baptismum. Vbi nota duplices esse Catechumenos. Quidam sunt, qui volunt fieri Christiani, sed nondum petunt Baptismum; & hi admittuntur ad audiendas conciones, & dicuntur auditores seu audientes. Quidam vltérius progressi petunt Baptismum, & dicuntur competentes seu electi, de quibus agimus.

Secunda Ceremonia est scrutinium, id est, examen & exploratio quædam, an competentes sint firmi, & sinceri in fide. Fiunt autem septem scrutinia, quorum principale est tertium, fieri solitum feria quarta post Dominicam quartam quadragesimæ.

Tertia est abrenunciatio Satanæ, & operum eius, quæ sacer

sæpè repetitur tum in scrutiniis, tum paulò ante Baptis-
mum. *Quarta*, est fidei professio. *Quinta*, signum Crucis
in fronte & pectore; quod in singulis scrutiniis imprimi
solet. His finitis sequuntur exorcismi hoc ordine.

3 In exorcismo prima est ceremonia exufflatio. *Secun-*
da exorcismus, seu adiuratio dæmonum certis precibus
facta, vt recedant ab homine baptizando. Hæ duæ cere-
moniæ spectant eundem effectum. Nam sicut verbis exor-
cismorum pelluntur dæmones; ita exufflatione signifi-
catur eorum expulsio. *Tertia* est gustus salis. Datur enim
Catechumenis gustandum sal, vel ad infusionem Diui-
næ Sapientiæ, vel ad fidei confessionem, quæ ore fit,
significandam. *Quarta* est sputo nares & aures tangere,
& simul dicere *Epheta*, id est, *adaperire*, ad significandam
receptionem & approbationem doctrinæ fidei. *Quinta* est
impositio manuum ac benedictio Sacerdotalis, vt diabo-
lo iam expulso præcludatur via ne redire possit. *Sexta* vñ-
ctio ad significandam aptitudinem hominis ad pugnan-
dum contra dæmones. *Septima* abstinentia vini & car-
nium; aliisque opera poenitentiæ, non quidem ad satisfa-
ctionem; sed vt paratores & melius dispositi accedant ad
ipsum Baptismum.

4 Secunda Conclusio. In ipso Baptismo adhibentur hæ
ceremoniæ. *Prima* impositio nominis. *Secunda* præsentia
susceptorum. *Tertia* consecratio aquæ. *Quarta* trina met-
sio. *Quinta* tempus Paschale & Pentecostes. Quamuis
enim quoquis tempore dari possit Baptismus, si necessitas
vrgeat: tamen Veteres diligentissime seruabant hoc, vt fo-
lūm in Sabbathis Paschatis, & Pentecostes ordinariè ba-
ptizarent. Duravit hoc ad tempora usque Caroli Magni, vt
notat Pammelius in *Annot. ad librum Tertulliani de Baptis-*
mo. Nunc abrogata est.

5 Tertia Conclusio. Post Baptismum sequuntur hæ ce-
remoniæ. *Prima* osculum Pacis ad significandum, quod
baptizatus sit frater noster. *Secunda* vñctio Chrismales
in vertice. *Tertia* cereus accensus, qui datur baptizato
in signum fidei & gratiæ acceptæ; & quod sit translatus
à tenebris ad lumen. *Quarta* vestis candida, quam ferre

210 CAP. XIII. DE SACRAMENTIS
solebant à Sabbatho sancto usque ad Dominicam in Al-
bis, ad significandam nouitatem vitæ. Quinta delibatio la-
etis & mellis, quæ iam non est in usu.

QVÆSTIO III.

An hę Ceremonia toleranda sint?

¶ **C**aluinus 4. *Instit. cap. 15. §. 19.* ridet plerasque ce-
remonias, vocatque aduentitiam farraginem, Sata-
næ imposturas, ludibria, nugas, theatricas pompas, exoti-
cas fordes. Eodem modo loquuntur Caluinistæ. At Lu-
therani haec tenus illas admiserunt, præsertim exorcismum
& quasdam alias. Nuper tamen prodierunt theses Aegidij
Hunnij de abrogando exorcismo; ex quibus colligam hæc
argumenta.

¶ **P**rimum: Nec Christus instituit exorcismum, nec Apo-
stoli usurparunt. **S**econdum, Verba exorcismi generant fal-
sam opinionem, quasi infans corporaliter sit obsessus à
diabolo. **T**ertium, Dæmon non expellitur ab infante per
exorcismum, sed per Baptismum. Confirmatur, si per exor-
cismum expellitur, vel corporaliter vel spiritualiter id fit.
Non **p**rimum, quia infans non obsidetur corporaliter. Nec
secondum, quia tunc Baptismus nihil efficeret. **Q**uartum, si
exorcismus haberet vim expellendi diabolum, haberet il-
lam ex mandato & promissione Christi. At Christus nus-
quam mandauit exorcismum, nec promisit illi vim expel-
lendi Dæmonem. **Q**uintum, nullus cultus potest placere
Deo, qui ab hominibus institutus est sine expresso Dei
mandato. Ergo nec exorcismus. **S**extum, si licet adiu-
rare Dæmonem, ne noceat infanti; licebit etiam adiura-
re ne noceat nobis in quotidianis negotiis. At hoc ridicu-
lum est. Ergo & illud. **S**eptimum, si Michael Archangelus,
qui perpetuò certat cum diabolo, non audet ei impingere
notam maledicti, vel aduersus illum agere pro suo arbi-
tratu, ut patet ex Epistola Iudæ Apostoli: multò minus li-
cebit homini pro suo arbitrio quibusuis formis pugnare
contra illum. **O**ctauum, non licet nomen Dei assumere in
vanum. Sed hoc sit in exorcismo, cùm dicimus: *Exi ab eo
immunde*

immunde Spiritus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
 Nam his verbis iubemus diabolum exire per inuocacionem nominis Trinit. Omnis autem talis inuocatio diuini nominis, quæ non fit ex fide, vana est; iuxta illud Rom. 14. vers. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Talis autem inuocatio quæ fit in exorcismo, non est ex fide, sed ex humana institutione. *Nonum,* Exorcismus est origo multarum falsarum opinionum. Putant enim homines necessarium ad salutem esse, putant præstantiorem esse Baptismo, quia plures ceremoniæ fiunt in exorcismo, quam in Baptismo. *Decimum,* est origo discordiarum, dum alij certant pro exorcismo; alij illum abrogant. *Vndecimum,* esset maior conformitas in Ecclesiis si ubique abrogaretur.

3 Prima Conclusio. Exorcismus, exufflatio & aliæ ceremoniæ semper fuerunt in Ecclesia usurpatæ, & ab antiquis Patribus approbatæ. De illis ita scribit Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 2. *Ecclesia filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret;* si non eos de potestate tenebrarum, & à Principe mortis erueret. Et paulò post inquit: *Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exufflans esses, si huic exufflationi, qua Princeps mundi à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* Et lib. 2. de peccato Origin. cap. 14. ait: *Prius exorcizatur in parvulis, & exufflatur potestas contraria.* Et lib. 2. de nupt. & concupisc. cap. 18. ait: *Accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, nisi ut ab eis Princeps mundi ejiciatur foras.*

Similia habent alij Patres: Tertullianus lib. de Corona militis. Cyprianus lib. ad Demetrianum. Nazianzenus oratione in sanctum Lauacrum. Cyrillus in praefatione ἐπαντησίας. Optatus lib. 4. contra Parmenianum. Cœlestinus primus. Epistola prima, cap. 12. Nec opus est plures citare, quia Calvinus fatetur exorcismum semper fuisse in usu. Sic enim loquitur: *Et si autem me non latet, quām vetusta sit aduentitia huius farraginis origo, respuere tamen mihi, & pīs omnibus fas est (vt Bezae) quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.* Et paulò post: *cūm autem videret Satan, inter ipsa Euangeliū exordia receptas esse suas imposturas, &c.* His

212 CAP. XIII. DE SACRAMENTIS
verbis damnat Caluinus omnes Patres antiquos, qui exorcismum acceptarunt; se autem & alios, qui exorcismum respununt, inter pios homines annumerat. Sed testimonium hoc verum non est.

4 Secunda Conclusio. Exorcismus, exuffatio & aliæ ceremoniæ in primitiua Ecclesia usurpatæ, tametsi immediate à Christo institutæ non negantur; ab eo tamen originem suam habent. Probatur, quia duo spectari in illis possunt. Vnum est potestas eiiciendi dæmonem. Hanc Apostoli & eorum Successores habent immediate à Christo; ut Matthæi 10. v. 1. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiciant eos.* Et Marc. 16. v. 17. *In nomine meo dæmonia eiciant.* Et Actori. 16. v. 8. *Precipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.*

Alterum est, externa ceremonia, quæ adhibetur ad eiiciendum dæmonem. Hanc Ecclesia instituit partim exemplo Christi, partim suo iure & auctoritate. Nam Christus fuit etiam usus exufflatione, sputo, &c. Ioan. 9. v. 6. & Idem 120. v. 22. Vide D. Augustin. tratt. 44. in Ioan. vbi dicit cæcum sputo Christi inunctum repræsentare Catechumenos.

5 Tertia Conclusio. Exorcismus & aliæ ceremoniæ ob bonum finem ab Ecclesia institutæ sunt, ac proinde rectè & laudabiliter usurpari possunt; etiamsi à Deo immediate institutæ & præceptæ non sint. *Prima* pars patet ex dictis, quia sunt institutæ ut infantes & Catechumeni non impedianter à diabolo in susceptione & effectu Baptismi, ut paulo post clarius explicabitur. *Secunda* probatur, quia quando ceremoniæ in bonum finem referuntur, & nihil mali in se continent, possunt usurpari rectè, etiamsi à Deo præceptæ non sint. Hoc probatur exemplo aduersariorum. Nam Caluinus in libello de formula Sacramentorum ministrandorum, prescribit has ceremonias. *Primo* ut infans adferatur ad Baptismum die Dominico, quando populus est in Ecclesia frequens. *Secundo* ut, qui infantem adferant, interrogentur an promittant se instituturos infantem cum adoleuerit. *Tertio* ut nomen imponatur infanti baptizando. *Quarto* ut forma Baptismi pronuncietur lingua

lingua patria. *Q*into ut recitetur Symbolum & oratio Dominica. At nihil horum à Deo præceptum est. Si ergo hæc laudabiliter fieri possunt apud Calvinistas sine ullo præcepto diuino, cur non similiter apud Catholicos usurpari possunt similes ceremoniæ, licet præceptæ ab ipso Deo non sint?

6 Resp. iam ad argumenta Hunnij. Ad *primum* cum distinctione: Exorcismus est à Christo Domino institutus quoad potestatem eiiciendi dæmonem; non tamen quoad externam ceremoniam. Neque hinc sequitur externam ceremoniam abrogandam esse. Nam etiam Lutherani & Calvinistæ habent multas ceremonias, quæ à Christo instituta non sunt, vt patet ex dictis.

Ad *secundum* Resp. verba Exorcismi non generant falsam, sed veram opinionem. Significant enim diabolum expelli ab infante vel Catechumeno in nomine Trinitatis, quod verissimum est. An autem infans corporaliter aut spiritualiter obsideatur à diabolo, hoc non exprimunt verba exorcismi.

Ad *tertium* Resp. diabolus expellitur ab infante & per exorcismum, & per Baptismum, sed diuerso modo. Vbi nota diabolum habere potestatem in omnes homines non baptizatos ratione peccati originalis, vt docet D. Thom. art. 2. ad 1. Hanc autem potestatem habet tribus modis. *Primo* in anima, quatenus ipsa per peccatum à Deo auerfa est, & diabolo subiecta. *Secundo* in corpore, quatenus diabolo potest illud vexare, cruciare aut strangulare. *Tertio* in phantasia, aliisque sensibus internis & externis, quatenus potest in iis excitare falsas opiniones, illusiones, deceptions, terrores & similia ludibria & terricula.

Hinc sequitur diabolum tribus modis expelli posse ab homine. *Primo* liberando animam à peccato; quod fit per Baptismum, aut Poenitentiam. *Secundo* expellendo illum à corpore, ne illi noceat; quod fit per exorcismos. *Tertio* expellendo eum à sensibus, ne ludificet aut terreat, quod fit etiam per exorcismos. His tribus modis expellitur ab infante baptizando. Nam *primo* per Baptismum

214 C A P . X I I I . D E S A C R A M E N T I S
mundatur anima à peccato originali. *Secundo* per exorcismum expellitur à corpore ne illud strangulet ante Baptismum. *Tertio* per eundem exorcismum expellitur à sensibus, ne postea, cùm infans adoleuerit, per illusiones & terrores impedit illum in vita spirituali quam in Baptismo acceperat.

7 Hinc patet *primo*, quo sensu dicat D.Th. art.2.ad 2. per exorcismos expelli dæmonem ab infante, ne impedit Baptismum. Potest enim dupliciter illum impedire. *Primo* impediendo susceptionem Baptismi, vt si infantem strangularet in ipsa Baptismi inchoatione, tunc enim maximè sollet sanguire. *Secondo* impediendo fructum Baptismi, vt si infantem, cùm iam adolescit, per fallas opiniones & terrores abduceret à gratia baptismali.

Hinc vltérius patet non frustra suppleri exorcismum, si antea fuisset neglectus. Nam licet infans per Baptismum liberetur à peccato originali: tamen potest postea à diabolo infestari, licet fuerit exorcizatus.

8 Ad *quartum* Resp. Exorcismus habet vim expellendi dæmonem per Christum, iuxta Scripturas citatas.

Ad *quintum*, si nullus cultus placet Deo, nisi diuino præcepto institutus sit; quare Lutherani & Caluinistæ seruant tam multas ceremonias à Deo non præceptas?

Ad *sextum*, aliud est adiurare & imperare dæmoni vt exeat ab homine, & illum non impedit; & aliud est orare Deum vt cohibeat dæmonem ne nobis noceat. Illud priùs fit per exorcismos Ecclesiæ: hoc posterius per quotidianas orationes etiam hominum priuatorum. Et quidem vtrumque recte.

Ad *septimum* Resp. sicut Michaël Archangelus non propria libidine aut voluntate; sed virtute Diuina pugnauit contra diabolum: sic ministri Ecclesiæ non suo, sed Dei nomine expellunt illum ab infantibus & Catechumenis.

Ad *octauum* Resp. in exorcismo non assumitur nomen Dei in vanum; quia iubemus diabolum exire non nostro, sed Dei nomine; neque id temerè facimus, sed ex illa Christi promissione *Marc. 16*. In nomine meo dæmonia eiicient.

Ad

Ad nonum Resp. Exorcismus non est origo falsarum opinionum, sed hæresis & ignorantia. Nam Catholici sciunt exorcismum non esse necessarium ad salutem, & ideo in necessitate baptizant infantes sine exorcismo: Sciunt etiam Baptismum esse præstantiorem exorcismo, quia Baptismus est Sacramentum; exorcismus autem est tantum ceremonia Sacramenti.

Ad decimum Resp. Exorcismus non excitat discordias, sed hæretici volentes abrogare illum, & quotidie res nouas moliri.

Ad undecimum Resp. maior esset conformitas, si ubique seruaretur exorcismus, sicut ante tempora Caluinistarum factum est.

Q V A E S T I O I V .

*An Ceremonie habeant vim actuam,
& qualis illa sit?*

1 P Ræcipua difficultas est de exorcismo; quia constat quasdam alias ceremonias non habere vim agendi, sed vel tantum instruendi, ut Catechismus, vel tantum significandi, ut osculum pacis; cereus accensus, vestis candida; vel tantum ornandi, ut sunt multæ aliæ. Est ergo quæstio de exorcismo, & sensus est, an exorcismus expellat dæmonem physicè, an moraliter?

2 Prima Conclusio. Exorcismus non habet vim physicam expellendi dæmonem ab infante, sed tantum morallem. Ratio, quia dæmon duplicit expelli potest ab infante. Primo localiter illum expellendo à corpore infantis. Secundo prohibendo ne noceat illi in corpore, etiamsi localiter præsens maneat. At neutrò modo potest physicè expelli per exorcismum. Non primo quia Diabolus non potest physicè moueri de loco in locum ab extrinseco motore, nisi per physicam impressionem alicuius realis qualitatis, quam exorcismus imprimere non potest, cum ipse sit res materialis & sensibilis, & illa qualitas debeat esse spiritualis & immaterialis. Item cum exorcismus sit successiva res, & qualitas illa sit res permanens. Item

216 CAP. XIII. DE SACRAMENTIS
cum exorcismus non semper sit præsens cum substantia
diaboli.

Nec secundo, quia diabolus non potest physicè prohiberi ne noceat, nisi duobus modis. Primo per subtractionem concursus Diuini. Secundo per contrariam qualitatem resistentem. At exorcismus non potest subtrahere physicè concursum Diuinum, cùm hoc sit solius Dei concurrentis. Nec potest aliquam qualitatem actiuam producere, quia resistat diabolo, ut patet ex dictis.

3. Secunda Conclusio. Hæc moralis vis expellendi dæmonem potest esse triplex. Prima in eo consistit, quod auditio nomine Christi, & viso signo crucis, quo se victum & superatum esse nouit, statim præ confusione & horrore fugiat. Hoc sensu Laetantius lib. 4. cap. 27. ait: *Sicut Christus, cùm inter homines ageret, uniuersos dæmones Verbo fugabat: ita nunc sectatores eius in nomine Magistri sui, & signo Passi- nis eius excludunt eos ab hominibus.* Et Orig. Hom. 6. in Exodum: *quid timent dæmones? quid tremunt? sine dubio Christi crux in qua triumphati sunt.*

Secunda vis consistit in eo, quod Minister exorcismi, cùm sustineat personam Ecclesie, per exorcismum & orationes adiunctas infallibiliter à Deo impetraret expulsionem dæmonis, ut explicat Dom. Sotus in 4. d. 6. q. 2. art. 3.

Tertia vis in eo consistit, quod Christus dederat speciali-
lem potestatem imperandi dæmonibus, & illi ex voluntate Christi cogantur obedire. Hæc potestas videtur colligi ex vnu & traditione Ecclesie. Cùm enim ordinantur exorcistæ, & datur eis potestas contra dæmones, non tan-
tum videtur eis concedi facultas postulandi, & impetrandi à Deo expulsionem dæmonum; sed etiam specialis aliqua potestas imperandi dæmonibus, ut exeant ab homine,
& salutem eius non impedianter.

De hac potestate videtur loqui Iustinus quæst. 40. ad gen-
tes, dicens esse vim quandam spiritualem, quæ timorem
incutit dæmonibus, cùm ab Ecclesia imperantur.


Q y A

QVÆSTIO V.

Quis sit Minister harum Ceremoniarum?

I **D**IUS Tho. 4. ad 2. docet officium Catechizandi & Exorcizandi principaliter pertinere ad Sacerdotis; instrumentaliter autem ad Lectores & Exorcistas. Hi enim subseruiunt & ministrant Sacerdotibus in administratione Sacramentorum, præfertim Baptismi & Eucharistie.

Dices: quilibet Christianus potest aliquem catachizare & instruere in rebus fidei. Resp. Catechumenorum instructio debet fieri à Sacerdote; vel ab aliquo ab eo deputato, quia non solum instruuntur Catechumi in fide & doctrina, sed etiam in ceremoniis baptismi. Et quia hæc instructio non potest omitti; ideo deputandus est aliquis certus, qui ex officio eam administret.



C A P V T X I V.

De Confirmatione.

I **C**ATHOLICI docent Primo, Confirmationem esse verum Sacramentum à Christo institutum. Secundo, materiam eius remotam esse Chrisma, id est oleum balsamo mixtum, & ab Episcopo consecratum. Tertio, materiam proximam esse unctionem Chrismatis; hanc autem unctionem fieri debere ad figuram crucis in fronte hominis baptizati, cum impositione manus Episcopi. Quarto, formam esse hanc: consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quinto, effectum esse duplum, videlicet characterem & gratiam iustificantem. Sexto, ordinarium ministrum esse solum Episcopum. Septimo, solos baptizatos esse capaces huius Sacramenti. De primo puncto solum hic disputabimus contra haereticos; cætera clara sunt & pendent ex Traditione.

QVÆSTIO VNICA.

An Confirmatio sit Sacramentum?

I **L**Vtherani & Caluinistæ concedunt esse ceremoniam Ecclesiasticam, quæ olim vtiliter instituta fit ad examen puerorum, vt confirmarentur in illa fide, quam in baptismo acceperant: negant tamen esse Sacramentum, Catholici affirmant esse Sacramentum, & probant. *Primo*, ex perpetua traditione Ecclesiæ, Patrum & Conciliorum, de quibus vide Bellarminum & alios. *Secundo*, probant ratione in Scripturis fundata in hunc modum: Aduersarij requirunt hæc tria ad essentiam Sacramenti nouæ legis. *Primo*, promissionem gratiæ. *Secundo*, signum sensibile & externum, quo tanquam medio, seu organo applicetur nobis promissio. *Tertio*, mandatum diuinum, quo signum illud sensibile iubeatur ministrari. Atque hæc tria reperiuntur in confirmatione. Ergo Confirmatio est Sacramentum nouæ legis.

Maior patet ex Caluino 4. *Inst. cap. 19. §. 5.* Et Kemnitio in 2. p. *Examinis*, pag. 279. Minor probatur quoad singulas partes. *Prima* est de promissione gratiæ, que colligitur ex illo Ioan. 14. v. 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus*, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et cap. 15. v. 26. *Cum venerit Paracletus*, quem ego mittam vobis à Patre, ille perhibebit testimonium de me, & vos testimonium perhibebitis. Et cap. 16. vers. 8. *Cum venerit ille*, arguet mundum de peccato, & de iudicio.

His locis promittit C H R I S T V S Apostolis Spiritum sanctum, qui faciat illos fortes & intrepidos in testificatione Veritatis Fidei, & qui det illis robur ad arguendam infidelitatem hominum, & testificandam Christi iustitiam, & annunciandum Principem huius mundi iam esse iudicatum. Eodem spectat illud Lucæ 24. vers. 49. *Ego mittam promissum Patris mei in vos*; vos autem sedete in civitate quo ad vsque induamini virtute ex alto. Et Actor. vers. 8. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus in vos*, & eritis mihi testes in Iudea & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Ex quibus

quibus patet promissam fuisse Apostolis ampliorem gratiam Spiritus sancti, quā fierent fortis in confessione fidei apud homines.

1. Dices: hæc promissio facta est solis Apostolis. Ergo nihil ad nos spectat. Resp. facta est Ecclesiæ toti & omnibus fidelibus baptizatis, ut patet partim Ioan. 14.v.13. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobis cum in eternum.* Partim ex illo Act. 2. v. 15. *Effundam spiritum meum super omnem carnem;* quem locum citat Petrus Apostolus ex Ioële, qui prædixerat fore ut Spiritus sanctus datur non Apostolis tantum, sed omnibus Christianis.

Secunda pars de signo sensibili & externo, quò nobis applicatur illa promissio, fundatur etiam in Scripturis, ex quibus constat Spiritum sanctum, qui à Christo promissus est, dari, seu applicari nobis per impositionem manus, & orationem, iuxta Act. 8.v.15. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum.* Et paulò post v. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.* Et cap. 19. v. 6. *Cum Paulus imposuisset illis manus, venit spiritus sanctus super eos.*

Dices: Spiritus sanctus, qui Apostolis promissus est, fuit illis datus sine impositione manus in die Pentecostes. 2. Act. v. 2. Resp. hoc factum est ex speciali priuilegio. Nam reliquis semper datus est per impositionem manus, ut patet ex locis citatis.

Dices secundo, vnde constat illud ipsum donum Spiritus sancti, quod Apostolis promissum est, datum fuisse aliis per impositionem manus? Resp. hoc constat primo, quia promissio fuit generalis, ut probauit. Secundo, quia Petrus Act. 2.v.14. & seqq. concionatur populo, & promittit fore si credant & baptizentur, ut accipient eundem Spiritum quem ipsi acceperant.

Tertia pars de mandato colligitur ex mandati executione. Apostoli enim quotiescumque volebant alicui baptizato conferre donum Spiritus sancti, semper id faciebant per impositionem manus. At non semper, & tam securè id fecissent, nisi à Christo habuissent mandatum. Confirmatur, quia si Apostoli sua sponte sine villa Christi institutione

tione & præcepto adhibuissent illam ceremoniam impositionis manuum, non semper & infallibiliter descendisset Spiritus sanctus super eos, quibus illi manus imponebant. Nam illa infallibilitas non potest fundari in sola humana voluntate & ordinatione, sed in diuina.

Ex dictis concludo Confirmationem esse verum Sacramentum, quia habet omnia ab Aduersariis requisita ad Sacramentum, videlicet promissionem gratiæ, signum sensibile, & mandatum Christi.

4 Prima Obiectio: Apostoli per impositionem manus non dederunt gratiam iustificantem, sed tantum gratias gratis datas, v. g. donum linguarum, aut miraculorum. At per Sacra menta confertur gratia iustificans. Ergo impositione manus non est Sacramentum. Respondeo. Per manus impositionem dederunt Apostoli non solum gratias gratis datas, ut patet *Act. 19. v. 6.* Sed etiam gratiam sanctificantem. Probatur primo, quia dederunt Spiritum sanctum, ut patet *ex loco citato.* At Spiritus sanctus non dicitur alicui dari, cui nihil aliud datur, quam gratiæ gratis datae, ut constat ex usu Scripturæ. Et ratio est, quia gratiæ gratis datae possunt esse in peccatoribus, ut *Matt. 7. v. 22.* At Spiritus sanctus non est in peccatoribus. *Sap. 1. v. 5.* Probatur secundo, ex effectu, quia Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum erant timidiissimi, *Mattb. 26. v. 56.* At postea gaudebant pro nomine Iesu contumeliam pati. Vnde hoc? Quia facti erant robustiores in confessione fidei, per gratiam acceptam in Pentecoste. At per solum donum linguarum & miraculorum non sit aliquis robustior in confessione fidei. Tertio probatur, quia id dabatur per manus impositionem, quod Christus antea promiserat Apostolis & omnibus fidelibus, *Ioan. 14. 15. 16.* Sed promiserat illis gratiam robortatem & confirmantem in testificatione fidei ac veritatis. Quarto, probatur, quia Spiritus sanctus per impositionem manus dabatur promiscuè omnibus, ut *Act. 8. v. 19.* At gratiæ gratis datae non dabantur omnibus, ut *1. Cor. 12. v. 39.* Nunquid omnes habent gratiam curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur?

5 Secunda Obiectio; Apostoli per impositionem manus dabant

dabant gratias gratis datas, ut iam concessum est. At hoc tempore non datur talis effectus per impositionem manus. Ergo hoc tempore non habemus eandem cum Apostolis impositionem; ac proinde non possumus nos tueri facto & exemplo Apostolorum. Respondeo. Duo dabantur per impositionem manus tempore Apostolorum. *Primo*, gratia sanctificans & corroborans in fide; & haec dabatur inuisibiliter. *Secundo*, gratiae gratis datae, & haec dabantur visibiliter. Prior effectus adhuc durat; posterior non item. Ratio differentiae est, quia initio nascentis Ecclesiae necessarium erat, ut homines per visibilia signa allicerentur & confirmarentur in fide: nunc id non esse necessarium. Hanc rationem affert S. Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 16. his verbis: *Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei & Ecclesiae primordia dilatanda, &c.* Et confirmatur à simili. Initio enim Ecclesiae, qui credebant in Christum, faciebant miracula, *Marc. 16. vers. 17.* nunc autem cessauit iste actus fidei. Similiter initio Ecclesiae puniebantur peccatores visibilibus poenit., ut patet de Anania & Saphira, *Act. 5. vers. 5.* de Elyma Mago, *Act. 13. vers. 11.* de indignè communicantibus, *1. Cor. 11. vers. 30.* hoc autem nunc non fit.

6. *Tertia Obiectio*: Apostoli conferebant Spiritum sanctum per impositionem manus sine unctione Chrismatis. At nos contrà facimus per unctionem Chrismatis sine impositione manus. Respondeo *primo*, falsum est nos id facere sine impositione manus. Nam ut patet ex Pontificali Romano, Episcopus bis imponit manum homini confirmando; semel, cùm super eum manus extendit & orat; & iterum, cùm signat eum in fronte & vngit. Ipsa enim unctione & signatio, cum manu fiat, recte dicitur manus impositio, ut Scholastici notant. Hoc patet exemplo Christi. Cùm enim *Marc. 7. vers. 32.* rogatus esset, ut homini surdo & muto imponeret manum; apprehendens eum misit digitos suos in auriculas eius, & tetigit linguam eius. Si ergo ad impositionem manus satis est tangere

222 C A P . X V . D E S A C R A M E N T I S
gere linguam & auriculas, cur non satis sit vngere & signa-
re ipsam frontem hominis?

Respondeo secundo, Apostoli præter impositionem ma-
nus ordinariè, adhibuerunt etiam vunctionem Chrismatis,
& formam verborum, seu partes essentiales huius Sacra-
menti. Ita D. Thomas art. 2. ad 1. & Thomas Valdens. tom.
2. de *Sacramentis*. cap. 113. vbi hoc probat testimonio Fabiani
Papæ & Martyris, afferentis Apostolos in cœna fuisse do-
ctos à Christo Chrisma confidere. Et Confirmatur ex Aug.
libro de fide & operibus, cap. 9. vbi tradit hanc regulam, quod
cum Scriptura affirmat aliquid factum esse, quod spectat
ad baptismum, debeamus intelligere, reliqua non fuisse
omissa, quæ ad eundem baptismum spectant. Cum ergo
Scriptura dicit, Apostolos dedisse Spiritum sanctum per
impositionem manus, intelligas adhibuisse quoque vunctionem
Chrismatis, & alia necessaria.

C A P V T X V .

De Eucharistia.

DI V V S Thomas disputat primo, de ipso Sacra-
mento Eucharistie secundum se. secundo, de
materia Eucharistie, nempè de pane & vino.
Tertio, de conuersione panis & vini in Corpus & Sangui-
inem Christi, siue, vt alij vocant, de transsubstantiatione.
Quarto, de modo quo Christus est in Sacramento. Quinto,
de accidentibus remanentibus. Sexto, de forma verborum
quibus fit conuersio panis & vini. Septimo, de effectu. Octa-
uo, de recipientibus. Nonno, de Ministro. Decimo, de ritu &
ceremoniis. Addam duos alias tractatus. Vnum de Com-
munione sub vtraque specie, alterum de sacrificio Missæ.

De Sacramento Eucharistie secundum se.

Primo dicam, in quo consistit hoc Sacramentum, secun-
dum Aduersarios. Secundo, in quo consistat secundum Ca-
tholicos. Tertio, quibus nominibus appelletur. Quarto, quan-
do à Christo fuerit institutum. Quinto, quomodo in vete-
ri Testamento præfiguratum. Sexto, an sit necessarium ad
salutem. Septimo, an sit vnum specie infima.

QVÆSTIO I.

In quo consistat hoc Sacramentum secundum Adversarios?

Duo generatim spectari possunt in hoc Sacramento. *Primo*, actiones transeuntes, ut acceptio panis in manus, benedictio, consecratio, fractio, distributio, sumptio, seu manducatio. *Secundo*, res permanentes, ut species panis & vini, Corpus & Sanguis Christi. Nunc quæstio est, in quo potissimum consistat hoc Sacramentum. Lutherani & Caluinistæ docent consistere in actione transeunte, & nominatim in sumptione, seu vsu. Hoc probant *primo*, ex analogia aliorum Sacramentorum. Omnia enim consistunt in vsu, non in aliqua re permanente. *Secondo*, ex mandato & institutione Christi, qui dixit: *Accipite, comedite, bibite.*

Primus Autor huius sententiæ fuit M. Bucerus, teste Ioan. Cochlæo libro 3. *Miscellan. tractat. 8.* Bucerus enim anno Domini 1536. persuasit Lutherò, Corpus Christi non esse in Eucharistia, nisi dum sumitur; ac proinde ipsam sumptionem propriè esse Sacramentum. Hanc sententiam ideo ex cogitauit, ut per eam conciliaret inter se Lutheranos, & Zuinglianos, qui extremè inter se dissidebant. Lutherani enim dicebant Corpus Christi realiter esse præsens in Eucharistia, negabant Zuingiani. Itaque Bucerus volens eos conciliare asseruit esse quidem præsens in sumptione, quod erat pro Lutheranis, non tamen extra sumptionem, quod erat pro Zuinglianis. Et quāmuis concordia non successe rit, tamen vtrique libenter amplexi sunt hanc Buceri sententiam, quod viderent per eam destrui posse multa Catholicorum dogmata. Si enim Christus non est præsens, nisi in ipsa sumptione, sequitur *primo*, Christum non adesse quando Hostia seruatur in pixide. *Secondo*, Hostiam in pixide seruatam, non esse adorandam. *Tertio*, nec ad ægrotos deferendam tanquam Sacramentum. *Quarto*, nec honorem ei deferendum in publica processione. *Quinto*, nec festo Corporis Christi honorandam. *Sexto*, nec prodeesse non sumentibus. *Septimo*, ac proinde frustra offerri pro defunctis.

Ex

Ex Lutheranis vide Philippum Melanch. in locis, tom. de Cœna Domini. Brent. in confess. VVittemb. cap. de Euchar. Matthiam Illyricum in apolog. Antwerp. cap. de Cœna Domini. Ex Zuinglianis vide Calvinum lib. 4. Inst. cap. 17. S. 37. & 32. & plures alios, de quibus suo loco.

2 Duo tamen notanda sunt. Vnum est, quod, quamvis Lutherani & Zuingiani consentiant Christum esse præsentem in sola sumptione, seu vsu; discrepant tamen in eo quò etiam antea discrepabant, quod Lutherani agnoscant realem Christi præsentiam; Zuingiani nonnisi spiritualem, vt infrà latius explicabitur. Alterum est, quod M. Kemnitius in 2. part. Exam. sess. 13. cap. 3. & 6. nonnihil discrepet ab aliis. Nam alij, vt iam dictum est, tunc solum volunt panem & vinum esse Sacramentum, dum comeditur & bibitur; sicut aqua baptismi tunc solum est Sacramentum, cùm abluit corpus. Vnde negant manere Sacramentum si deferatur ad ægrotos. At Kemnitius, vt eludat testimonia Patrum quæ a Catholicis adferuntur, docet in tota actione cœna manere Sacramentum & corpus Christi, id est, dum panis accipitur in manus, benedicitur, frangitur, distribuietur, sumitur; & etiam dum ex ipsa cœna immediatè deferatur ad ægrotos, vt illum comedant, non vt seruent.

3 Prima Conclusio: Sacramentum Eucharistiae non consistit in sola sumptione, seu in actione manducandi & bibendi. Ita D. Thom. quest. 74. art. 7. quest. 78. art. 1. ad 2. Ratio sumitur ex institutione Eucharistiae. Nam hæc verba Christi: *Hoc est Corpus meum*, prius dicta sunt, quam fieret actio manducandi. Ergo ante illam actionem fuit Corpus Christi præsens in cœna. Ergo Sacramentum Encharistiae fuit confectum. Consequentia probatur dupliciter. Primo, quia iuxta S. August. tract. 80. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Sed ante actionem comedendi accessit verbum ad elementum. Ergo ante actionem comedendi factum est Sacramentum. Secundo, quia verba Christi fuerunt vera, simul atque prolata sunt. Sed prolata sunt ante actionem comedendi. Ergo ante illam fuerunt vera. Ergo fuit ibi verè Corpus Christi; ac proinde verum Sacramentum.

Solutiones Aduersariorum sunt tres. Prima est est Illyrici negantis antecedens. Ait Christum non dixisse illa verba, *Hoc est Corpus meum*, ante actionem manducandi, sed inter manducandum. Et hoc videtur colligi ex illo Matth. 26.v.26. *Accipit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait : Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum.*

Hæc solutio non sufficit, quia in hac re non oportet spectare ordinem verborum, sed sensum & significationem. Nam Evangelistæ sèpè mutant ordinem verborum, & quod prius factum est, narrant posteriore loco, & vicissim. Hoc apertè patet ex illo Marc. 14. v. 13. *Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes*, & ait illis: *Hic est Sanguis meus noui Testamenti.* Vbi, si spectemus ordinem verborum, colligemus illa verba: *Hic est Sanguis meus*, dicta esse post actionem bibendi, quod nemo admittit, quia tunc nihil demonstraret pronomen **H I C**, & verba essent falsa. Vel certè oporteret post actionem bibendi remansisse aliquam particulam vini consecrati, & de ea dictum esse, hic est sanguis meus; quod apertè pugnaret cum sententia Aduersariorum. Non ergo ordo verborum, sed sensus spectandus est. Sensus autem cogit nos fateri prius fuisse à Christo prolata illa verba: *Hoc est Corpus meum*, quam porrèxit illis panem consecratum. Nam illa verba continent causam cur debuerit comedi ille panis. Vnde Matthæi 26. v.28. ponitur particula causalis, cum dicatur: *Hic est ENIM Sanguis meus.* Prius autem debuit illa causa à Christo explicari, & ab Apostolis percipi, quam illis daretur panis comedendus, aut vinum bibendum, nimirum, ut scirent quid acciperent.

Deinde, si inuitantur ad comedendum quia est corpus, & ad bibendum quia est sanguis. Ergo prius fuit Corpus, aut Sanguis, quam comedenterunt, aut biberunt. Confirmatur primo, ex Luc. 22. v. 20. & 1. Cor. 11. v. 25. *Hic Calix nouum Testamentum est in meo Sanguine.* Ergo in calice fuit Sanguis, & non tantum in ore sumentium: imo prius fuit in Calice quam in ore; quia ex Calice peruenit ad os, non contrà.

Secundo confirmatur ex hoc 1. Cor. 10. vers. 16. Panis quem

frangimus, nomine participatio corporis Domini est? & calix tui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Hic apertè indicat Apostolus, panem prius consecrari & mutari in corpus Domini, quam frangatur & distribuatur. Dicit enim, id quod frangitur, iam esse corpus Domini, non autem futurum esse corpus Domini. Eodem modo loquitur de sanguine. Vnde Chrysostomus *ibidem* ait: *Quid est in calice? quod ex latere Christi fluxit.*

Tertio confirmatur ex omnibus liturgiis, etiam antiquissimis, Iacobi, Basiliij, Chrysostomi, & ex nostra Latina, vbi illa verba: *Hoc est Corpus meum*, multò antè pronunciantur, quam panis sanctificatus distribuatur & manducetur.

Quarto confirmatur ex ipso facto Aduersariorum, qui prius recitant verba ex Euangelio, vel Apostolo, & postea distribuunt panem manducandum. Vel ergo putant Christum fieri præsentem vi verborum, vel vi sumptionis. Si vi verborum. Ergo iam præsens est ante sumptionem. Si vi sumptionis, iam in omni sumptione erit præsens Christus, quod est absurdum.

Dices: Christum adesse vi verborum & sumptionis simul. Sed contrà, quia tunc verba falsa essent, cùm pronunciantur ante sumptionem: aut si vera sunt, iam est præsens Christus ante susceptionem. Hæc omnia procedunt contra Illyricum & Lutheranos, qui fatentur, Christum realiter esse præsentem in Eucharistia.

Solutio secunda est Caluini negantis primam consequentiam. Ait illa verba: *Hoc est Corpus meum*, tametsi proposita sint ante manducationem, non tamen impleta & verificata esse, nisi in ipsa manducaione. Ratio ipsius est, quia cùm aliquid promittitur sub conditione præcepti, tunc non impletur promissio, nisi præceptum impleatur. Atqui Christus simul coniunxit promissionem & præceptum. Promissio fuit: *Hoc est Corpus meum*: præceptum fuit: *Accipite & comedite*. Ergo promissio non fuit impleta, nisi cùm præceptum impleretur. Ergo Corpus Christi non fuit præsens, nisi cum Apostoli acciperent & comederent panem. Hoc confirmat à simili ita: *Mandatum dedit Deus, cùm diceret, inuoca me: promissionem addidit: Exaudi jam te*. Si quis

quis inuocato Petro, aut Paulo, aut Agnete, hac promissio-
ne glorietur, noue omnes clamabunt eum perperam fa-
cere?

Hæc solutio facilè refellitur. *Primo*, quia si illa verba:
Hoc est Corpus meum, continerent promissionem, deberent
exprimi per verbum futuri temporis, sicut fit in aliis pro-
missionibus. Sic enim de baptismo legimus: *Qui crediderit
& baptizatus fuerit, saluus erit.* Et in exemplo Caluini: *In-
uoca me, & exaudiam te.* At Christus non dixit: *Hoc erit
Corpus meum*, sed potius: *Hoc est Corpus meum.* Ergo verba
Christi non continent promissionem.

Secundo refutatur, quia Corpus Christi secundūm Cal-
uinum non est præsens realiter, sed duobus aliis modis,
nempe Sacramentaliter & Spiritualiter. At vtroque modo
secundūm Caluinum est præsens ante sumptionem. Et qui-
dem Sacramentaliter præsens est, quando pronunciantur
illa verba: *Hoc est Corpus meum*, id est, interprete Caluino:
Hic panis significat Corpus meum. Spiritualiter autem
præsens est per fidem altantium. Altantes autem excitant
in se fidem, quando recitantur verba Christi, vel ex Apo-
stolo, quod fit ante sumptionem.

Tertio refellitur, quia antiqui Patres docent, corpus Christi
esse in altari & in manibus antequam manducetur. Op-
tatus Mileu. lib. 6. contra Parmenianum, vocat altare sedem
Corporis Christi, & similiter calices vocat portatores san-
guinis Christi. Chrysost. homilia 24. in priorem ad Corinth. di-
cit eundem Christum nunc in altari consistere, qui ali-
quando in præsepi à Magis fuit adoratus. Augustinus con-
cione prima in Psal. 33. dicit, Christum portasse Corpus suum
in manibus, quando de eo, quod in manibus habebat, dixit:
Hoc est Corpus meum; Idem repetit in secunda concione.

Sive autem portauerit corpus suum verum & naturale,
vt nos credimus; sive in Sacramento tantum, vt Caluin-
istæ volunt, nihil interest ad id quod nunc tractamus. Sem-
per enim concludimus Sacramentum ante manducatio-
nem fuisse confectum; ac proinde falsum est illud Caluini,
scilicet verba illa: *Hoc est Corpus meum*, non verificari & im-
pleri, nisi dum panis manducatur.

Solutio tertia est Kemnitij, qui videns non posse vlo modo defendi, quod alij ante illum dixerant, Sacramentum hoc in sola sumptione consistere, conatus alio modo euadere. Ait ergo; dictum illud Lutheranorum: Sacramentum hoc in solo vsu consistere: non debere restringi ad solum vsum manducationis; sed ad omnem vsum, seu actionem quæ exercetur in cœna. Dixit autem fuisse quinque actiones in cœna: acceptiōnem panis in manus, benedictiōnem, fractionem, distributionem, manducatiōnem; & de his omnibus intelligi posse illud: *Hoc est corpus meum*; vt sensus sit: Hoc, quod accepi, quod benedixi, quod fregi, quod distribui, quod manducatis, est Corpus meum.

Hinc infert Kemnitius, Sacramentum Eucharistiae & Corpus Christi fuisse in mensa ante manducationem, non tamen ante omnem actionem cœnae; nec superesse post omnem actionem cœnae; & eo sensu in sola actione consistere.

Hæc solutio refellitur per sequentem conclusionem.

7 Secunda Conclusio: Sacramentum Eucharistiae non consistit in omnibus actionibus quæ in cœna peraguntur, vt vult Kemnitius. Ratio, quia dupliciter intelligi id potest: Primo, vt consistat in omnibus actionibus simul sumptis. Secundo, vt in singulis seorsim. Neutrum dici potest. Non primum, quia si consisteret in omnibus actionibus simul sumptis, iam non esset perfectum & integrum Sacramentum, nisi accedente manducatione; quod est contra Kemnitium fatentem, Corpus Christi esse in mensa ante manducationem, vt ex dictis patet. Nec secundum, quia si consisteret in singulis seorsim, iam essent quinque Sacra menta Eucharistiae, quod est inauditum. Deinde quæram ex Kemnitio, an velit hoc Sacramentum esse formaliter quamlibet illarum actionum, an vero tantum coexistere singulis? Non potest esse formaliter quamlibet illarum, vt patet inductione. Nam acceptio panis, quæ est omnium prima, non potest esse formaliter Eucharistiae Sacramentum. Quod enim formaliter est acceptio, non existit, nisi dum accipitur. At hoc Sacramentum existit post acceptiōnem, dum
frangi

frangitur, distribuitur, manducatur. Similiter actio manducandi, quæ est ultima, non potest formaliter esse hoc Sacramentum, quia tunc non existeret, nisi dum manducatur. Existit autem ante manductionem, dum accipitur, frangitur, distribuitur. Denique actiones mediæ, scilicet benedictio, fractio, distributio, non possunt esse formaliter hoc Sacramentum, quia tunc non existeret, nisi dum illæ actiones sunt. Atqui existit ante illas. Ergo non est aliqua illarum, sed tantum coexistit illis. Ergo est res permanens. Confirmatur Conclusio, quia Sacramentum Eucharistie & præsentia corporis Christi durat toto tempore quo sit sacra coena iuxta Kemnitium. Sed inter unam actionem coenæ & aliam sœpè intercedit aliquid temporis. Vel ergo illo tempore interiecto Sacramentum & Corpus Christi persevererat, vel non. Si persevererat, iam est res permanens, quod est contra Kemnitium. Si non persevererat, iam non toto tempore coenæ præsens est Sacramentum, quod etiam contra eum est. Deinde oportet corpus Christi toto illo coenæ tempore sœpius accedere & recedere; quod sine fundamento asseritur.

8 Tertia Conclusio: Sacramentum Eucharistie est res aliqua permanens, & seruari potest in pixide, & ad ægrotos deportari. Prima pars patet ex dictis, quia si non est actio transiens, necessario debet esse res permanens. Confirmatur ex Patribus, qui nunquam vocant hoc Sacramentum fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manductionem; sed panem sanctificatum, escam spiritualem, cibum animæ, viaticum peregrinationis.

Secunda pars de asseruatione & deportatione probatur testimoniosis sanctorum Patrum. Clemens Romanus lib. 8. constit. cap. 13. iubet peracta communione, quod supereft de corpore Christi reponi à Diaconis cum debita reverentia in Tabernaculo. Iustinus in apologia 2. scribit: Post sacra peracta in Ecclesia, Diaconos solitos esse deferre Eucharistiam ad absentes fratres. Irenæus in epistola ad Victorem Papam, testatur fuisse consuetudinem illius temporis, ut Papa mitteret Eucharistiam ad alios Episcopos in signum

pacis & communicationis. Tertull. lib. 2. ad uxorem, testatur Christianos suo tempore solere Eucharistiam deferre ad suas domos, ut ibi eam opportuno tempore sumerent. Concil. Nicenum I. can. 14. iubet, ut in absentia Presbyterorum Diaconi porrigan Eucharist. Nazianzenus in oratione, de obitu Gorgoniae sororis, testatur, sanctam illam foemina nam nocturno tempore in Eccl. ad altare procubuisse & Christum in Eucharistia adorasse. Ambr. in orat. de obitu Satyri fratribus sui c. 7. scribit eum particulam Eucharistiae suspensisse ad collum in periculo naufragij, & sic saluum euassisse. Hier. in epist. ad Rusticum, refert S. Exuperium Tolosae Episcopum in canistro vimineo Christi Corpus portasse. Chrysostomus in epistola priore ad Innocentium Papam, inquit, quosdam milites die Sabbathi sancto sanctuarium ingressos excitasse tantum tumultum, ut sanguis Christi, qui ibi seruabatur, in eorum vestes effunderetur. Cyrillus in epistola ad Gallosyrium, dicit eos insanire, qui asserunt Eucharistiam, si in alterum diem seruetur, vim suam amittere. Similia passim leguntur apud posteriores Patres.

9 Tres solutiones adhibent Aduersarij ad hæc Patrum testimonia, Prima est Caluini 4. Institution. cap. 17. §. 39. vbi sic ait: Sed enim, qui sic faciunt, babent veteris Ecclesiæ exemplum? Fateor. Verum in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam ipsam veritatem sequi. Hæc solutio pro nobis est. Primo, quia fatetur nos habere exemplum veteris Ecclesiæ, quod Calvinistæ non habent. Secundo, quia dicit tutius esse veritatem sequi. At veritas potius querenda est apud antiquos PP. quam Nouatores.

10 Secunda solutio est Petri Martyris in libro contra Chartinæum, obiecto 88. vbi reprehendit antiquos Patres, & inter cæteros nominatim carpit Ambrosium, de quo hæc dicit: Primo fabulam esse, quam narrat de Satyro. Secundo excusari non posse, quod factum Satyri laudauerit. Tertio ex illo facto refutari nostram superstitionem. Tunc enim Eucharistia permittebatur omnibus Catechumenis, qualis erat Satyrus: nunc autem sub clauibus asseruatur. Quarto, Satyrum commisisse idolatriam eò quod spem suam in Eucharistia posuerit: Deum tamen voluisse Reliquias illas

Eucha

Eucharistiae ornare miraculo, sicut olim ornauit ossa Elisei & pallium Eliæ. *Quinto*, Satyrum forte aliunde suffuratum illam particulam Eucharistiae. *Sexto*, particulam illam non fuisse Sacramentum.

Hæc solutio refellitur quoad singula puncta. *Primo*, Ambrosius fatetur se historiam narrare, non fabulam. *Secundo*, malim cum Ambroſio laudare factum Satyri, quam cum apostata reprehendere. *Tertio*, Eucharistia nunc asseruatur sub clauibus propter hæreticos, ne illam ignominia afficiant. *Quarto*, Deus non solet idolatriam miraculo confirmare. *Quinto*, Satyrus non est furatus particulam illam Eucharistiae, sed accepit à Christianis qui erant in naui, ut ait Ambr. *Sexto*, Idem Ambrosius vocat Sacramentum.

ii *Tertia* solutio est Kemnitij, qui dicit. *Primo*, posse antiquis Patribus ignosci eò quod errauerint ex simplicitate. *Secundo*, non defuisse alios Patres qui contrarium sentirent; ac proinde non fuisse vniuersalem consuetudinem asseruandi Eucharistiam. *Tertio*, consuetudinem, quæ alicubi fuerat postea fuisse abrogatam in Concil. Toletano & Cæſar-Augustano. *Quarto*, Veteres, qui Eucharistiam asserabant, sine superstitione id fecisse, quia asserabant illam, ut manducaretur; nunc autem à Catholicis asseruari superstitiosè, quia non ad manductionem, sed ad pompam, generationem, adorationem, & alios similes fines à Christi institutione alienos, asseruatur.

Hæc solutio refellitur, quoad singula puncta. *Primo*, negamus Patres illos errauisse. *Secundo*, alios contrarium non sensisse, ut patebit infra in obiectionibus. *Tertio*, negamus consuetudinem asseruandi Eucharistiam fuisse postea abrogatam. Nam Concil. Tolet. i. can. 14. Et Cæſar-August. can. 3. non prohibent in Ecclesia asseruari Eucharistiam; sed volunt ut Christiani communicent in Eccles. & non secum asportent Eucharist. in domos suas. Ratio huius prohibitonis redditur in Concil. Lateran. sub Innoc. III. c. 20. ne vide licet aliqui abutantur Euch. ad beneficia. *Quarto*, negamus alio fine nos asseruare Eucharistiam, quam veteres fecerint. Nam primarius finis est manducatio. Seruatur enim potissimum ob viaticum infirmorum. Interim autem, dum non

232 CAP. XV. DE SACRAMENTIS
consumitur, nihil obstat quò minus alias vtilitates ex ea ca-
piamus. Vide Aug. 22. *Ciuit. cap. 8.*

12 Prima Obiectio. Sacra menta pendent à Diuina Insti-
tutione, ita vt Sacra menta non sint, si in illis conficiendis
non seruetur Diuina Institutio. At Christus iussit panem
benedici, frangi, distribui; manducari; non autem iussit ser-
uari in pixide, gestari in supplicatione, adorari in Ecclesia.
Ergo non est Sacra mentum cùm seruatur in pixide, gesta-
tur, adoratur; sed solum cùm benedicitur, frangitur, distri-
buitur, manducatur.

Resp. Negatur consequentia, quia asseruatio, gestatio, &
adoratio non repugnant Diuinæ Institutioni. Christus
enim, tametsi iussit panem benedici & manducari; non ta-
men iussit statim manducari post benedictionem. Vnde
dilatio manducationis non repugnat institutioni. Idem est
de adoratione & gestatione.

13 Secunda Obiectio. Sacra mentum baptisimi consistit in
actione. Ergo etiam Sacra mentum Eucharistiae: con sequen-
tia probatur *Primo*, quia ista Sacra menta sunt eiusdem
generis. *Secundo*, quia sicut Christus dixit: *Baptizate omnes
gentes*: ita etiam dixit: *Accipite & manducate*. Utroque
enim utitur verbo significante actionem.

Resp. licet Sacra menta nouæ legis sint eiusdem generis,
non tamen eiusdem speciei. Porrò illa verba: *accipite, man-
ducate*, significant usum Sacra menti, non essentiam. Quod
autem illud *Baptizate* significet usum & essentiam simul,
hoc est per accidens; quia scilicet usus & essentia non di-
stinguitur in baptismo.

14 Tertia Obiectio. Clemens Romanus *Epistol. 2.* ipibet
vt tot ponantur hostiæ in altari, quod populo sufficient:
Si quid autem superfit post communionem, non seruetur
in crastinum, sed à clericis absuntur. Resp. hoc debet in-
telligi exceptis iis hostiis, quæ seruandæ erant pro com-
munione infirmorum. Voluit enim Clemens, vt pro quo-
tidiano usu non nimis multæ hostiæ consecrarentur, sed
seruata proportione communicantium. Quod autem præ-
ter has voluerit alias asseruari pro infirmis, patet. *Primo*,
ex eadem Epistola, ubi expresse mandat, vt Reliquæ
fragmen

fragmentorum Corporis Christi custodiantur in Sacrario, & a putredine conseruentur. *Secundo*, quia lib. 8. *Constit. c. 13.* iubet, peracta communione, si quid supersit Corporis Dominici, à Diaconis in tabernaculum inferri, ut supra etiam citauimus.

15 Quarta Obiectio. Origenes *bom. 5. in cap. 7. Leuitici*, sic ait: *Dominus panem, quem discipulus dabant, non distulit, nec differri iussit in crastinum.* Resp. Non vult ibi probare non posse Eucharistiam asseruari, sed conatur ostendere nouum & spirituale sacrificium laudis magis placere Deo, quam vetus & Iudaicum. Hoc autem ostendit *primo* exemplo Christi, qui Eucharistiam à se consecratam continuò manducandam dedit. *Secundo*, ex Euangelio, ubi Christus prohibet portari panem in via. *Tertio* ex Iosue libro, ubi Gabaonitæ reprehenduntur, quod panes veteres attulissent. Sicut ergo mens Origenis non est, quod non liceat portare panem in via, aut comedere panem veterem: sic etiam mens eius non est quod non liceat asseruare Eucharistiam: solum vtitur illis exemplis, quatenus aliquo modo propositum illius adiuuant.

16 Quinta Obiectio. Isychius 2. *in Lenit. cap. 8.* dicit morem esse Ecclesiæ comburendi id quod superest ex Sacramento Eucharistiae. Resp. Isychius addit non prohiberi asseruationem Sacramenti per unum vel plures dies; sed comburi debere id, quod vel propter temporis diuturnitatem, vel aliam causam per manducationem consumi non non potest. Quod etiam expressit Concilium Aurelianense, teste Iuone p. 2. *decreti illius.*

17 Secunda Obiectio. Nicephorus *libro 17. Hist. cap. 25.* refert morem fuisse in Ecclesia Græca, ut Reliquiæ Eucharistiæ darentur pueris innocentibus manducandæ. Respond. loquitur de Reliquiis quæ supererant ex quotidiana communione, non autem de aliis quæ pro ægrotis seruabantur.

18 Sexta Obiectio. Hombertus, *lib. contra Nicet.* reprehendit morem Græcorum, quod in quadragesima vterentur quotidie praefanicatis, excepto Sabbatho & Dominica. Respond. non reprehendit illos, quod Sacramen-

tum asseruarent, sed quod sacrificium Missæ celebrarent ex Sacramento præsanctificato. Non enim est verum sacrificium, nisi panis consecretur & consumatur.

19 Ultima Obiectio. Gabriel Biel *Letitione 36. in Canonem Missæ*, sic ait: *postquam Corpus suum consecravit, non dedit discipulis, ut ipsum honorifice conseruarent, sed dedit in sui usum dicens: accipite, manducate.* Resp. Gabriel ibi disputat de primario fructu, & usu Eucharistæ, qui est manducatio, & docet plus prodeesse Eucharistiam, quando re ipsa manducatur, quam dum in pixide conseruatur. Interim non negat Eucharistiam conseruari posse: imò expressè hoc asserit, tum *in loca cit. tum in trib. sermonibus, quos habuit de festo corporis Christi.*

Q V A E S T I O II.

In quo consistat hoc Sacramentum secundum Catholicos?

1 Atholici docent consistere in re aliqua permanente. At quæstio est, *Primo* an consistat in solis speciebus panis & vini, ut putant Marsilius & Dom. Sotus: an in solo corpore & sanguine Christi, ut VValdensis: an in utrisque simul, ut plerique alij sentiunt. *Secundo*, An consecratio seu forma verborum consecrationis pertineat aliquo modo ad illius essentiam. Affirmat Marsilius. *Tertio*, An etiam sumptio sit pars illius vel essentialis vel integralis, affirmat Aureolus. Sunt tamen qui putent sumptionem esse Sacramentum distinctum ab Eucharistia, ut Gabriel.

2 Prima Conclusio. Solæ species pani & vini non habent integrum rationem Sacramenti. Probatur, quia multa conueniunt huic Sacramento, quæ solis speciebus non conueniunt. *Primo* est cibus animæ. *Secundo* adoratur cultu ~~adargias~~. *Tertio* excellit aliis Sacrementis. *Quarto* conficitur illis Christi verbis: *hoc est Corpus meum*. Nihil horum conuenit solis speciebus, quia sunt accidentia, &c.

Dices: D. Th. art. 9. & alij passim distinguunt hæc tria in Eucharistia, videlicet Sacramentum tantum, rem tantum, rem & Sacramentum simul. Et dicunt species panis & vini

& vini esse Sacramentum tantum, gratiam sanctificantem esse rem tantum: Corpus Christi esse rem & Sacramentum simul. Ergo secundum illos solae species sunt Sacramentum. Resp. species quatenus continent Corpus Christi, sunt Sacramentum. Sicut in Sacramento Poenitentiae confessio, quatenus est coniuncta cum interna contritione, est Sacramentum. Quod autem D. Thom. & alij dicunt species esse Sacramentum nulla facta mentione Corporis, hoc ideo est, quia solae species sunt per se signum sensibile, ac proinde Sacramentum; Corpus autem non est sensibile nisi per species.

terco eam 3 Secunda Conclusio. Solum Corpus & sanguis Christi, sine ordine ad species non habent integrum rationem Sacramenti. Probatur, quia Sacramentum essentialiter est signum sensibile. At Christi Corpus non est sensibile nisi per species. Ergo sine speciebus non est Sacramentum. Idem dicitur de contritione, quæ non est sensibilis nisi per externam confessionem, ac proinde non pertinet ad Sacramentum Poenitentiae, nisi quatenus per externam confessionem manifestatur.

Dices: Patres solent hoc Sacramentum vocare Corpus & sanguinem Christi. Respond. sic vocant à principaliori parte.

etiam 4 Tertia Conclusio. Hoc Sacramentum essentialiter compositum est ex speciebus & Corpore Christi. Probatur, quia est aliquid permanens, ut supra dixi; & non est solum Corpus Christi, neque solae species, ut iam ostendi. Ergo ex utrisque componitur.

Dices: Si totum illud compositum esset Sacramentum, iam totum esset proxima & immediata causa gratiae, quod videtur falsum, quia Corpus Christi non est proxima causa gratiae, sed tantum remota & universalis, sicut in aliis Sacramentis. Christus enim est prima & universalis causa meritoria, concurrens cum omnibus Sacramentis. Resp. Christus tripliciter concurrit ad productionem gratiae in hoc Sacramento Eucharistiae. Primo, tanquam causa principalis physica, quod facit per Divinitatem. Secundo, tanquam causa principalis meritoria; quod facit per voluntatem.

tatem humanam. *Tertio*, tanquam causa instrumentalis, quod facit per Corpus & sanguinem contenta sub speciebus sensibilibus. Priores modi sunt communes omnibus Sacramentis; tertius est proprius Eucharistie.

5. Quarta Conclusio. Licet hoc Sacramentum sit compositum ex speciebus & Corpore Christi; tamen aliquid præcipue ei conuenit ratione specierum, & aliquid ratione Corporis Christi. Vnde sunt nomina quædam potissimum sumpta à speciebus, ut est nomen Sacramenti: quædam à Corpore Christi, ut panis vitæ, cibus animæ: quædam ab utroque, ut cum dicimus: Sanctissimum Sacramentum. Hinc patet hoc Sacramentum dupliciter spectari. *Primo*, quoad rationem signi sensibilis, & sic principalius constituitur per species. *Secundo*, quoad nobilitatem & efficaciam, & sic principalius constituitur per Corpus Christi.

meo lus

6. Quinta Conclusio. Consecratio non est de essentia huius Sacramenti. Probatnr, quia consecratio dupliciter sumi potest. *Primo* pro forma, seu prolatione verborum, quibus hoc Sacramentum conficitur. *Secundo* pro illa mirabili actione, qua panis conuertitur in Corpus Christi, quam scholastici Transubstantiationem vocant. At neutro modo pertinet ad essentiam huius Sacramenti. Non *primo*, quia hoc Sacramentum effectiū conficitur per verba consecrationis, ut passim docent Theologi, & definiuit Concil. Florentinum his verbis: *Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertitur.*

Ex quo testimonio patet prolationem verborum esse instrumentum actuum respectu conuersionis, qua panis mutatur in Corpus Christi. Nam illa conuersio immediate fit tum à Deo tanquam agente principali, tum à prolatione verborum tanquam instrumento morali. Si ergo prolatione verborum efficit hoc Sacramentum, non potest esse illius pars essentialis.

Sed neque illa conuersio, quæ fit per prolationem verborum est Sacramentum, quia est ipsamē actio, qua fit Sacra

Sacramentum. Deinde non est res permanens, sed transiens: Eucharistia autem est aliquid permanens.

Dices: Concil. Florentinum dicit omnia Sacra-
menta constare rebus & verbis, seu materia & forma. Sed in hoc
Sacramento non sunt alia verba, quam quibus fit conse-
cratio. Ergo hoc Sacramentum constat ex illis verbis tan-
quam ex forma. Resp. Concilium non dicit omnia Sacra-
menta constare ex materia & forma, sed omnia tribus per-
fici, materia, forma & ministro. Vnde solùm sequitur tria
esse necessaria ad Sacramentum conficiendum, licet non
sint essentialia.

7 Sexta Conclusio. Sumptio nec est pars Sacramenti Eu-
charistiae, nec est Sacramentum ab Eucharistia distinctum.
Prima pars probatur. Primo, quia Sacramentum Euchari-
stiae conficitur per consecrationem. Consecratio autem fit
ante sumptionem. Secundo, quia Sacramentum Euchari-
stiae à solo Presbytero integrè conficitur: Sumptio autem
potest fieri ab aliis. *Secunda pars probatur,* quia sumptio
non habet effectum distinctum ab Eucharistia. Ergo non
est distinctum ab ea Sacramentum. Secundo, nec habet
propriam verborum formam.

8 Quæres: Quomodo E. se habet ad Eucharistiam? Resp.
est applicatio Sacramenti Eucharistiae ut operari possit.

Ex dictis colligitur hæc definitio: Sacramentum Euchari-
stiae est species consecratæ Corpus & sanguinem Christi
continentes. Vel: est Corpus & sanguis Christi ut conten-
ta sub speciebus consecratis. Vel: est cibus Spiritualis ex
Corpore & sanguine Christi, & speciebus constans.

Q V A E S T I O III.

Quibus nominibus appelletur hoc Sacramentum?

DIUS Thom. art. 4. supponit hoc Sacramentum tria
significare. Primo præteritam Christi Passionem. Se-
condo, præsentem Gratiam & unionem cum capite & mem-
bris. Tertio, futuram Gloriam; itaque fortiri varia nomina,
iuxta hanc triplicem significationem. Ac primo, quatenus
significat præteritam Christi Passionem, vocari facri-
ficium

278 CAP. XV. DE SACRAMENTIS
ficiam seu Hostiam. Secundo, quatenus significat præsentem Unionem, vocari communionem. Tertio, quatenus præparat nos ad futuram gloriam, vocari Viaticum, Eucharistiam, Assumptionem seu Metalepsin. Hæc D. Thomas.

2 Prima Conclusio. Eucharistia sortitur duplē rationē, alteram Sacramenti, alteram sacrificij. Vnde etiam habet duplia nomina. Quædam conueniunt illi quatenus est Sacramentum, de quibus hic agimus: Quædam, quatenus est sacrificium, de quibus infra loco.

3 Secunda Conclusio. Quatenus Sacramentum est, conueniunt illi hæc nomina. Primo, Eucharistia, id est, bona Gratia. Secundo, Panis vitæ. Tertio, Panis de coelo descendens. Quarto, Cibus animæ. Quinto, Esca Spiritualis. Sexto, Conuiuum Dominicum. Septimo, Coena Dominicana. Octavo, Corpus & Sanguis Domini. Nonno, Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. Decimo, Viaticum. Undecimo, Communio seu iugularia. Duodecimo, ~~coenatio~~.

4 Tertia Conclusio. Lutherani & Caluinistæ repudiato nomine Eucharistie passim appellant Coenam Dominicam; & sic vocari contendunt ab Apostolo, 1. Corinth. 11. vers. 20. cùm ait: Conuenientibus vobis in unum, iam non est Dominicam coenam manducare. Addunt antiquos Patres consentire. Hinc colligunt Sacramentum hoc consistere in vsu, id est, in coenando. Hæc paucis examinanda.

Quod ad primum attinet, multi etiam è Catholicis negant Apostolum per Coenam Dominicam intelligere Eucharistiam, ut Claud. Sainctes, *repl. tit. 6. cap. 1.* Maldonatus in *cap. 25. Matthæi, vers. 26.* & Lorinus in *Acta Apostolorum, cap. 2. vers. 46.*

5 Nota primo in ultima coena factas esse tres comediones, seu Coenas. Prima est, ceremonialis seu legalis, quæ erat Agni Paschalis. Secunda, communis & visitata. Tertia, Sacramentalis seu Eucharistica. Prima nusquam fortasse in scripturis vocatur Coena. Secunda vocatur Coena, *Luc. 22. v. 20. & Ioan. 13. v. 2. & 1. Cor. 11. v. 25.* De tertia manet controuersia.

6 Nota secundo, nouos Christianos in primitua Ecclesia imitatos esse Christum in secunda & tertia comedione,

non

non autem in prima, quia iam Agnus Paschalis cùm cæteris ceremoniis Mosaïcis erat abrogatus. An autem priùs sumperint communem cibum & potum, & postea Eucharistiam ; an verò econtrariò, non satis constat. Multi scribunt priùs sumptissime communem cibum. Maldonatus & Lorinus putant Eucharistiam præcessisse. Idem docet S. Chrysostomus in cap. 11. ad Corinth. vt refert Baronius *tom. 1. Annal. circa annum Christi 57.*

7 Nota tertio, communem illam Cœnam, seu commune prandium, quod sumebant Christiani vel ante, vel post Eucharistiam, habuisse duo nomina. Primo vocabatur *agam*, id est, dilectio, vt colligitur ex Tertulliano in *Apologet. c. 39.* quia scilicet diuites Christiani solebant illud exhibere pauperibus ad ostensionem mutuae charitatis, vt notat Baronius & Lorinus *locis citatis.* Secundo vocabatur Cœna Dominica, quia fiebat ad imitationem Christi Domini, qui antequam ex hoc mundo discederet, voluit priùs cœnare cum discipulis suis ad demonstrandam singularem in illos charitatem.

8 Nota quarto non solum Eucharistiam, sed etiam Cœnam illam communem, quæ dabatur pauperibus, solitam exhiberi publicè in Ecclesia, ad quam omnes conueniebant, vt patet ex Baron. *in loco citato.*

9 His positis quæstio est, quid intelligat Apostolus per cœnam Dominicam, cùm ait: *Conuenientibus vobis in unum, iam non est Dominicam Cœnam manducare?* Lutherani, Calvinistæ, & aliqui Catholici putant illum loqui de Eucharistia : & alij de Cœna communi, quam diuites exhibebant pauperibus ad imitationem Christi Domini. Ratio est, quia Apostolus reprehendit Corinthios, quod non rectè obseruent illam Cœnam, sicut fuit prius instituta. Erat enim instituta pro pauperibus ad ostensionem mutuae charitatis, & ad imitationem Christi Domini. At Corinthij, præser-tim ditiores, quisque pro se lautè bibebant & comedebant in Ecclesia non expectatis pauperibus ; atque ita fiebat vt pauperes esurirent, & diuites ebrij essent. Hoc ergo reprehendit Apostolus inquiens : *Conuenientibus vobis in unum iam non est Dominicam Cœnam manducare. Vnusquisque enim*

etiam suam Cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est: quasi dicat: quando venitis ad templum non habetis communem mensam, sicut Christus habebat cum Apostolis: sed quisque pro se epulatur, & pauperes nihil accipiunt. Vnde colligitur Apostolum per Cœnam Dominicam non intelligere Eucharistiam, sed communem Cœnam ad Christi Domini imitationem institutam.

Confirmatur *primo*, quia loquitur de illa Cœna, in qua aliqui inebriabantur, alij esuriebant, ut patet ex verbis citatis. Hoc autem non siebat in perceptione Eucharistiae. *Secundo* loquitur de illa Cœna quam quisque domi poterat sumere, ut constat ex his verbis seqq. *minquid domos non habent ad manducandum?* aut *Ecclesiam Dei contemnit?* At Lutherani & Calvinistæ contendunt non licuisse domi sumere Eucharistiam. *Tertio* confirmatur, quia loquitur de illa Coena, quam sibi pauperes parare non poterant; ut patet ex his verbis: *Aut confunditis eos, qui non habent?* At Eucharistiam facile poterant habere, quia non opus erat, nisi bucella aliqua panis.

10 Quod ad secundum attinet, fateor quosdam Patres Eucharistiam vocare Cœnam Dominicam, sed alio sensu quam aduersarij faciant. Non enim sic appellant quasi hoc Sacramentum consistat in solo vñu; quod nunquam venit Patribus in mentem; sed quia tempore Cœnæ à Christo institutum est.

Q V A E S T I O I V .

Quando hoc Sacramentum institutum sit à Christo?

I Certum est, quod docet D. Thom. art. 5. institutum esse in ultima Cœna, pridie quam pateretur Christus. At dubium est an conuenienter ita factum sit. Et *primo* queri potest; quare non sit institutum ante ipsam Incarnationem. Tunc enim non minus indigebant homines cibo spirituali, quam postea. *Secundo*, quare non post Passionem Christi. Cum enim significet præteritam Christi Passionem, ut ex D. Thom. art. 4. dixi, non potuit conuenien-

uenienter institui ante Passionem, quia tunc falsum significaret.

2. Prima Conclusio. Hoc Sacramentum non debuit institui ante Incarnationem. Ita S.Thom. art. 5. ad 2. Ratio eius est, quia continet ipsum Christum passum. Hæc ratio duplicit explicari potest. *Primo* ex parte præsentie Christi hoc modo: Eucharistia continet Christum realiter præsentem. Sed ante Incarnationem non erat realiter præsens. Ergo ante Incarnationem non potuit institui Eucharistia, alioqui Christus fuisset realiter præsens antequam esset conceptus, quod videtur absurdum.

Hæc tamen ratio non conuincit ex parte solius præsentie. Potuisset enim Humanitas Christi esse præsens Sacramentaliter sub speciebus panis & vini, antequam esset præsens naturaliter per Natiuitatem ex Vtero Materno. Hoc enim non implicat contradictionem, ut infra cap. 17. patebit.

Dixi: ex parte solius præsentie, quia, si simul consideremus formam qua Christus instituit hoc Sacramentum, & in eo præsentem se constituit; sic non potuit esse ante Incarnationem. Hæc enim est forma: *Hoc est corpus meum.* Atqui hæc verba supponunt Christum iam præsentem, & existentem ante Sacramentalem præsentiam eiusdem. *Secundo*, potest explicari ratio Diui Thomæ ex parte Passionis Christi hoc modo. Eucharistia est signum præteritæ Passionis Christi. Ergo non potuit institui ante Incarnationem. De hac ratione dicam in sequenti conclusione.

3. Secunda Conclusio. Hoc Sacramentum non debuit institui post Passionem Christi. *Primo*, quia Christus suis Discipulis, & aliis fidelibus, quasi testamento legauit suum corpus & sanguinem, Lucæ 22. vers. 20. Testamenta autem solent fieri ante mortem testatoris. *Secondo*, quia si institutio, & oblatio sacrificij incruenti facta fuisset à Christo post Passionem & resurrectionem, non fuissent meritoria & satisfactoria, quia tunc Christus non erat in statu merendi. *Tertio*, quia decuit, ut memoriale mortis suæ commendaret nobis antequam mortem.

Q

Dices;

Dices : Imò cum sit memoriale mortis & passionis iam peractæ , non potuit institui ante passionem & mortem, quia tunc falsum repræsentasset. Resp. Christum instituisse quidem hoc Sacramentum ante passionem , sic tamen , vt post passionem inciperet esse memoriale ipsius. Hoc enim indicant illa verba futuri temporis. 1. Cor. ii. vers. 26. *Quo-
tiescumque manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis,
mortem Domini annuntiabitis.*

4 Tertia Conclusio : Hoc Sacramentum conuenienter fuit institutum in vltima Cœna paulò ante Christi mortem. Ita D. Thomas art. 5. vbi adfert tres congruentias, *Primo*, quia cùm Christus vellet in propria specie discedere ab Apostolis , voluit seipsum relinquere in specie aliena, sicut Imperator discedens relinquit suam imaginem. *Se-
cundo*, quia voluit imminentis passionis memoriam poste-
ris relinquere. *Tertio* quia, quæ vltimò dicuntur ab amicis in digressu , maximè habentur in honore & memoria.

Addi potest *quarto* , quia Christus voluit priùs implere vetera Sacra menta , quam nouum instituere. Ergo debuit priùs sumere Agnum Paschalem , quam corpus & sanguinem suum dare. Agnus autem non alio tempore , quam Cœnæ sumi poterat.

5 Ex dictis colligitur hanc institutionem factam esse de- cimaquarta Luna primi mensis Lunaris, qui iuxta computationem Iudæorum incipiēbat prima Luna post æquinoctium vernale. Tunc enim iuxta Legem Moysis cœnandum erat Agnus Paschalis. Hic à quibusdam disputari solet. *Primo*, an hæc institutio facta sit in principio Lunæ decimæquartæ , an in fine ; vel, quod idem est ; an ad vesperam, quæ erat principium diei decimæquartæ ; an ad alteram vesperam , quæ erat finis eiusdem & principium diei decimæquintæ. Sed quæstio hæc pertinet ad interpretem Scripturæ.

Secundo disputari solet , quo ordine instituta sit Eucha- ristia. Nam in vltima Cœna multa contigerunt. *Primo*, fa-cta est Cœna legalis. *Secundo*, Cœna communis. *Tertio*, Cœna Eucharistica. *Quarto*, lotio pedum. *Quinto*, discessio Iudez. *Sexto*, concio Christi, quæ apud Ioannem describitur,

Nunc

Nunc quæstio est, quo ordinè hæc omnia contigerint. Suar. *disp. 41. sect. 2. 3. & 4.* ponit hunc ordinem. *Primo*, fuit Cœna legalis. *Secundo*, lotio pedum. *Tertio*, institutio Eucharistiae. *Quarto*, Cœna communis. *Quinto*, discessio Iudæ. *Sexto*, concio Christi. At ex commentario Maldonati in Euangelia, colligitur hic ordo. *Primo*, Cœna legalis. *Secundo*, Cœna communis. *Tertio*, lotio pedum. *Quarto*, Eucharistia. *Quinto*, discessio Iudæ. *Sexto*, concio Domini.

Alij aliter disponunt ordinem. Ergo sequendum Maldonatum putârim.

QVÆSTIO V.

Que fuerint figure huic Sacramenti?

1 **S**anctus Thomas *art. 6.* reuocat omnes figuræ ad quatuor capita. *Primo*, quædam sumuntur ex parte panis & vini. *Secundo*, quædam ex corpore & sanguine Christi. *Tertio*, quædam ex effectu gratiæ sanctificantis. *Quarto*, quædam ex omnibus simul, quas explicabo per quatuor seqq. con.

2 Prima Conclusio: Eucharistia quoad species panis & vini fuit variis modis præfigurata. *Primo*, per oblationem Melchisedech. *Gen. 14. v. 18.* qui obtulit panem & vinum. *Secundo*, per panes propositionis, de quibus soli mundi poterant comedere. *1. Reg. 21. v. 4.* *Tertio*, per panem subcineritium Eliæ. *3. Reg. 19. v. 6.* Huc etiam reuocari potest illud Psalm. *115. v. 12.* *Quid retribuam Domino, &c.* *Calicem salutaris accipiam.* Et Psalm. *22. v. 4.* *Calix meus inebrians quam præclarus est!* Et Proverb. *9. v. 5.* *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

3 Secunda Conclusio: Encharistia quoad corpus & sanguinem Christi fuit duobus modis præfigurata. *Primo*, per sacrificia legis naturæ. *Secundo*, per sacrificia Mosaica, præfertim expiationis, ut notat hic D. Thom.

Dices: illa sacrificia significabant sacrificium Christi cruentum, ut colligitur *Hebr. 9.* Respondeo. Immediate quidem significabant cruentum sacrificium, sed tamen hoc mediante etiam incruentum sacrificium.

4 Tertia Conclusio : Eucharistia quoad effectum gratiæ sanctificantis fuit præfigurata per Manna , vt interpretantur SS. Aug. Chryſ. Cyrill. & alij in cap. 6. Ioan. Ratio figuræ conficit in his. *Primo* , Manna datum est hominibus peregrinantibus in deserto , vt possent ad terram promissionis peruenire. *Secundo* , habebat omnem saporem suavitatis. *Sap. 16. v. 20.* *Tertio* , licet varij varias mensuras colligerent, eandem postea inueniebant. *Exod. 16. v. 18.* *Quarto* , fuit cibus de cœlo missus. *Ioan. 6. v. 31.* *Quinto* , fuit expositum dubitationi & contradictioni. *Num. 21. vers. 5.* Hæc omnia applicari possunt Eucharistiæ.

Præter Manna fuerunt duæ aliæ figuræ , nempe lignum vitæ in Paradiso, & mel Sylvestre , quo oculi Ionatæ aperti sunt. *I. Reg. 14.*

5 Quarta Conclusio : Eucharistia quoad omnia simul fuit præfigurata per Agnum Paschalem. Nam in huius esu erant tria. *Primo* , panis azymus. *Secundo* , immolatio Agni. *Tertio* , effectus sanguinis, nempe protectio à deuastante Angelō , & erexitio à seruitute Ægyptiaca.

QVÆSTIO VI.

'An hoc Sacramentum sit necessarium medium ad primam gratiam iustificantem ?

1 D Vplex est necessitas : vna præcepti , de qua agit D. Thom. *infra quest. 80. art. 11.* altera est medij, de qua hic agit *art. 3.* Est ergo quæstio. An Eucharistia sit medium necessarium ad salutem. Hoc autem duplice potest intelligi. *Primo* , an sit medium necessarium ad primam gratiam sanctificantem & remissionem peccati mortalis & originalis. Hoc non disputamus. *Secundo* , an sit medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad mortem & gloriæ consecutionem. Hoc in sequenti quæstione disputabitur.

2 Prima Conclusio : Sacramentum Eucharistiæ non est per se institutum ad remissionem peccati mortalis vel originalis ; ac proinde nec ad primam gratiam conferendum ; sed potius ad augmentum gratiæ , & ad spiritualem animæ

animæ refectionem ac nutritionem. Ita colligitur ex Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. Ratio est, quia Baptismus per se primo est institutus ad remissionem peccati originalis: Pœnitentia vero ad remissionem peccatorum mortalium post Baptismum. Ergo Eucharistia ad neutrum illorum effectuum per se primò instituta est. Singula enim Sacra-
menta debent habere peculiarem finem & effectum ad quem per se primò ordinentur.

3 Confirmatur *primo*, quia Eucharistia est cibus animæ spiritualis, ut patet *Ioan.* 6. v. 55. Ergo, sicut cibus corporalis supponit vitam corporalem: ita Eucharistia supponit spiritualem, id est, gratiam iustificantem. Ergo per se non est instituta ad illam primam gratiam consequendam: *Secundo*, quia nemo potest dignè percipere Eucharistiam, nisi iam sit in gratia, ut definiuit Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. Et colligitur ex *I. Cor.* 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.*

4 Secunda Conclusio: Eucharistia nec infantibus, nec ~~ad~~
adultis est necessarium medium ad primam gratiam obtinendam. Ratio patet ex dictis, quia ad illam obtinendam sufficiunt Baptismus & Pœnitentia. Si enim quis non sit baptizatus, potest per solum Baptismū iustificari. Si autem baptizatus sit, & post Baptismum peccauerit mortaliter, sufficit illi Sacramentum Pœnitentiae. Ergo Eucharistia nunquam necessaria est ad primam gratiam iustificantem.
5 Dices: Votum Eucharistiae necessarium est. Nemo enim per Baptismum aut Pœnitentiam cōsequitur primam gratiam, nisi habeat votum percipiendi Eucharistiam suo tempore, ut D. Thom. *infra* 79. art. 1. ad 1. Respond. Votum percipiendi Eucharistiam non aliter est necessarium, quam votum seruandi alia præcepta occurrentia. Hoc autem votum solet fieri in Baptismo, quando illi, qui baptizantur, promittunt se seruaturos præcepta Christianæ legis, siue id faciant propria voluntate, ut adulti, siue aliena, ut infantes.

6 Dices *secundo*: Eucharistia est causa vniuersalis concur-
rens ad effectus omnium Sacramentorum. Ergo alia Sacra-
menta nihil efficiunt sine concursu Eucharistie. Anteced.

246 C A P . X V . D E S A C R A M E N T I S
patet , quoniam Christus est causa vniuersalis concurrens cum omnibus Sacramentis , & tribuens illis vim conferendi gratiam . At Christus realiter non est in Eucharistia . Ergo . Resp . aliud est loqui de Christo secundum se , aliud de Christo prout est in Eucharistia . Priore modo concurrit meritorie cum omnibus Sacramentis , non posteriore .

Ratio , quia duobus modis intelligi potest , Christum prout est in Eucharistia concurrere cū omnibus Sacramentis . *Primo* , vt effectus Sacramentorum dependeat à Christo ratione præsentiae Sacramentalis . Hoc dici non potest , quia sequeretur alia Sacra menta nihil efficere , si contingaret in tota Ecclesia nullam esse Hostiam consecratam . Et sic Apostoli non legitimè baptizâissent ante institutionem Eucharistie , quod est absurdum . *Secundo* intelligitur , vt effectus aliorum Sacramentorum depédeat à Christo , prout est in Eucharistia ratione futuri usus seu mandationis . Hoc etiam dici non potest , quia sequeretur neminem percipere fructum ex aliis Sacramentis , nisi cum voto percipiendi Eucharistiam ; quod tamen falsum est . Nam si quis existens in periculo mortis confiteretur & communicaretur & post communionem vellet suscipere Extremam vñctionem , posset sine ullo peccato apud se statuere , quod post Extremam vñctionem non vellet iterum communicare , sed animam suam Deo committere . *Quis autem dicat* talem vñctionem fore sine ullo fructu ?

Et confirmatur , quia nullum est præceptum sumendi Eucharistiam post quolibet Sacramentum . Ergo votum sumendi Eucharistiam non est medium necessarium ad effectum cuiusque Sacramenti . Nam omne medium necessarium ad salutem , si est in nostra potestate , cadit sub præceptum .

Dices *tertio* ; Eucharistia efficit vñionem cum Christo & Ecclesia . D . Thomas art . 3 . & alij passim . Sed hæc vñio intrinsecè includitur in effectibus omnium Sacramentorum . Ergo effectus omnium Sacramentorum fiunt ab Eucharistia . Ergo nemo potest consequi primam gratiam sine Eucharistia . Respondeo . Vñio habitualis , qua quis vñitus est Christo tanquam capiti , & alijs iustis tanquam membris

membris eiusdem corporis, nihil est aliud, quam habituatis gratia & charitas, quæ etiam in infantibus baptizatis reperitur. Hæc autem unio, seu gratia habitualis potest dupliciter spectari. Primo, secundum se, & entitatem suam. Secundo, quoad maiorem quandam perfectionem. Priore modo est effectus omnium Sacramentorum: posteriore verò est effectus Eucharistiae. Nam omnia Sacra menta conferunt homini gratiam habitualem, & sic vniunt illum cum Christo. At Eucharistia peculiari modo perficit hanc gratiam; ut notat D. Thom. quæst. 29. art. 1. ad 1. in fine.

Dices quarto: Ioannis sexto dicitur, vers. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ex quo loco colligitur necessitas Eucharistiae ad gratiam acquirendam. Respondeo. Non colligitur Eucharistiae necessitas ad acquirendam, sed ad retinendam gratiam. Nam verba citata sic debent explicari: *Non habebitis*, id est, non retinebitis vitam in vobis. Simile est illud 1. Ioan. 3. v. 15. *Omnis homicida non habet vitam eternam in semetipso manentem*, id est, non retinet illam, sed perdit per peccatum homicidij. Quomodo autem Eucharistia sit necessaria ad conseruandam gratiam patebit ex sequenti quæst.

QVÆSTIO VII.

An hoc Sacmentum sit necessarium medium ad perseverandum in Gratia?

¶ **P**rima opinio est realem Eucharistiae perceptionem tam infantibus, quam adultis esse medium necessarium ad perseverandum in gratia & consequendam vitam æternam. Ita olim Armeni hæretici, qui propterea simul cum Baptismo dabant etiam infantibus Eucharistiam, teste VValdensi tom. 2. de Sacr. c. 91. Hinc videtur natus esse abusus dandi Eucharistiam etiam defunctis, qui damnatur in Concilio Carthagin. cap. 6. Huic opinioni videtur fauere Innocentius I. & D. Augustin. qui putarunt infantes sine Eucharistia saluari non posse. Sic enim scribit S. August. 1. contr. Julian. cap. 2. *Sancto Innocentio vide quid respondeas?* qui definit parvulos, nisi manducauerint carnem Filii hominis,

vitam prorsus habere non posse. Et lib. 1. de peccatorum meritis & remissione , cap. 20. expressè dicit , ad infantes etiam pertinere illa verba Christi : *Nisi manducaueritis carnem . &c.* Et lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum , cap. 22. de iisdem infantibus sic ait : *Nec illud cogitatis, eos vitam (æternam) habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Domini , dicente ipso : Nisi manducaueritis carnem meam ? Idem habet epistola 106. ad Paulinum.*

2. Opinio secunda est , Eucharistiam vel in re, vel in voto esse necessarium medium ad perseuerandum in gratia tam infantibus, quam adultis. D. Thom. fauet *infra quæst. 79. art. 1. ad 1.*

Opinio tertia est omnino contraria, nec infantibus, nec adultis , esse necessarium mediū ad supradictum effectum. Hanc prolixè docet, & defendit Suarez *disput. 70. sess. 2.*

3. Prima Conclusio : Eucharistia nec in re , nec in voto est medium necessarium infantibus ad perseuerandum in gratia baptismali usque ad mortem, si contingat illos mori ante adultam ætatem. *Prima pars de Eucharistia in re, definita est in Concilio Trident. sess. 21. cap. 4. & can. 4.* Et est D. Thomæ *infra quæst. 80. art. 11. ad 2.* Et D. August. *in epist. 23. ad Bonif. in fine.*

Ratio sumitur ex his principiis. *Primo*, quod Baptismus conferat infantibus gratiam iustificantem. *Secundo*, quod hæc gratia amittiti non possit, nisi per peccatum mortale. *Tertio*, quod infantes non sunt capaces peccati mortalis in illa ætate. *Quarto*, quod, qui cum gratia moriuntur, salvi fiunt. Hinc sequitur , infantes baptizatos si moriantur ante adultam ætatem, saluari sine reali perceptione Eucharistie ; ac proinde Eucharistiam in re non esse illis necessarium medium ad salutem.

Secunda pars de Eucharistia in voto probatur , quia infantes, qui moriuntur ante adultam ætatem , non sunt capaces proprij voti. Alienum autem votum quod in Baptismo factum est, solum respicit futurum tempus adultæ ætatis. Ergo ante illud tempus , nihil operatur hoc votum.

Dices : Hoc votum efficit, ut gratia conseruetur. Potest enim tripliciter spectari in infantibus gratia baptismalis.

Primo,

Primo, quatenus infunditur à Deo. *Secundo*, quatenus aliquo tempore conseruatur (indefinitè.) *Tertio*, quatenus conseruatur usque ad mortem. *Primo*, modo spectata est effectus baptismi. *Secundo*, & *Tertio*, modo est effectus Eucharistie, seu voti Eucharistie, quod includitur in baptismo.

Confirmatur, quia est magnum beneficium Dei, quod infans baptizatus moriatur in statu gratiae, antequam possit gratiam per peccatum amittere. Hoc autem beneficium non confertur vi baptismi. Ergo per votum Eucharistie.

• Resp. *primo*. Sicut gratia confertur infantibus vi baptismi: ita vi baptismi in illis conseruatur, quamdiu infantes sunt, & peccare non possunt. Ratio est, quia unaquaque res tamdiu potest conseruari per illas causas, à quibus producta est, quamdiu non occurrit aliquod contrarium, à quo corrumpatur. Sed in infantibus, quamdiu tales sunt, nullum est contrarium, à quo gratia baptismi corrumpi possit. Ergo, &c.

Respondeo *secundo*. Est quidem Dei beneficium, quod auferat aliquem ex hac vita, dum est in statu gratiae, iuxta Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*. Hoc tamen beneficium non est effectus Eucharistie, alioqui omnes semel suscipientes dignè Eucharistiam morerentur in statu gratiae; quod tamen non sit. Est ergo effectus praedestinationis, ut suppono ex Patribus.

Obligitur autoritas Innocentij & Augustini, qui docent, Eucharistiam infantibus esse necessariam, probantque ex illo: *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis*. Respondeo. Hoc intelligitur de adultis, non infantibus; quia adulti indigent nutritione & alimento, ne amittant gratiam per peccatum; infantes non possunt illam amittere. Porro de Innocentij & August. mente non conuenit inter autores. Maldonatus in cap. 6. *Ioan. v. 53*. putat illos reuera ita sensisse, sed eorum sententiam iam non amplius vigere. Alij expoununt illos de necessitate præcepti, non medij. Alij de effectu Eucharistie, non de ipso Sacramento.

Ego tamen respond. Innocentium agere contra Pelagianos, negantes peccatum originale in infantibus. Contra

hos ergo ostendit infantes non posse saluari, nisi participent Corpus & Sanguinem Christi. Per hanc autem participationem non intelligit Sacramentalem sumptionem Eucharistiae, siue in re, siue in voto; sed illam participationem corporis & Sanguinis, quæ fit in receptione baptismi. Per baptismum enim, qui significat & repræsentat mortem & resurrectionem Christi. *Rom. 6. v. 4.* percipitur fructus Corporis & Sanguinis Christi pro nobis oblati.

Hanc esse mentem Innocentij colligitur ex epistola illius ad Concil. Milieutianum, quæ numeratur 93. inter epistolas D. Augustini tomo 2. Et eodem modo intelligendus est S. August. loc. citatis. Agit enim de mandatione corporis & sanguinis Christi, per quam tollitur peccatum originale. Hæc autem manducatio nihil aliud est, quam participatio gratiæ in baptismo ex meritis Corporis & Sanguinis Christi pro nobis oblata.

6 Secunda Conclusio: Eucharistia, vel in re, vel in voto videtur esse medium necessarium adultis ad conseruandam gratiam baptismalem usque ad finem vitæ, præsertim si diu viuant. Ita D. Thom. *infr. q. 80. art. 11. ad 2. vbi* dicit: Eandem esse necessitatem baptismi & Eucharistiae respectu aliorum, licet non respectu infantium. Et colligitur ex illo: *Nisi manducaueritis carnem, &c.*

Ratio est; quia sicut prima gratia est necessaria ad salutem: sic etiam perseverantia in gratia. Ergo sicut ad dannam vel reparandam primam gratiam instituta sunt Sacra menta baptismi & poenitentiae, ita ad perseverantiam dannam in gratia debuit institui aliud Sacramentum, quod est Eucharistia. Confirmatur, quia Eucharistia est cibus animæ. Ergo sicut vita corporalis non potest diu conseruari sine cibo corporali: ita vita spiritualis, quæ est gratia, non potest diu conseruari sine Eucharistia.

7 Dices: Hæc ratio æquè valet in infantibus atque in adultis. Resp. In infantibus nihil est, quod minuat aut corrum pat gratiam, ut dixi; & ideo non opus est cibo spirituali. Adulti autem, quia varias habent occasiones peccandi, indigent alimento & nutritione, ne amittant vitam quam habent.

Dices

Dices secundo : Si Eucharistia confeat homini perseverantiam in gratia. Ergo omnes, qui semel dignè suscipiunt Eucharistiā, consequuntur perseverantiam in gratia , quod est falsum. Respond. Duo sunt in perseverantia. Vnum est ex parte Dei, nempe auxilia gratiæ actualis , quibus homo excitatur & iuuatur ad seruanda præcepta & cauenda peccata. Alterum est ex parte hominis, nempe cooperatio liberi arbitrij cum auxiliis actualibus. Prius infallibiliter confertur per Eucharistiam. Posterius pendet ex libera hominis voluntate. Vnde si non velit cooperari cum auxiliis gratiæ, non poterit perseverare in gratia habituali.

Dices tertio: Illa auxilia actualia possunt haberi sine Eucharistia per orationes, aut per merita iustorum hominum. Ergo Eucharistia non est necessaria. Resp. Non possunt semper & infallibiliter haberi, nisi accedente Eucharistia in re vel in voto. Sed nota hoc votum posse esse duplex. Implicitum scilicet , quod continetur in illo generali proposito, quo quis statuit seruare omnia præcepta occurrentia. De hoc non est quæstio, quia constat propositum necessarium esse ad conferuandam gratiam & amicitiam Dei.

Alterum est explicitum & proprium, quo quis desiderat Eucharistiā percipere. Et de hoc intelligitur nostra cōclusiō.

Sed D I C E S : Ergo magis necessaria est Eucharistia, quam baptismus, quia ut aliquis consequatur effectum baptismi, sufficit votum implicitum, quod continetur in communi proposito seruandi omnia præcepta , vt dictum est. cap.10. qu.10. cont.3. Ut autem consequatur effectum Eucharistiæ, non sufficit votum implicitum & commune , sed requiritur explicitum & proprium.

Resp. Inde non colligitur maior , aut minor necessitas, sed, ut sumnum, maior aut minor facilitas. Quanquam adhuc facilius est homini iusto habere expressum desiderium sumendi Eucharistiam , quam peccatori habere commune desiderium seruandi omnia præcepta occurrentia. Homo enim iustus , ratione amicitiæ diuinæ quodammodo dignus est accipere à Deo gratiam excitantem , qua incitetur ad desiderandam Eucharistiam. At peccator non est dignus accipere gratiam excitantem , qua incitetur ad detestanda

stanta peccata præterita, & ad propositum seruandi omnia
præcepta diuina.

Deinde posita iam gratia excitante in utroque, id est, iusto
& peccatore, adhuc facilius est iusto cum illa coopera-
ri, quam peccatori, cæteris paribus: tum quia peccator ha-
bet plura impedimenta: tum quia detestatio prioris vitæ
difficilior est, quam desiderium Eucharistiae.

11. Quæres: Quæ est causa cur votum Eucharistiae debeat
esse explicitum, & votum baptisimi possit esse implicitum?
Respondeo. Quia votum debet supplere causalitatem Sa-
cramenti, & conferre effectum illius. Effectus autem baptis-
mi est remissio peccatorum. Hunc effectum conferre potest
contritio, seu detestatio peccatorum, in qua votum baptis-
mi implicitè includitur. Effectus verò Eucharistiae est con-
seruatio gratiæ per augmentum & nutritionem. Hunc non
potest conferre commune propositum seruandi præcepta,
quia alioqui omnes adulti, qui dignè baptizantur, accipe-
rent hunc effectum in solo baptismo, quia habent commu-
nem propositum seruandi omnia præcepta. At consequens
falsum est.

12. Tertia Conclusio: In duplice tamen casu fieri potest,
ut Eucharistia nec in re, nec in proprio voto sit adultis ne-
cessarium medium ad perseverandum in gratia usque ad
mortem. Primo, si aliquis post acceptam gratiam (in baptis-
mo aut poenitentia) statim moriatur, & non occurant
tentationes quæ illum urgeant. Secundo, si semel aut sèpius
aceperisset Eucharistiam, & post aliquo tempore superui-
ret, & subito tandem extingueretur.

13. Vbi nota, nos non negare, quin homo iustus per ora-
tiones & opera meritoria possit impetrare auxilia actualia
ad vitanda peccata & perseverandum certo aliquo tempo-
re, scilicet aliquo integro mense: sed hoc solùm negamus,
eum non posse hoc facere à suscepso baptismo vique ad
mortem, si diu viuat sine Eucharistia in re, vel voto; quia
aliquando contingit esse tam vehementes tentationes, ut
non possint superari, nisi adhibito remedio præcipuo à
Christo Domino præscripto, quod est Eucharistia. Non
enī fructu dixit: *Nisi manducaueritis, &c.*

QVÆSTIO VIII.

An hoc Sacramentum sit unum specie infima?

1 **A** Liqui putant esse plura specie distincta, ut Maior & Gabriel in 4. dilt. 8. Ratio est, quia in hoc Sacramento sunt duæ materiæ & duæ formæ verborum, quarum altera significat Corpus, altera Sanguinem Christi. Ergo sunt duo signa distincta. Ergo duo Sacra menta. Confirmatur primo ex communi modo loquendi, quia qui fulcitur speciem panis, non dicitur suscipere partem Sacramenti, sed Sacramentum & effectum Sacramentalem totum. Secundo, quia Sacerdotes in quadam collecta dicunt pluraliter: *Purificent nos Domine Sacra menta quæ sum psumus.* Eodem modo loquuntur Concilia & Patres, ut patet apud Gratianum de consecrat. d. 1. & 2. per multa capitula.

2 Prima Conclusio. Hoc Sacramentum potest tripliciter spectari. Primo, quatenus constituitur ex solis accidentibus panis. Secundo, quatenus ex solis accidentibus vini. Tertio, quatenus ex utrisque simul. Inter hos tres modos non est differentia essentialis in ratione Sacramenti, sed tantum materialis. Ratio, quia essentia huius Sacramenti consistit in eo, ut (potentialiter non actualiter) significet & efficiat spiritualem animæ refectionem, vel, (quod idem est) consistit in practica significatione gratiæ nutrientis. At Eucharistia quocunque trium modorum spectetur, semper practicè significat spiritualem animæ refectionem. Ergo illi tres modi non differunt essentialiter in ratione ipsius Sacramenti.

3 Secunda Conclusio. Formaliter loquendo Eucharistia *tunc* *5.* est unum tantum Sacramentum secundum speciem infimam. Ita D. Thom. art. 2. Ratio est, quia formaliter consistit in practica significatione spiritualis refectionis. Hec autem refectione est una secundum speciem, siue fiat per accidentia panis, siue per accidentia vini, siue per utraque simul. Hoc tantum interest, quod illa refectione, tametsi æquè perfectè efficiatur per sola accidentia panis, ac per utraque simul; non tamen æquè perfectè signifi-

254 C A P . X V . D E S A C R A M E N T I S
significat. Perfectius enim significatur per accidentia panis
& vini simul, quām per solum accidens vini, aut panis.

Hoc sensu dixit S. Bonav. in 4. d. 11. art. 2. quæst. 2. fideles sub
una specie accipere totum Sacramentum, quoad efficaciam,
non quoad significationem.

4 Tertia Conclusio. Materialiter loquendo liberè possu-
mus dicere Eucharistiam esse plura Sacra menta. D. Thom.
ibid. Ratio, quia tunc censemur plura Sacra menta materia-
liter, quando sunt plures res sensibiles, in quibus singulis
est tota essentia specifica alicuius Sacramenti. Sed practica
significatio refectionis spiritualis, quæ est essentia specifica
Eucharistæ est in solis accidentibus panis, & in solis acciden-
tibus vini, & in utrisque simul. Ergo sunt plura Sacra menta
materialiter.

5 Ad rationem contrariam patet solutio ex dictis. Quam-
uis enim in hoc Sacramento sint duæ materiæ & formæ
verborum, quæ differunt in speculativa significatione præ-
sentia Corporis & Sanguinis Christi, non tamen differunt
in practica significatione refectionis spiritualis. Hæc autem
posterior significatio est essentialis Sacramento Eucha-
ristæ, quatenus est Sacramentum: prior est accidentalis. Ad
primam confirmationem. Resp. Qui suscipit Eucharistiam
sub una tantum specie, dicitur suscipere totum Sacra-
mentum, triplici ratione. *Primo*, quia suscipit totam essentiam
huius Sacramenti. *Secundo*, quia suscipit totum effectum,
id est, plenam refectionem spiritualem. *Tertio*, quia susci-
pit totum Christum. Totus enim continetur sub una spe-
cie non minus quam sub vtraque.


Ad secundam confirmationem. Resp. Eucharistiam posse
dici, plura Sacra menta materialiter, ut iam explicatum est.

C A P V T X VI.

De materia Eucharistie.

1. **D**I V V S Thom. docet primo materiam huius Sa-
cramenti esse panem & vinum. Secundo, panem
debere esse ex tritico, vel siliagine, non ex hordeo,
spelta aut farre. Tertio, perinde esse, quoad valorem Sacra-
menti,

menti, siue panis sit fermentatus, siue azymus. *Quarto*, nihilominus, quoad praxin Græcos debere ut fermentato pane, & Latinos pane azymo. Græci sunt Ecclesia tota Orientalis; Latini vero sunt Occidentalis. *Quinto*, vinum debere esse ex vite, non ex arte. *Sexto*, Aquam vino permiscendam esse, sed in parua quantitate, ut possit conuerti in vinum, antequam vinum conuertatur in sanguinem. *Septimo*, hanc aquæ permixtionem non esse de Sacramenti necessitate, sed solùm de necessitate præcepti. Hæc non habent magnam subtilitatem.



CAPUT XVII.

De Consecratione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

HI C tria generatim disputanda sunt. *Primo*, an Christus sit realiter praesens in Eucharistia. *Secundo*, quomodo fiat praesens, an scilicet per conuersionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, quam Theologi vocant Transubstantiationem. *Tertio*, qualis sit illa conuersio. In primo puncto conueniunt nobiscum Lutherani; dissentunt Zuingiani & Calvinistæ. Nos cum Lutheranis docemus, Christum esse realiter praesentem in Eucharistia, quod Zuingiani & Calvinistæ negant. In secundo dissentunt etiam Lutherani a nobis: quia volunt Christum esse praesentem unam cum pane & vino, sine villa conuersione, vel Transubstantiatione. In tertio, disceptant foli Scholastici inter se. Cum enim aduersarij negent conuersionem panis & vini, non sunt solliciti, quæ aut qualis sit illa conuersio.

Circa primum multa disputari possunt in particulari. *Primo*, qui sentiant aduersarij de praesentia Corporis Christi in Eucharistia. *Secundo*, quid Catholici sentiant. *Tertio*, an hæc praesentia probari possit ex figuris Eucharistiae. *Quarto*, an ex verbis promissionis, *Ioan. 6*. *Quinto*, an ex verbis institutionis. *Sexto*, an ex usu. *Septimo*, an ex Patribus. *Ottavo*, an ex miraculis. *Nono*, an ex antiqua praxi Ecclesiæ.

Decimo,

Decimo, an ex aduersariis. *Vndecimo*, an ratione naturali fundata in principiis fidei. *Duodecimo*, quid propriè sit hæc præsentia Christi in Sacramento. *Decimotertio*, an hæc præsentia Sacramentalis dependeat essentialiter à præsentia naturali. *Decimoquarto*, an idem Corpus possit simul præfens esse distinctis locis.

QVÆSTIO I.

*Quid sentiant aduersarij de præsentia Christi
in Eucharistia?*

1 **V**lericus Zuinglius pastor Tigurinus, cùm aliquot annis docuisset cum Luthero Corpus Christi realiter esse præfens in Eucharistia cum pane, tandem libellum scripsit de vera & falsa Religione, vbi retractans priorem sententiam coepit docere Corpus Christi non esse in Sacramento, nisi vt in signo; quod ante illum docuerat Berengarius Archidiaconus anno Domini 1050. Et Ioannes VVicel. anno 1370. & Andreas Carolstadius Archidiaconus VVittembergensis, primarius Lutheri discipulus.

Porrò Zuinglius, vt purget suam inconstantiam, scribit se multò antè cognouisse veritatem, sed dissimulasse, vt seruiret temporis, in hoc laudari se à Christo, vt seruum prudentem & fidelem, qui dat cibum familiæ in tempore suo. Sed dupliciter hic peccat. *Primo*, quia aliud est seruire temporis, aliud mentiri. At Zuinglius multo tempore docuit cum Luthero Corpus Christi esse realiter præfens in Eucharistia, cùm tamen contrarium sentiret in animo, vt ipse fatetur. Ergo toto illo tempore mentitus est. Ergo non potest laudari à Christo, vt prudens & fidelis dispensator. *Secundo*, quia cùm coepit docere, Christum non esse præsentem in Eucharistia, non dispensauit doctrinam Christi, sed Diaboli. Nam à Diabolo in somnio hanc doctrinam accepit, vt ex propria eius confessione ostendit Gretserus in disceptatione de somnio Zuinglij. Poteſt ergo Zuinglius laudari tanquam fidelis seruus Diaboli, non Christi.

2 Zuinglium secuti sunt Ioannes Oecolampadius Apoſta, in libr. de genuina expositiōne verborū: *Hoc est Corpus meum:*

seum. Henricus Bullengerus in *Apologia pro Zwingli contra Lutheranos*. Bernardinus Ochimus in libro de *causa Doctini contra VVestphalum*. Et Petrus Martyr in tractatu de *Eucharistia contra Stephanum Gardineum*.

3 Caluinus, tametsi recipit sentiat cum Zwinglianis, tamen in modo loquendi est ita varius & obscurus, ut aliter securire videatur. Et quidem anno 1540. scriptis libellis de eccl^a Domini, (quem Nicolaus Gallafus ē Gallico in Latinum conuerit) in quo nominatio perstringit tum Lutherum, tum Zwinglium, quod ruas acerbas inter se dissidentias & ad concordiam redire nolunt. Quid autem sentiat Caluinus, colligi potest ex variis eius opusculis, ē quibus hęc propositiones parum inter se coherentes defūntae sunt.

4 *Prima proposicio.* Corpus Christi est cibum in celo, & tanto intervallo distat à pane & vino in Eucharistia, quanto distat celum à terra. Hanc habet in fine libelli inscripti: *Consensio de re Sacramentaria*, ubi sic ait: *Vilenda est quelibet locali praesencia imaginaria. Nam non figura hoc in mundo sint, oculis corporibus palpantibus materialibus civides, quatenus homo est, non alibi quam in celo quietudines est. Et postea ait: quia tamen Corpus Christi frumentum est, et celo ut loco continetur, neque esse est à nobis causa immum intrinsecus dignare, quanto celum abest à terra.*

5 *Secunda proposicio.* tamen Corpus Christi sit tantum in celo, tamen verè presentis est in Eucharistia & verè ianuitur à fidelibus. Hanc habet librum q. *Instit. cap. 17. §. 10.* his verbis: *Atque omnino iste et pia suam et regale, te quatuor symbola vidant a Domino inservient, illis rei figura et veritate adeesse certa cogitent ac fidei persuaderent. Quoniam tuum Corporis sui Symbolum tibi Dominus in manum pattingat, nos vero de vera eius participatione et cibacione facias? Quod si veram est præberi nobis figuram visibile ad obsequandum inseparabilis rei distributionem, accepto Corposis symbolo nec minus Corpus etiam ipsius nobis dñe cetera consideramus. Et §. 32. In Sacra tua iubente sub Symbolis panis ac vīna Corpus et Sanguinem suum sumere, manducare ac bibere. Nihil dubium, quia et ipse verè pergit et age recipiam. Et in caput 26. membra: *Verè in cibis**

datur nobis Corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem. Et infra: Non ergo vacuum & inane signum nobis proponitur, sed verè carnis & Sanguinis Domini efficiuntur participes.

6 Tertia propositio Caluini, non potest ingenio comprehendendi, aut verbis explicari, quomodo Corpus Christi, quod tantum est in cœlo, verè præsens sit in Eucharistia. Hanc habet lib. 4. cap. 17. §. 7. his verbis: Nihil restat, nisi ut in eius mysteriū admirationem prouinciam, cui nec mens cogitando, nec lingua explicando par esse potest. Et §. 10. Et si autem incredibile videtur, in tanta locorum distantia verè trahere ad nos carnem Christi, ut nobis sit in cibum; Meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat, arcana Spiritus sancti virtus; & quam stultum sit eius immensitatē modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum verè uiire, quæ locis disuncta sunt. Et §. 32. Porro de modo si quis me interroget, sateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat. Similia habet Beza in tractatu de Sacramentaria, quest. 9. vbi sic ait: Falemur incomprehensibile esse Mysterium Dei, quod sit, ut, quod est, & manet in cœlis, & non alibi, verè communicetur nobis, qui sumus in terra, & non alibi.

7 Quarta propositio, Christus videtur substantiam carnis suæ ad nos transmittere, sicut sol suam quodammodo substantiam per radios in terram transmittit. Ita l. 4. cap. 27. §. 12. ait: Spiritus Christi est quidam veluti canalis, per quem, quicquid Christus ipse est & habet, ad nos deriuatur. Nam si Solem conspicimus radiis in terram emicantem ad generandos, souendos, vegetandos eius factus, suam quodammodo substantiam ad eam traiicere; cur inferior Spiritus Christi esset irradiatio ad communionem carnis & sanguinis eius in nos traducendam? Et §. 32. Nobis, inquit, sufficit Christum è carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare; imò propriam in nos vitam (suam) diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro.

8 Quinta propositio: Corpus Christi, quod est tantum in cœlo, non aliter à nobis percipitur in coena quam sola fide. Non enim ad nos descendit, sed potius ad se nos sublevat in cœlum per fidem. Hanc habet q. lib. cap. 17. §. 5. ita;

Interim verò hanc non aliam esse quam fiduci mandationem, fatemur, ut nulla alia fingi potest. Et §. 31. Christus præsens illis (Catholicis) non videtur, nisi ad nos descendat. Quasi verò si ad se nos euehat, non æquè potiamur eius præsentia. Et infrā:ne-
sse non est Christum elicere in terras, ut nobis sit coniunctus.

9 Sexta propositio, aliud est credere in Christum, aliud est carnem Christi manducare. Hanc habet lib. 4. cap. 17. §. 15. ita: Sed hoc non perinde inter omnes conuenit, qualis sit eius participandi ratio. Sunt enim, qui manducare Christi carnem & Sanguinem eius bibere uno verbo definiunt, nihil esse aliud quam in ipsum Christum credere. Sed mihi expressius quiddam ac sublimius videtur voluisse docere Christus in præclara illa concione, ubi carnis suæ mandationem nobis commendat. Ec
infrā: Hoc inter mea & istorum verba interest, quod illis manducare est credere; ego credendo manducari Christi carnem, quia fide nostra efficitur, eamque mandationem, fructum effectum que esse fiduci dico, Aut, si clarius velis, illis mandatio est fides, mihi ex fide potius consequi videtur.

Similia habet in lib. de cœna Domini contra VVestph. cap. 9. vbi dicit: hoc interesse inter fidem & mandationem Christi, quod inter manum, & apprehensionem, quæ manus fit.

10 Septima propositio. Soli prædestinati manducant carnem Christi in Eucharistia, quia illi soli habent fidem per quam fit manducatio. Hanc habet lib. 4. o. 17. §. 33. ita: Ego ve-
rò nego carnem Christi posse comedì absque fidei gustu. Et §. 34. Unde sequitur reprobos ab eius participatione arceri. Et in libel-
to de consensione de re Sacramentaria, inquit: Sedulò docemus Deum non promiscuè vim suam exercere in omnibus qui Sacra-
menta recipiunt, sed tantum in electis. Et Beza in tract. de re Sacramentaria, quest. 13. ait: Sicut Symbola accipiuntur solo ore corporis, ita Corpus Christi solo ore fidei. Cum ergo non habeant impij os fidei, non percipiunt nisi Symbola corporis Domini.

11 Octava propositio. Sacramentum Eucharistiae hunc ef-
fectum habet in prædestinatis, quod testetur illos iam esse Christo coniunctos, & omnia bona Christi esse ipsorum. Hanc habet lib. 4. cap. 17. §. 2. ita: Magnum verò fiducia & fauilitatis fructum ex hoc Sacramento colligere possunt pie an-

mæ, quod testimonium habent in unum Corpus nos cum Christo
coaluisse, ut quicquid ipius est, nostrum vocare liceat. Hinc se-
quitur, ut nobis securè spondere audeamus vitam æternam no-
stram esse, cuius ipse est heres: Nec regnum cœlorum, quo iam
ingressus est, posse magis nobis excidere, quam ipsi: Rursum,
peccatis nostris non posse nos damnari.

Hæc est doctrina Caluini de Eucharistia. Quæ, quam pa-
rum sibi cohæreat, quiuis potest aduertere. Summa est:
Corpus Christi non aliter adesse nobis, nisi per fidem, qua-
tenus scilicet fide & cogitatione ipsum apprehendimus. Hinc sequitur. *Primo*, non aliter nobis adesse quam rem
aliquam absentem, de qua actu cogitamus. *Secondo*, non est
difficile comprehendere, aut explicare, quomodo Christus,
qui est in cœlo, sit nobis præsens in Eucharistia. Est enim
præsens obiectuè, quod facillimè intelligi potest. *Tertio*, fal-
sum esse, quod dicit Caluinus Christum verè adesse nobis;
nisi dicamus omnia ista verè esse apud nos, de quibus actu
cogitamus. *Quarto*, falsum quoque esse, quod dicit substanciam
carnis Christi quodammodo ad nos transfundi. Non
enim magis ad nos transfunditur quam substantia cuiusque
rei absentis, de qua actu cogitamus. *Denique*, quod addit
solos prædestinatos manducare carnem Christi, & eos so-
los habere fidem, eosque securos ac certos esse de vita æter-
na, in materia de Iustificatione refutatum est.

Ex Caluinistis plerique docent Corpus Christi dupliciter
esse præsens in Eucharistia, & dupliciter à nobis mandu-
cari, spiritualiter, & sacramentaliter. Addunt illos Sa-
cramentaliter manducare Corpus Christi, qui ore corpo-
rali comedunt panem, qui est Symbolum Corporis Chri-
sti, illos autem spiritualiter, qui vera fide apprehendunt
Corpus Christi, quod pro nobis oblatum est in mortem.
Vide Antonium Zadcelem *in tract. de manducaione Sacra-
mentalii.*

Pleſſæus lib. 4. de Eucharisti. cap. 1. expressè docet Christum
non aliter bibi & manducari in cœna, quam in Baptismo,
aut in verbo Dei, seu Euangelio, quia scilicet non aliter bi-
bitur & manducatur quam sola fide. At fides æquè potest
excitari auditu Euangelio, quam viso pane & vino. Addit
hoc

hoc solum esse discrimen, quod Sacramentum sit verbum mutum, verbum autem sit Sacramentum loquens.

Q V E S T I O I I .

Quid sentiant Catholici de presentia Christi in Eucharistia?

1 **C**atholici docent, Christum esse verè, realiter & substantialiter præsentem in Eucharistia, ut definiuit Concil. Trident. *sess. 13. c. 4. & Can. 1.* Ac primo dicitur, *Verè esse præsens, & non tantùm figuratè, seu significatiuè, ad excludendum errorem Zuinglianorum, qui non aliter volunt esse præsentem in pane & vino, nisi tanquam in signo.* Secundo, dicitur, *Realiter esse præsens, & non tantùm obiectiuè, ad excludendum errorem Caluini dicentis præsentem esse per solam fidei apprehensionem.* Tertio, dicitur *Substantialiter esse præsens, & non tantùm accidentaliter, aut virtualiter, partim ad excludendum errorem Caluini, qui videtur ponere aliquam virtualem transfusionem, ut suprà ostensum: partim ad explicandum modum, quo Christus est sub speciebus panis & vini.* Non enim est ibi per modum quantitatis, quæ loco extenditur; aut per modum qualitatis, aut aliorum accidentium, quæ per sensum percipiuntur, sed per modum simplicis substancialiæ.

2 *Secundo* docent Catholici Christum, qui verè realiter & substantialiter præsens est in Eucharistia, dupliciter à nobis manducari, neimpè Sacramentaliter, & spiritualiter. Hanc autem duplē manducationē longè aliter intellegimus & explicamus quam Caluinistæ. Eos enim dicimus Sacramentaliter manducare Christum, non qui sola Symbola panis & vini ore corporis accipiunt, ut volunt Caluinistæ; sed qui simul cum Symbolis accipiunt Corpus Christi, quod sub illis verè, realiter & substantialiter continetur. Eos autem dicimus spiritualiter manducare Christum, qui, quando ore corporis Sacramentaliter manducant Corpus Christi sub specie panis ac vini, simul etiam percipiunt spiritualem animæ refectionem, id est gratiam Sacramentalē, qua animus spiritualiter pascitur &

nutritur. Hinc sequitur Sacmentalem mandationem communem esse bonis & malis. Omnes enim tam boni, quam mali possunt ore corporis accipere Christum in Eucharistia. At Spiritualis mandatio propria est iustorum. Illi enim soli percipiunt fructum ex Sacmentalib[us] mandatione.

Hic obiter notanda est Bezae astutia. Is anno 1556. Scripsit Confessionem, in qua asserit Corpus Christi verè & realiter esse præsens in cœna, & communicantibus verè & realiter exhiberi. Addebat in eam confessionem consentire Ecclesias Heluetiorum & Genevensium. Hoc fecit ut Lutheranos, qui agnoscunt veram & realem Christi præsentiam, dolo ad Calvinismum pertraheret, quasi eadem esset Calvinistarum & Lutheranorum sententia. Sed cum ex illo facto Lutherani triumpharent de Zuinglianis, & Heluetiis, qui sequebantur Zuinglium, grauiter in Bezae inueherentur, respondit ipse Beza, se quidem vera scripsisse, sed à Lutheranis male intellecta. Non enim se locutum esse de cœna Domini, quæ in terris, sed de illa, quæ in cœlis celebratur, vbi Christus verè & realiter præsens est. Hanc historiam refert Clau. Sainctes in respons. ad Apologiam Bezae; & ex illo Bellarm. lib. de Eucharistia, c. 2.

QVÆSTIO III.

An præsentia Corporis Christi in Eucharistia probari possit ex figuris Eucharistie?

1 EX Scripturis sumi possunt quatuor argumenta pro præsentia Corporis Christi in Euchar. *Primo*, ex figuris. *Secundo*, ex promissione. *Tertio*, ex institutione. *Quarto*, ex vsu. *Primum* hic cætera in seqq. explicabuntur.

2 Conclusio Prima. Figuræ Eucharistie sunt hæ: 1. panis & vinum Melchisedech. 2. panis propositionis. 3. panis subcineritus Eliæ. 4. Manna. 5. Agnus paschalis. 6. Sacrificia Moysæica. De his actum est *suprà cap. 15. quæst. 5.* Nec aduersarij negare possunt, saltem de Agno Paschali, & Manna, quod nobis satis est. Nam *Primo*, quod Agnus Paschalis fuerit figura Eucharistie docent antiqui Patres, *Tertull. lib. 4. contra Marcio*

Marcionem. Chrysost. homil. de prodit. Iudea. August. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. Gregor. homil. 22. in Euang. Leo Papa serm. 7. de passione. Rupertus, Paschasius, &c. Et colligitur ex Matth. 26. & Luc. 22. vbi Christus sumpto Agno Paschalii statim instituit Eucharistiam, ut significaret antiquum Sacramentum non tolli & adimpleri.

Nec obstat, quod aliqui Patres dicant Agnum Paschalium fuisse typum & figuram Christi in ara crucis immolationis. Vtrumque enim verum est fuisse figuram Eucharistiae, & finalis immolationis Christi in cruce.

Iam vero, quod Manna fuerit figura Eucharistiae multo certius est. Id enim colligunt Patres ex Ioan. 6. v. 58. *Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in eternum.* Item ex 1. Cor. 10. v. 2. vbi Apostolus mare rubrum comparat Baptismo, & Manna comparat Eucharistiae.

3. Secunda Conclusio: Figuræ debent esse inferiores & minus praestantes rebus figuratis. 2. Colos. v. 17. vbi S. Paulus figuratas veteris Testamenti comparat umbris, & sem figuratum corpori. Constat autem corpus esse praestantius quam umbram. Idem patet Hebr. 10. v. 1. vbi eisdem figuratas vocat umbram futurorum, & rem figuratam vocat imaginem. Umbram autem non est vera imago, sed vel est inanis similitudo imaginis, qualis conspicitur, cum quis ambulat in Sole; vel tertie adumbrata imago in tabula nondum expressa & perfecta.

4. Tertia Conclusio: Eucharistia est praestantior, quam figura ipsius. Patet, quia sicut corpus est praestantius quam umbra, sic res figurata est praestantior quam figura. Vnde D. Hier. in cap. 1. ad Titium, sic ait: *tantum interest inter panes propositionis & Corpus Christi, quantum inter umbras & corpora inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, que per exemplaria figurabantur.*

5. Quarta Conclusio: Corpus Christi est vere & realiter praefens in Eucharistia. Ratio patet ex dictis, quia si non esset ibi praefens, sequeretur figuræ Eucharistiae non esse inferiores Eucharistia, quod est absurdum. Sequela patet, quia panis & vinum Melchizedech. Manna & Agnus Pas-

664 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
chalis tara sunt res præstantes, quām panis & vīnum Eu-
charistie sine Corpore & Sanguine Christi Domini.

Confirmatur: quia duplicitate spectari potest Agnus Pas-
chalis. Primo, quatenus est res quædam naturalis, & sic sine
dubio præstantior est quām panis. Secundo, quatenus est Sa-
cramentum, seu signum externum, & sic etiam excellit pa-
nem; Primo, quia caro Christi melius significatur carne Agni
quām pane. Secundo, mors Christi melius significatur morte
Agni, quām fractione panis. Tertio, effectus Eucharistie sine
fit nutritio spiritualis, ut Catholici docent, siue excitatio fi-
dei, secundum aduersarios, melius obtinetur per esum Agni,
quā per esum panis. Magis enim caro nutrit quām panis. Et
id erit fidem magis excitat, quod melius representat Christi
mortē. Quare illa verba: *Hoc est Corpus meum*, aptius per Me-
tonymiam dici possunt de Agno Paschali, quā de Eucharistia.

Idem argumentum fieri potest de Manna. Si enim spe-
ctemus Manna & panem Eucharistie, quatenus res quædam
sunt, abstrahendo à significatione, Manna præstantius est
quām panis. Primo, quia Manna siebat manibus Angelorum
& de cœlo descendebat. Secundo, habebat omnem saporem
suavitatis. Tertio, minima pars sufficiebat. Nihil horum con-
uenit nostro pani. Si vero spectentur ut Symbola externa,
Manna melius significabat Christum, quia descendebat de
cœlo sicut Christus, tum quia habebat omnem saporem,
quod etiam spiritualiter quadrat in Christum.

6 Ex dictis concludo Eucharistiam, vel continere in se
Corpus Christi, quod nos contendimus. Vel, si non conti-
net, non esse præstantiorem Agno Paschali & Manna, quod
est absurdum, &c.

7 Obiectio: Tametsi Eucharistia non magis contineat
Corpus Christi quām Paschalis Agnus: tamen in ratione
signi adhuc præstantior est quām Agnus Paschalis. Primo,
quia significat passionem præteritam Christi, non futuram.
Secundo, quia pertinet ad omnes gentes, non ad solos Iu-
dæos. Tertio, quia durabit usque ad finem mundi. Ita Pet.
Martyr. in sua defens. de Euchar. part. 3. & Plessæus lib. 4. de Eu-
char. c. 1. Respondeo. Propria & intrinseca dignitas, seu ex-
cellentia signorum, quatenus signa sunt, spectari debet ex
ipsa

ipsa significatione, non autem ex circumstantiis extrinsecis. Illa enim censentur meliora, & excellentiora signa, quæ melius & perfectius significant. Agnus autem Paschalis, ut dictum est, melius significat Christum immolatum, quam panis & vinum Eucharisticum: Ac proinde, si inter se præcisè comparentur, quatenus signa sunt, excellenter erit Agnus Paschalis, quam panis & vinum in Eucharistia.

Quod autem Eucharistia significet rem præteritam, & non futuram, quod pertineat ad plures homines quam Agnus Paschalis, quod denique durabilius sit, sunt tantum circumstantiae accidentales, quæ non augent propriam, & intrinsecam dignitatem signorum, quatenus signa sunt. Hoc inde patet, quod Eucharistia eo tempore quo à Christo instituta est, non erat minus excellens in ratione signi quam nunc est: Et tamen nunc significat passionem Christi præteritam, quam tunc futuram significabat. Vnde circumstantia illa temporis nihil facit ad intrinsecam dignitatem signi, quatenus signum est.

Confirmatur, quia in ultima Cœna Christi cum discipulis, non solum Eucharistia, sed etiam Agnus Paschalis manducatus est. Ergo tunc non potuit ratione temporis Eucharistia esse præstantior quam Agnus Paschalis. Vtrumque enim Sacramentum significabat Christum præsentem: vtrumque etiam significabat passionem Christi futuram.

8 Dices: licet Agnus Paschalis melius significet passionem Christi, quam Eucharistia, quoad externam representationem, ut bene probatum est; non tamen ratione verborum. Nam in Eucharistia non solum frangitur & manducatur panis; sed etiam pronuntiantur hæc verba: *Hoc est Corpus meum, quod pro nobis tradetur.* Hæc autem verba clarius significant passionem Christi, quam sola manducatio, & immolatio Agni Paschalis.

Respondeo, hoc argumentum non iuuat Calvinistas, quia verba consecratoria non sunt de essentia huius Sacramenti, ut ipsi volunt. Hoc tripliciter ostendo. Primo, quia ipsi contendunt hoc Sacramentum in sola sumptuone consistere, ut dixi, cap. 15. quest. 1. Secundo, quia illa

266 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
verba secundum Caluingum sunt promissoria, ut *ibid.* ostensum est. At verbæ promissoria non pertinent ad essentiam Sacramenti. Distinguuntur enim secundum Caluinistas, verba promissoria à Sacramentis, sicut diploma distinguitur à sigillo, vel sicut foedus à signo foederis. Vnde Calvinus, *lib. 4. Inst. cap. 14. §. 1.* dicit Sacra menta esse appendicem promissionum. *Terzo*, quia ipsi passim clamant verba consecratoria nihil esse aliud, quam magiam & incantationem. Ergo non possunt inde probare Eucharistiam esse præstantiorem Agno Paschali in ratione signi.

Respondeo secundo, et si concederemus aduersariis nostra Sacramenta esse præstantiora veteribus in ratione significandi, tamen hoc non sufficeret. Nam Scripturæ, & Patres volunt nostra esse præstantiora, quoad vim conferendi gratiam, ut alibi probauit; & nominatim Eucharistiam esse omnium Sacramentorum præstantissimum ratione rei contentæ; quod verum non esset, nisi realiter contineret Christum.

QVÆSTIO IV.

An presentia Corporis Christi in Eucharistia probari possit ex promissione?

1. **C**atholici docent Christum promisisse Eucharistiam antequam illam in ultima Cœna institueret; promisisse autem *Ioan. 6. v. 51.* his verbis: *Panu, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita;* vel, ut habet Græcus textus, quem sequitur Beza: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Est ergo quæst. an in illo capitulo agatur de Sacramento Eucharistia, & de Sacramentali manducazione: Et, si agitur, an inde probari possit Christum esse realiter præsentem in Eucharistia.

2. Aduersarij bipartiti sunt. Aliqui concedunt ibi agi de Eucharistia, & de Sacramentali manducazione, ut inde probent communionem sub utraque specie esse necessariam. Sic enim interpretantur illa verba sequentia: *Nisi manducaveritis carnem Christi hominis, & bibere eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ita Hussites & quidam Lutherani,

Alij

Alij negant agi de Eucharistia & Sacramentali manduca-
tione, ne cogantur fateri carnem & sanguinem Christi esse
verè præsentem in Eucharistia. Dicuntque agi de spirituali
manducatione per fidem, quæ sit extra Sacramentum. Un-
de per panem intelligunt Christum, quatenus fide percipi-
tur sine illa relatione ad species Sacramentales. Ita
Zuinglius, in lib. de vera & falsa relig. c. de Eucharist. Oecolamp.
in lib. de verbis Dom. hoc est Corpus meum. Caluin. 4. Inst.
17. §. 33. Pet. Martyr. in lib. cont. Gardin. part. I. in solut. obiecti.
32. Et alij passim.

3 Catholici etiam bipartiti sunt. Aliqui, sed valde pauci,
negant agi de Sacramento Eucharistie, ut euadant argu-
mentum Husitarum, & Lutheranorum inde probantium
utramque speciem esse in præcepto. Ita Gabriel 84. super
can. Missæ. Nic. Cusanus epist. 7. ad Bobem. Cajet. 3. p. q. 80.
art. viii. Tapperus in explic. art. 15. Louaniens. Ioan. Heselius
in lib. de commun. sub una specie. & Corn. Iansenius cap. 59.
concordie. plerique istorum sunt Louan. Reliqui omnes
constanter docent agi de Sacramentali manducatione, ut
inde probent præsentiam Corporis Christi in Eucharistia.
Hoc loco relictæ controuersia de communione sub utra-
que specie, solum disputabimus de præsentia Christi in
hoc Sacramento.

4 Conclusio prima, in c. 6. Ioan. agitur de triplici cibo.
Primo de materiali, *secundo* de spirituali, *tertio* de Sacra-
mentalii. Et quidem in princ. c. agitur de panibus à Chri-
sto multiplicatis, quibus turbæ fuerant satiatæ. Et quia tur-
bæ ob hoc miraculum sequebantur Christum, inde sumpta
occasione hortatur illos, ut potius querant cibum spiri-
tualem, quam corporalem dicens: v. 27. *Operamini non ci-
bum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Tandem
v. 51. promittit eis cibum Sacramentalem, inquit: *Panis
quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Quod autem loquatur de cibo Sacramentali, probatur
primo, ex communi consensu omnium Patrum & interpre-
tum apud Maldonatum. *secundo* ex Conc. Eph. in epissola
ad Nestorium, & Tridentino sess. 13. c. 2. Accedunt etiam va-
riæ rationes. *Prima* sumitur ex illis verbis citatis: *Panis,*
que[m]

268 CAP. XVIL DE SACRAMENTIS
quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.
Hic loquitur Christus de futuro tempore. Hoc non faceret, si per panem intelligeret seipsum, quatenus fide percipitur extra Sacramentum. Nam manducatio Christi, quæ fit per fidem extra Sacramentum Eucharistie, non erat tunc primùm futura, sed pridem vstata. Nam etiam Patres veteris Testamenti manducauerunt Christum per fidem, ut fatetur Pleſsus lib. 4. de Eucharistia, c. i. & omnes Calvinistæ. Loquitur ergo Christus de Sacramentali manducatione quam postea instituit.

Secunda ratio sumitur ex illis verbis v.58. Non sicut manducauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt; vbi promittit Christus, se daturum aliquid Iudeis manducandum, quod non manducauerunt eorum Patres. Ergo non loquitur de manducatione fidei, sed de manducatione Sacramentali in Eucharistia. Nam secundum Calvinistas antiqui Patres manducauerunt Christum per fidem. Si ergo de illa manducatione loqueretur Christus, nihil noui promitteret.

Tertia ratio sumitur ex institutione huius Sacramenti. Constat enim Christum in vltima Coena instituisse Eucharistiam per modum cibi & potus, & dixisse: *Hoc est Corpus meum. Hic est sanguis meus. Accipite, manducate, bibite.* At verba huius capituli sexti sunt planè similia. Hic enim dicit, *Qui manducat meam carnem, & biberit meum sanguinem: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Vtrobique ergo loquitur de eadem re; & quam vno loco instituit, altero promisit.

Quarta ratio sumitur ex persona Christi, qui solebat maiora mysteria priùs insinuare, & prædicere antequam re ipsa fierent. Sic antequam Baptismum institueret, dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Antequam moreretur, dixit: *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum.* Antequam in coelum ascenderet, dixit: *Modicum & non videbitis me, quia vado ad Patrem.* Antequam mitteret Spiritum sanctum, dixit: *Ego rogabo Patrem,*

& alium

& alium Paracletum dabit vobis. Cur autem hæc omnia prædixerit, reddit causam his verbis : *Vt, cum factum fuerit, credatis : ut non scandalizemini, quia ego dixi vobis.* Ergo omnino credendum est, propter eandem causam, prædictissimum mysterium Eucharistiae antequam illud institueret. At non alibi prædixit, quam in hoc capite.

Confirmatur ex euentu. Cùm enim Christus in ultima Cœna institueret hoc Sacramentum, & diceret: *Hoc est Corpus meum, accipite & manducate;* Apostoli nihil turbati sunt, nihil dubitarunt, nihil interrogarunt. Ergo signum est antea fuisse à Christo instructos. Si enim nihil vaquam de Sacramentali manducatione carnis Christi audinissent, procul dubio fuissent mirati, & petiuissent rem sibi explicari. Hoc enim facere solent in rebus etiam multò minoribus.

Quinta ratio sumitur ex persona Iudeorum, de quibus dicitur v.52. Litigabant ergo Iudei ad iniicem dicentes : quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Hinc enim colligitur Iudeos putasse Christum aliquid nouum, & mirandum promittere. Christus autem non correxit illorum opinionem ; sed potius confirmauit, dicens : *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis.* At nihil fuisset nouum & mirandum, si tantum voluisset significare, quod oportet credere in Christum. Nam etiam in Testamento veteri hoc facere oportuit.

Sexta ratio ex persona discipulorum dicentium : Durus est hic sermo, & quis potest cum audire ? Christus autem non molliuit duritiem sermonis, sed dixit : *Vultis & vos abire ?* quasi dicat : oportet credere, quod dixi de manducatione meæ carnis, & qui non vult credere, abeat.

Septima ratio sumitur ex absurdis, quæ sequerentur. Primo enim sequeretur Christum nunquam explicuisse fructum aut excellentiam Eucharistie si hoc loco non fecisset. Secundo, nullum dedisset præceptum de Eucharistia percipienda. Nam quod dixit in ultima Cœna : *Accipite, manducate, bibite, illis solis dixit, qui tunc aderant.* Quod autem addidit : *hot facite in meam commemorationem,* præcepti formam non habet, sed tantum explicatur, quem

270 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
quem ob finem id facere debeant, quotiescumque fe-
cerint. *Tertio*, sequeretur Ioannem in tōto suo Euange-
lio nunquam meminisse Eucharistie si hoc loco non me-
minit; quod Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum. c. 1.
reputat absurdum, & dicit Ioann. nihil scripsisse de Cœna
Domini in proprio loco, ut ceteri fecerunt, quia iam antea
de ea re scripsérat.

5 Secunda Conclusio. Ex dicto capite efficaciter conclu-
di potest Christum esse verè præsentem in Sacramento Eu-
charistie. Ipse enim loquens de hoc Sacramento, sic ait:
Panis, quem ego dabo, caro mea est. Vbi expresse (*caro*) vo-
catur ipse panis Eucharisticus. Hoc autem propriè non
figuratē intelligendum probatur præter auctoritates Pa-
trum, tribus rationibus.

Prima ratio sumitur ex comparatione huius panis cum
Manna. Christus enim contendit hunc panem, quem da-
turus erat, præstantiorem esse Manna. Sed simplex panis
ob solam significationem Christi, non est præstantior, quam
Manna, ut suprà probauit. Confirmatur, quia Christus ali-
quid promittit, quod antiqui Patres non habuerunt. At
carnem Christi per figuram habuerunt in Agno Paschali.
Ergo non promittit figuram suę carnis, sed promittit
ipsum carnem.

Secunda ratio sumitur partim ex dubitatione Iudæorum
dicentium: *quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad
manducandum?* Partim ex offensione discipulorum dicen-
tium: *Durus est hic sermo, & quis potest eum capere?* Utique
enim intellexerunt veram carnem à Christo promissam, ut
ex verbis eorum patet. Sed Christus eorum opinionem
confirmavit cum maiori attestatione dicens: *Amen, amen
dico vobis: nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. non
habebitis vitam in vobis.*

Tertia ratio sumitur ex illis verbis, v. 62. *Hoc vos scanda-
lizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendenter ubi erat
prīus. Quasi dicat: hoc vos scandalizat, quod carnem meam
vobis edendam dare velim? Quid ergo facietis, quando
in cœlum ascendero, & tam procul abiuerit Corpus
meum: quomodo tunc poteritis credere idein Corpus
vobis*

vobis in Eucharistia præsens exhiberi? Ita explicat Chrysostomus, & plerique alij.

Vnde confirmatur cōclusio. Nam si Christus solum promisisset corpus suum fide percipiendum, non fuisset difficultius, sed multò facilius Apostolis illud fide percipere post Ascensionem Christi. Nam Ascensio ab Apostolis conspecta corroborauit illos vehementer in fide.

6. Prima Obiectio. Christus apertè fatetur se loqui de mandatione spirituali, quæ fit per fidem. Cùm enim dixisset Iudæis: *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in æternum;* dixerunt Iudæi: *quid faciemus ut operemur opera Dei?* Respondit Christus: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum.* Confirmatur primo, ex verbis in v. 35. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet:* & qui credit in me, non satiet unquam: vbi satis indicat se loqui de pane, qui credendo manducatur. Secundo, confirmatur ex S. August. qui tract. 25. in Ioann circa hunc locum, sic ait: *quid paras dentem & ventrem? crede & manducabis.*

Resp. Suprà dixi Christum in prima parte huius capitilis agere de cibo corporali, in secunda de spirituali, in tertia de Sacramentali: quæ adferuntur in obiectione, pertinent ad secundam partem capitilis, in qua fatemur agi de mandatione spirituali, quæ fit per ipsam fidem. Et sanctus Augustinus explicandus est secundum eandem distinctionem partium capitilis.

7. Secunda Obiectio. Christus agit de illa mandatione, quæ dat vitam, iuxta illud v. 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sed sola manducatio spiritualis per fidem dat vitam. Ergo de illa sola agitur. Resp. negatur minor, quia etiam Sacramentalis manducatio dat vitam.

Dices: non dat vitam sine fide. Resp. fides requiritur ex parte subiecti, non ex parte Sacramenti.

Tertia Obiectio. Christus v. 63. dicit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hoc loco Christus ea, quæ habentus dixerat, fatetur se non loqui de carne sua propriè & materialiter, vt Iudæi perpræram intelligebant: sed spiritualiter & metaphorice.

Resp.

Resp. Christus hoc dicit, ut tollat falsam imaginationem Iudeorum, qui putabant carnem Christi in propria specie manducandam esse sicut aliæ carnes comeduntur ad nutrimentum corporis. Vnde constat eos partim bene, partim male intellexisse verba Christi. In eo bene, quod putarent veram carnem Christi manducandam. In eo male, quod putarent more aliarum carnium comedendam esse. In priore punto confirmat eos Christus, cum ait: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis.* In posteriore reprehendit, cum ait: *Caro non prodest quicquam.* 1. Caro sola, vel sensus vester, ut alij explicant.

8. Quarta Obiectio. Si illa verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* intelligas de pane Eucharistico, cur Papistæ dicunt non manere panem in Eucharistia, sed tantum accidentia panis? Resp. Martyri; nomen panis sumitur ibi generativi pro cibo, ut sensus sit: cibus quem ego dabo in Eucharistia, est mea caro.

9. Quinta Obiectio. Christus in toto illo capite nullam facit mentionem fractionis aut distributionis, aut testamenti, aut memorie passionis suæ. Ergo non agit de Eucharistia, ad quam illæ actiones omnes pertinent. Resp. non erat opus, ut in promissione faceret horum omnium mentionem: Satis erat exprimere id quod erat præcipuum; nempe mandationem carnis, & bibitionem sanguinis: cætera reiecit ad tempus institutionis.

10. Sexta Obiectio. Aliqui Patres exponunt spiritualiter, quæ narrantur in illo capite. Nam Clemens Alexand. lib. 1. paedag. c. 6. per carnem & sanguinem Christi intelligit verbum Dei, quo spiritualiter animur & inebriamur. Basil. Epist. 141. intelligit doctrinam Christi, & mysticum eius aduentum. Hieron. in Psal. 147. intelligit Scripturas. Resp. verba Scripturae possunt dupliciter exponi, literaliter & mystice. Nos hic disputamus de literali sensu. Patres autem citati mystice interpretantur verba Christi: Nusquam tamen negant ad literam intelligenda esse de Sacramentali mandatione. Imò alibi id affirmant, præfertim Bas. lib. 1. de Bapt. c. 3. & Hieron. in Epist. ad Helvidiam, quest. 2.

II Septima Obiectio. Augustinus lib.3. de Doct. Christ. c.16.
in 3. tomo, apertè dicit, figuratè, & non propriè intelligendum esse illud : *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis.* Tradit enim generalem regulam, ex qua discerni possit, quando Scripturæ verba propriè & quando figuratè intelligi debeant. Et ex illa regula infert suprà dicta verba figuratè accipienda esse.

Est autem hæc regula, ait S. Augustin. *si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata.* *Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Hæc autem locutio : *nisi manducaueritis carnem Filij hominis, facinus vel flagitium videtur iubere.* Figura ergo est præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Et hæc omnia sunt verba S. Augustini.

Resp. Solutio indicata est in tertia obiectione. Quando enim S. Augustinus dicit figuratam esse hanc locutionem : *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*; non ponit figuram vel in ipsa carne, vel in manducatione carnis; sed in modo manducandi carnem. Concedit enim in Eucharistia esse carnem Christi propriè dictam, & non tantum figuram carnis: Concedit illam propriè manducari, quod ad substantiam manducationis attinet. Negat modum manducationis esse proprium. Non enim caro Christi propriè occiditur, coquitur, & scinditur sicut aliæ carnes, sed tantum figuratè. Repræsentat enim nobis & in memoriam reuocat, quomodo à Iudeis sit occisa & dilacerata.

Hanc esse mentem S. Augustini duplice probari potest. Primo, quia dicit etenus figuratè intelligenda esse verba Christi, quatenus videntur iubere facinus aut flagitium. Estet autem flagitium carnem Christi occidere & secare in partes, non autem Sacramentaliter manducare. Secundo, quia ipse alibi explicat, quis sit sensus literalis, qui videatur sonare flagitium, nempe is, quo Capharnaïtæ intellexerunt verba CHRISTI, qui putabant carnem

274 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
CHRISTI esse laniandam sicut in macello fieri vide-
mus, & vnicuique particulam distribuendam.

Hunc sensum reiicit S. Augustin. vt patet in tract. 27. in
Ioan. & in *Psalm. 98.* Quod autem dicebat in citatis verbis
S. August. per illa verba: *nisi manduaueritis, &c. mandari no-*
bis vt communicemus passioni Christi, & eam mente re-
colamus, nihil aliud volebat, quam quod vult Apostolus
1. Corinth. 11. v. 26. cum ait: *quotiescumque manducabitis panem*
bunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec
veniat.

Q V A E S T I O V.

*An præsentia Corporis Christi in Eucharistia probari
possit ex Institutione?*

1 **V**erba institutionis sunt hæc: *Hoc est CORPVS
MEVM.* Quæstio est an ex illis probari possit præ-
sentia Christi in Eucharistia. Tota difficultas in eo est, an
illa verba propriè an figuratè intelligenda sint. Aduersarij
figuratè interpretantur, licet inter se non conueniant. Nam
aliqui ponunt tropum, seu metaphoram in pronomine
H O C, alij in verbo **E S T**, alij in nomine **C O R P V S**,
alij denique in nomine **M E V M**.

2 Hinc ortæ sunt variæ expositiones. Referam tres tan-
tum hodie celebriores. Prima est Zuinglij in libro de vera
& falsa Relig. cap. de Eucharistia. Et in libro, qui inscribitur:
Subsidium de Eucharistia. Vbi sic explicat: *Hoc est Corpus
meum, id est, hic panis significat Corpus meum.* Hanc exposi-
tionem dicit se accepisse in somnio à quodam monitore, ne-
que tamen ater an albus fuerit meminisse.

Secunda est Oecolampadij in libro de genuina exposi-
tione horum verborum, vbi sic explicat: *Hoc est Corpus
meum, id est, hic panis est figura Corporis mei.* Hæc exposi-
tio non differt à præcedenti, nisi tantum in modo loquen-
di: Nam Zuinglius ponit tropum in **E S T**, Oecolampa-
dius in **C O R P V S**.

Tertia est Caluini 4. *Instit.* 17. §. 21. qui sic explicat: *Hoc est
Corpus meum, id est, hic panis est figura Corporis mei, non
tamen*

tamen nuda figura, ut vult Oecolampadius, sed efficax, quæ rem ipsam exhibeat. Quomodo autem hoc intelligendum sit, obscurè colligi potest, quæ suprà dixi, quæst. i. de sententia Caluini.

Hæ tres expositiones Sacramentariorum in duobus conueniunt. Primo, quod dicant per pronomen H o C designari panem. Secundo, quod negent Corpus Christi propriè esse in Eucharistia. Omitto hic Lutheranos, qui in priore puncto cum illis conueniunt, in posteriore discrepant. Farentur per H o C, designari panem: addunt tamen Corpus CHRISTI propriè esse in Eucharistia. Vnde sic explicant verba institutionis: *Hoc est Corpus meum*, id est, hic panis est CORPVS meum. Sed contra hos infrà agamus de transubstantiatione, nunc solùm contra Sacramentarios, id est, Zuinglianos & Caluinistas disputamus.

3 Prima Conclusio. Institutio Eucharistiz continetur his verbis. *Hoc est Corpus meum*, quod pro vobis datur. LUC. 22. v. 19. Item: *Hoc est Corpus meum*, quod pro vobis frangitur, vel habet Græcus textus 1. Corinth. 11. v. 24. Item: *Hic est sanguis meus noui Testamenti*, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Matth. 26. v. 28. Item: *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine*, qui pro vobis funditur; vel vt clariùs habet Græcus textus: *Hoc poculum noui Testamentum est in meo sanguine*, quod pro vobis funditur. LUC. 22. v. 20.

4 Secunda Conclusio: Circa hanc institutionem tria notanda sunt. Primo, quod hæ duæ formæ verborum: *Hoc est corpus meum*: & *Hic est sanguis mens*, debeant eodem sensu explicari. Vel enim ambæ sunt propriæ, vel ambæ metaphoræ. Secundo, quod Christus dicat in præsenti tempore: *Hoc est Corpus meum*, quod pro vobis frangitur. Hinc colligit Maldonatus, non agi de Corpore Christi in cruce, sed in Cœnam. Nam in Cœna fractum est, non in cruce; iuxta id: *Os non comminuetis ex eo*. Alij tamen contra sentiunt. Tertio, quod Christus dicat calicem fundi, in quo est Sanguis, non autem vinum fundi. Hoc etiam intelligit Maldonatus de fusione Sanguinis in Cœna: alijs de fusione Sanguinis in cruce. Hæretici volunt hoc, sed querenda ab iis explicatio est.

5 Tertia Conclusio : Hæc verba institutionis , *Hoc est Corpus meum* , debent propriè intelligi , non metaphorice. Probatur primo , quia omnes antiqui Patres & Interpretes sic intelligunt. Secundo , quia communis regula explicandi Scripturam est , vt verba propriè intelligantur nisi aliquid obstat. At nihil obstat , quo minus citata verba propriè intelligantur. Nec aduersarij quicquam afferunt , nisi quod ipsis videatur impossibile vnum corpus esse simul in diuersis locis. Hoc autem non esse impossibile infra ostendam.

Tertio probatur , quia metaphorica interpretatio Aduersariorum merito debet esse suspecta , tum quia noua est , tum quia à malo spiritu videtur esse profecta & suggerita , vt ex confessione Zuinglij patet.

Quarto probatur , quia testamenta debent fieri propriis & perspicuis verbis , vt in iure Ciuii cautum est , alioqui sunt occasiones multarum litium. At institutio Eucharistie est quoddam testamentum. *Lucæ 22.vers.20. Hic est calix nouum Testamentum in meo Sanguine.* Confirmatur , quia si testator legasset tibi domum , procul dubio , intelligeres domum propriè dictam legatam esse , non autem imaginem aut figuram domus.

Quinto probatur , quia nulla apparet metaphora in dictis verbis , vt patet.

6 Quarta Conclusio: Quando Christus dixit : *Hoc est Corpus meum* , per pronomen (*Hoc*) non intellexit panem , vt male interpretantur Aduersarij , ac proinde ex illa parte nihil contra nos efficiunt. Probatur à simili , quia cùm dixit : *Hic est Sanguis meus* ; per (*Hic*) non intellexit vinum , alioqui debuisset dicere : *Hoc est Sanguis meus*.

Dices : Aduersarij concedunt Christum dixisse , *Hoc est Corpus meum* , *Hoc est Sanguis meus* , vt patet ex versione Theodori Bezae. Respondeo. Malè id concedunt. Vel enim putant pronomen (*Hoc*) accipi substantiè , vel adiectiùè. Si adiectiùè dicendum esset : *Hic est Corpus meum* : *Hoc est Sanguis meus*. Nam sensus esset : *Hic panis est Corpus meum* : *Hoc vinum est Sanguis meus*. At Calvinistæ non admittunt hanc locutionem & meritò , quia est aperte contra

contia textum : si autem putant pronomen (Hoc) sumi substantiæ, sicut reuera putant, iam dicendum esset : Hoc est Corpus meum, Hoc est Sanguis meus. Et in priore locutione (Hoc) designaret panem, in posteriore vinum : quod quidem illi admittunt, sed contra expressum textum. Nam Lucæ 22. vers. 20. sic legimus in Græco textu : *Hoc poculum nouum Testamentum est in meo Sanguine, quod pro vobis funditur.* Vbi pronomen (Hoc) designat poculum Sanguinis, quod pro nobis fusum est.

Beza non aliter potest soluere hoc argumentum, nisi negando textum Euangeliū esse integrum ; vnde ipse sic legit : *Hoc poculum nouum Testamentum est in meo Sanguine, quod pro vobis funditur,* quæ est apertè corruptela textus.

7 Prima Obiectio : Scriptura expresse significat pronomen H O C, accipi pro pane. Ioan. 6. v. 51. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Et 1. Cor. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est ?* Et cap. 11. v. 26. *Quotiescumque manducabis panem hunc, & calicem bibetis.* Et v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Et Act. 2. v. 42. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis.* Confirmatur, quia Christus loquebatur de eo quod habebat in manibus, quod frangebat & distribuebat. Sed panem habebat in manibus, panem frangebat & distribuebat. Ergo de pane loquebatur.

Respondent Catholici primo. Panem vocari, non quod sit, sed quod fuerit. Sicut serpens, in quem virga Moysis conuersa fuit, virga vocatur Exod. 7. vers. 12. & sicut surdi dicuntur audire & claudi ambulare, Matthæi 11. vers. 5. Secundo, panem vocari, quia refert speciem panis, sicut vocantur linguae quæ super Apostolos cederunt, Actorum 2. vers. 3. non quod linguae essent, sed quod linguae speciem præ fere ferrent. Addo ex Maldonato in caput 26. Matthæi, vers. 26. nomen PANIS posse accipi non pro vero pane materiali, aut pro figura panis, sed pro cibo quodam excellenti, ut cum dixit Christus Ioannis 6. vers. 51. *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* id est, cibus, quem ego dabo in Eucharistia, est mea caro.

Ad confirmationem respondeo. Christum habuisse panem in manibus ante consecrationem, qua peracta habuit corpus suum in manibus. Vnde sic dicimus: Christus accepit panem, benedixit, fregit, distribuit, perinde ferè est ac si dicas: Petrus percussit hominem, occidit & sepeliuit. Sicut enim in hoc exemplo percutitur quidem homo, non tamen sepelitur homo, sed cadauer hominis: Sic in altero accipitur quidem panis, non tamen distribuitur panis, sed Corpus Christi sub specie panis.

8 Secunda Obiectio: Pronomen *Hoc*, non designat Corpus Christi. Ergo designat panem, quia non datur tertium. Anteced. patet, quia Corpus Christi nondum est praesens quando pronunciatur pronomen *Hoc*, sed peracta dum consecratione. Quod autem non est praesens, non potest designari ut praesens.

Respondeo. Solutio pendet ex iis, quæ infra cap. 21. disputanda sunt. Nunc breuiter dico tria. *Prima*, pronomen *Hoc*, sumi adiectiuè, non substantiuè, sicut in simili exemplo: *Hic est sanguis meus: Hic est Filius meus dilectus.* *Secondo*, haec verba, *Hoc est Corpus meum*, esse practica, quia illorum incipit ibi esse Christi Corpus. *Tertio*, tunc esse vera, quando integrè prolata sunt. Nam veritas & significatio propositionis non est perfecta, nisi quando duo extrema per copulam unita sunt. Non sunt autem unita in vocali propositione, nisi quando voce prolatâ sunt.

Hinc sequitur, non esse querendum, quid significet pronomen *Hoc*, eo tempore, quo pronunciatur, antequam reliqua pronunciata sunt; sed quid significet in propositione iam completa & perfecta. Non enim significat aliquid determinatè, nisi quatenus determinatur per predicatum, cui coniungitur. Potest tamen aliquid vagè & indeterminatè significare antequam coniungitur predicato.

Vnde dupliciter spectari potest. *Primo* per se, quatenus sumitur extra perfectam propositionem: & sic habet vagam & indeterminatam significationem. *Secondo*, quatenus est

est subiectum propositionis, & sic determinatur eius significatio per praedicatum. Igitur in hac propositione: *Hoc est Corpus meum*, pronomen *HOC*, designat Corpus Christi, quia ad illud designandum determinatur praedicatum.

9 Quinta Conclusio: In illa propositione: *Hoc est Corpus meum*, verbum *EST*, non sumitur metaphorice pro significat, ut malè sumit Zuinglius; sed propriè, ut sumi solet in aliis propositionibus. Ratio, quia tunc sumitur propriè, quando significat copulam, seu unionem duorum extremorum inter se, ut fatentur omnes Grammatici & Dialectici. Atqui in dicta propositione significat copulam duorum extremorum inter se. Ergo sumitur propriè.

Hoc aduerterunt Calvinistæ, & ideo non ponunt tropum in verbo *EST*, sed in nomine *CORPVS*.

Prima Obiectio: Verbum *EST* in Scriptura sèpè sumitur pro significat: ut patet in his: *Agnus est phasæ*, seu *transitus Domini*: Exod. 12. vers. 11. *Petra erat Christus*. 1. Corinth. 10. vers. 4. *Ego sum vitis, vos palmitæ*: Ioannis cap. 15. vers. 5. *Septem boues pulchrae, & septem spicæ plenæ*, sunt *septem anni ubertatis*: Genes. 41. vers. 26. Ita Zuinglius cum suis.

Respondeo. In his & similibus locutionibus, si qua figura est, non hæret in verbo *EST*, sed in subiecto vel praedicato. Neque verbum *EST* sumitur ibi pro significat; sed praedicatum figuratè sumptum potest sic (significatiuè) accipi. v. g. Ponamus hanc esse figuratam propositionem, *Christus est petra*; ponamus esse hunc sensum: Christus significat petram; hinc tamen non sequitur verbum *EST* sumi pro significat; sed nomen petræ sumi metaphorice pro signo, vel figura petræ: Hoc patet ex resolutione. Nam hæc propositio: Christus significat petram; resoluta in hanc: Christus est significans petram: vel, Christus est signum petræ: vbi *EST* solùm est copula subiecti & praedicati.

10 Secunda Obiectio: Ipsimet Catholici agnoscent tropum in verbo *EST*, quia dicunt hunc esse sensum: *Hoc*

280 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
est Corpus meum, id est, Hoc fit Corpus meum: vel, trans-
substantiatur & conuertitur in Corpus meum, ut obiicit
Caluinus 4. Instit. 17. §. 20. & Petrus Martyr contra Gardi-
næum part. 3. & Plessæus lib. 4. de Eucharistia, cap. 2.

Respondeo. Falsum est Catholicos sic explicare. Do-
cent illi quidem ex illo verbo *E s t* colligi transsubstanc-
tiationem; non tamen docent verbum (*est*) poni pro
transubstantiari aut pro conuerti.

Dices cum Petro Martyre: Coguntur hæc docere, quia
dicunt illa verba, *Hoc est Corpus meum*, esse practica. Ergo
sunt similia illis: *Fiat lux*. Ergo debent sic explicari: *Hoc*
fit vel fiat Corpus meum.

Respondeo. Non est necesse, vt omnia verba practica
habeant eundem sensum. Deus in principio creationis di-
xit: *Fiat lux*; Christus in institutione Eucharistie dixit:
Hoc est Corpus meum. In sanando ægrotō dixit: *Tolle gra-
batum & ambula*. Item, *Vade, filius tuus viuit*. Item, *Mu-
tillor, dimissa es ab infirmitate tua*. Potuisset vti aliis verbis, si
voluisset.

II Sexta Conclusio: In hac propositione, *Hoc est Corpus
meum*, nomen C O R P U S non sumitur figuratè pro
signo vel figura corporis, vt volunt Caluinistæ, sed pro-
priè pro corpore Christi. Probatur primo, ex dictis; quia
pronomen *H o c*, non designat panem. Ergo hic sensus
non valet: *Hoc est Corpus meum*, id est, hic panis est signum
Corporis mei. Ergo Caluinistæ male sic explicant.

Probatur secundo, quia Christus dixit: *Hoc est Corpus
meum, quod pro vobis datur*. At, quod datur pro nobis, non
est figura corporis Christi. Sed ipsum Corpus; sicut, quod
effunditur pro nobis, non est figura Sanguinis, sed est ipse
Sanguis.

Dicent Caluinistæ, hunc esse sensum: *Hoc est Corpus
meum*, id est figura Corporis mei, quod dabatur pro vobis
in cruce.

Respondeo primo. Valde probabile est, Christum loqui
de suo Corpore, quod in Coena dabatur, non in cruce.
Loquitur enim in præsenti tempore: *Quod pro vobis datur,
frangitur, qui pro vobis effunditur*. Respondeo secundo, siue
Christus

Christus loquatur de suo corpore, quod in coena dabatur, siue quod in cruce; semper intelligi debet de corpore propriè dicto. Hoc manifestè conuincitur ex Lucæ cap. 22. v. 20. *Hoc poculum nouum Testamentum est in meo Sanguine, quod pro vobis effunditur.* Quæ verba non possunt intelligi de poculo vini, sed Sanguinis, quia poculum vini, nec in coena, nec in cruce pro nobis effusum est.

Probatur tertio, quia nomen calicis non sumitur figura-
tè, cùm dicitur *Hic est calix.* Ergo neque nomen Corporis, cum dicitur: *Hoc est Corpus meum.* Anteced. patet, quia Christus habuit verum calicem in manu. Dicent Caluini-
stæ, calicem sumi pro Sanguine. At hoc est absurdissimum. Tunc enim esset hic sensus: *Hic calix, id est, hic Sanguis meus, est nouum Testamentum in meo Sanguine.*

Dicent alij; calicem sumi pro figura Sanguinis. Hoc etiam absurdum est. Nam esset hic sensus: *Hæc figura Sanguinis mei est nouum Testamentum in meo Sangnine.*

Probatur quarto, quia verba Christi clara & simplicia sunt: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Nulla hic apparet figura, siue in verbis, siue in sensu. Et Euangelistæ nullam insinuant, vel explicant. Antiqui Patres nullam agnoscunt. Aduersarij nullam vel probabili arguento astruunt, vt patebit.

12 Prima Obieccio: In illis verbis: *Hic calix nouum Testamentum est in meo Sanguine;* est duplex figura: una in nomine calicis; altera in nomine Testamenti. Nam calix sumitur pro vino, secundùm Caluinum; vel Sanguine, secundùm Catholicos: tanquam continens pro re contenta per Metonymiam. Similiter testamentum sumitur pro signo, vel figura testamenti. Non enim vinum, aut Sanguis est propriè Testamentum, sed signum Testamenti. Vnde Matthæus dixit: *Hic est Sanguis meus noui Testamenti;* non autem dixit: *Hic est Sanguis meus nouum Testamentum.* Confirmatur primo, quia si vinum aut Sanguis esset propriè Testamentum, iam singulis diebus renouaretur Testamentum Christi, & præcedens antiquaretur. Secundo, necesse esset Christum sèpè mori, cum Testamentum non valeat, nisi intercedente morte testatoris.

Respondeo primo. Tametsi aliqui Catholici (Bellarmi-
nus) figuram concedant in nomine calicis , tamen non est
opus concedere.Sic enim habent Lucas & Paulus : *Hic ca-
lix nouum Testamentum est in meo Sanguine.* Vbi illa verba:
Hic calix in meo Sanguine, perinde valent atque hæc: *Hic ca-
lix mei Sanguinis,* ut patet ex canone Missæ. Atqui in his ver-
bis nulla planè est figura.Sicut enim propriè dicimus: Hoc
est vas aquæ;Hæc est amphora vini : ita propriè dicimus:
Hic est calix Sanguinis.Item,sicut propriè dicimus : Bibite
ex illo vase,vel ex illa amphora:sic etiam propriè:Bibite ex
illo calice.

Respondeo secundo. Nec in nomine Testamenti est villa
figura. Nam Testamentum propriè dictum duo significat.
Primo, voluntatem , seu dispositionem , seu promissionem
testatoris. *Secundo*,authenticum instrumentum, quo conti-
netur voluntas,dispositio, vel promissio testatoris, aut quo
applicatur nobis ius ad hæreditatem à testatore promis-
sam. Hoc secundo modo propriè vocari possunt Testa-
menta,non solùm biblia , quibus continetur voluntas Dei
testantis & promittentis ; sed etiam Sacra menta , quibus
applicatur nobis ius ad hæreditatem à Dō nobis promis-
sam. Vnde Circumcisio veteris Legis Sacramentum , per
quod dabatur Hebreis ius ad terram promissionis, propriè
vocatur Testamentum in Scriptura, Ecclesiastici 44.v.21. *In
carne eius stare fecit Testamentum.* Eadem Circumcisio dici-
tur etiam fœdus & signum fœderis. Gen. 17. v. 10. & 11. Et
utrumque propriè. Erat enim signum fœderis , vt fœdus
accipitur pro diuina promissione : & simul erat fœdus , vt
fœdus accipitur pro instrumento authentico , quo appli-
catur diuina promissio.

Inter omnia autem Sacra menta præcipue Eucaristia
dicitur Testamentum , tum quia est authenticum instru-
mentum , quo applicatur nobis ius ad hæreditatem : tum
etiam , quia continet apertissimam repræsentationem effu-
sionis Sanguinis Christi , quo sanctum est nouum Testa-
mentum,& à quo vim suam habet.

Ex his patet , quomodo propriè dictum sit non solùm à
Matth.& Marc.Hic est Sanguis mens noui Testamenti;sed etiam
à Luca

à Luca & Paulo : *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Nam in priori locutione sumitur testamentum propriè pro voluntate & promissione testatoris : in posteriori pro instrumento illius promissionis. Vnde sensus verborum Matth. & Marc.est: *Hic est Sanguis noui Testamenti,* id est, hic est Sanguis quo sanctitur voluntas & promissio Dei testantis. Sensus autem verborum Lucae & Paul.est: *Hic calix sanguinis mei est nouum Testamentum,* id est, hoc Sacramentum Eucharistiae sub specie vini est authenticum instrumentum , quo applicatur nobis ius ad hereditatem à Deo promissam.

Resp. Ad primam confirmationem, quod Sanguis Christi sub specie vini contentus sit propriè dictum Testamentum , & tamen non sequi singulis diebus renouari Testamentum , sed tantum repeti. Nam celebratio Eucharistiae quæ quotidie fit , non est noua institutio Testamenti , sed eiusdem repetitio. Vnde sicut unum & idem Testamentum, quod in charta scriptum est, potest saepius describi sine villa sua mutatione: sic Eucharistia potest saepius repeti, & tamen non ideo mutari.

13 Resp. Ad secundam confirmationem sufficere unam mortem Christi ad confirmandum Testamentum , quia Testamentum non renouatur, ut dixi, sed tantum repetitur. Vnde cadit Achilles Caluini. Et ex dictis sequitur. Sicut propriè dici potest: *Hic Sanguis est nouum Testamentum :* ita propriè dici potest: *Hoc Corpus meum est nouum Testamentum.* Sicut enim Sanguis Christi sub specie vini, & corpus Christi sub specie panis est propriè dictum Sacramentum; sic utrumque est propriè dictum Testamentum ; accipiendo testamentum pro instrumento authent. ut explicau. Secunda Obiectio sumitur ex illis verbis : *Accipite & manducate.* Nam Christi corpus non potest propriè manducari ore corporis , cùm non possit dentibus teri. Ergo cùm Christus dixit illa verba , non dedit manducandum suum corpus, sed panem, qui erat figura corporis.

Resp. Corpus Christi dicitur propriè manducari in Eucharistia , etiam si dentibus non teratur ; H o c , enim non requiritur ad rationem manducationis , sed sufficit sumere

& tran-

& transmittere cibum ab ore ad stomachum per instrumenta humana & naturalia, id est, linguam & palatum; alioqui senes & infantes edentuli propriè non manducarent, quod falsum est.

14 Tertia Obiectio: Si corpus accipitur propriè in illa propositione: *Hoc est Corpus meum*; vel significat solum corpus, vel totum Christum. Si solum corpus, Ergo corpus Christi erit ibi sine Sanguine, Anima & Diuinitate; quod est impie Christum distrahere, secundum Caluinum. Si totum Christum, iam erit confusa Battologia, cum dicimus: *Hoc est Corpus*, Et *Hic est Sanguis*, quia illa duo significant idem; immò poterit dici de calice: *Hoc est corpus meum*; & similiter poterit dici de pane: *Hic est Sanguis meus*.

Respondeo. Nomine corporis intelligi solum corpus, & nomine Sanguinis solum Sanguinem, & tamen non ideo distrahimus Corpus à Sanguine, quia necessariò coniuncta manent ob naturalem concomitantiam; licet illa coniunctio per verba citata non explicetur, sicut neque negatur. Simile est, si dicam: *Hoc est corpus Petri*. Hac enim locutione propriè significo solum corpus; nec tamen sequitur corpus Petri esse distractum ab anima, vel sine succo & sanguine.

15 Quarta Obiectio: Propositiones Sacramentales debent Sacramentaliter exponi. At hæc est Sacramentalis: *Hoc est Corpus meum*. Ergo debet exponi Sacramentaliter. Ergo significat panem esse corpus Christi Sacramentaliter, seu significatiuè. Hoc argumentum tanti fecit Caluin. in ultima admonitione ad VVestphal. ut de illo dixerit: *Hic murus aheneus es*. Idem habet Plessæus, & similiter triumphat.

Resp. Tribus modis potest aliqua propositio dici Sacramentalis. Primo, quia explicat Sacramentum, seu significationem Sacramenti, qualis est illa Apoc. 17. v. 7. & 9. Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet. Et Gen. 41. v. 26. Septem spicæ plenæ, sunt septem anni vertutatis. Secundo dicitur Sacramentalis, quia per eam Sacramentum instituitur, aut conficitur, qualis est illa: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

fancti. Item : *Hoc est Corpus meum. Tertio dicitur Sacramentalis, quia continet & significat aliquid reconditum mysterium, seu Sacramentum, qualis est illa: Deus est unus & trinus : Verbum caro factum est.*

Propositio primi generis semper est figurata, non item secundi & tertij generis.

16. Quinta Obiectio sumitur ex illo Matthæi 26. vers. 29.
Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Hæc enim verba dicta sunt à Christo post consecrationem calicis. Ergo etiam post consecrationem fuit vinum in calice. Ergo non fuit Sanguis, nisi figuratè.

Resp. Christus duo dixit Discipulis. *Primo*, se non amplius manducaturum Pascha cum ipsis. *Secundo*, nec amplius bibiturum vinum. Vtrumque dixit in coena Paschali ante institutionem Eucharistiæ. Hoc patet ex Luca cap. 22. vers. 15. vbi ait : *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et accepto calice gratias egit, & dixit : *Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Hæc Lucas, qui deinde subiungit institutionem Eucharistiæ. Vnde constat alium fuisse calicem vini, de quo Christus dicebat se non amplius bibiturum ; & alium fuisse calicem Sanguinis, de quo nihil tale dixit. *Vtriusque calicis meminit Lucas.*

Dices : Matthæus & Marcus narrant, Christum post institutionem Eucharistiæ dixisse, se non amplius bibiturum de vino. Respondeo. Lucas narrat, ante institutionem dixisse. Constat autem, Lucam narrasse rem eo ordine, quo contigerat ; reliquos Euangelistas non item. *Primo*, quia sicut Christus dixerat, se non amplius bibiturum vinum aut de vino, sic dixerat se non amplius manducaturum Pascha. Hoc autem dixit in coena Paschali ante institutionem Eucharistiæ. Ergo & illud. *Secundo*, quia illa verba : *Donec illud bibam nouum in regno Patris mei*, non possunt intelligi, nisi de cœlo. At in cœlo non erat bibiturus Sanguinem suum nec vere, nec metaphorice. Vinum autem meta

286 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
metaphoricè bibilitus erat, iuxta illud Luc. 22. v. 29. *Ego dispono vobis sicut dispositi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam in regno meo.* Ergo non de Sanguine, sed de vino dixit: *Non bibam a modo de genimine vitus.*

Fateor, quosdam aliter sentire, ut patet apud Maldonatum & alios Interpretes, sed hæc explicatio, quam posui, est maximè consentanea textui, & optimè soluit obiectionem Hereticorum.

17 Sexta Obiectio sumitur ex his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hic iubet Christus, ut Apostoli deinceps celebrent Eucharistiam in commemorationem ipsius. At commemoratione est rerum absentium, non præsentium. Ergo Christus non est præsens in Eucharistia, nisi figuratè tanquam in signo.

Respondeo. Christus iubet Eucharistiam deinceps celebrari in memoriam mortis & passionis suæ, quæ nunc absens est & præteriit; non autem in memoriam sui ipsius, quo ad substantiam, quæ in Eucharistia præsens est. Hoc patet ex illo 1. Cor. 11. v. 26. *Quotiescumque manducabis, &c. mortem Domini annunciabis.*

18 Septima Obiectio sumitur ex illo 1. Cor. 10. v. 3. *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt.* Hinc colligunt Caluinistæ, Iudeos manducasse eandem escam, quam nos manducamus. At illi manducarunt corpus Christi tantum in figura, idque per solam fidem. Ergo nos eodem modo manducamus.

Respondeo. Caluinistæ dupliciter peccant. Primo, quia Apostolus non dicit, Iudeos manducasse nobiscum escam, sed ipsos inter se eandem manducasse. Sic enim loquitur: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transferunt, & omnes in Moysi baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, &c.* Vnde patet, Apostolum non conferre Iudeos nobiscum, sed illos ipsos inter se. Vult enim ostendere, tametsi omnes perceperint eadem Dei beneficia, non tamen omnes placuisse Deo. Unde mox subdit: *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.*

Secundo peccant Caluinistæ, quia putant Apostolum loqui de mandatione spirituali per fidem, quæ secundum ipsos

ipso est propria electorum. Hoc autem falsum est, quia Apostolus loquitur de mandatione, quæ erat communis bonis & malis, ut ex dictis patet.

19 Octaua Obiectio sumitur ex illo Matth. 15. v. 17. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Atqui corpus Christi non emittitur in secessum, sed solus panis. Ergo corpus Christi non intrat in os, sed solus panis. Resp. Calvinistæ nugantur in citatione Scripturarum, & non curant de scopo & sensu illarum. Christus solum loquitur ibi de cibis communibus, qui sumuntur ad alendum corpus. Illi enim ordinariè tenent eum cursum, quem ipse describit. Hinc primo excipitur Eucharistia, quæ non sumitur ad alendum corpus, nec est cibus ordinarius & materialis. Secundo, excipitur ille cibus, quem Christus sumpsit post Resurrectionem. Non enim sumpsit ad alendum Corpus, sed ut probaret se non esse phantasma.

Quæres. Quid ergo sit de Eucharistia, quando intrat per os in ventrem? Resp. simul ac species panis & vini corruptæ sunt in stomacho per calorem naturalem, corpus Christi definit ibi esse sine ulla sui lassione, aut alteratione.

20 Nona Obiectio sumitur ex Ioan. 12. v. 25. *Vbi sum ego, illuc & minister meus erit.* At ministri Christi non sunt in Eucharistia. Ergo nec Christus: Ita Pet. Martyr. Resp. iam dixi Calvinistas nugari in citandis Scripturis. Possem retorquere ita: *vbi sum ego, illuc & minister meus erit.* At ministri Christi non fuerunt in cruce. Ergo nec Christus.

Quod ad rem attinet, sensus verborum Christi est hic: ministri mei mecum erunt in regno cœlorum, ut videant gloriam meam. Hoc clarius expressit Ioan. 17. v. 24. *Pater, volo, ut vbi sum ego, & illi sint mecum, ut videat claritatem meam.*

21 Decima Obiectio sumitur ex his scripturis, vbi dicitur Christus abire à nobis ad cœlum, sedere ad dextram patris, non esse nobiscum; ut Matth. 26. v. 11. *Semper pauperes habebitis vobiscum; me autem non semper habebitis.* Marc. 16. v. 19. *Assumptus est Iesus ad cœlum, & sedet ad dextris Dei.* Ioan. 16. v. 28. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Resp. Christus in propria specie non est nobiscum, sicut enim erat cum discipulis, sed sub specie panis & vini. An autem

288 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
autem fieri possit, ut eodem tempore sit simul in cœlo &
in terra, infra disputabitur.

22 Vndeclima Obiectio sumitur ex Matth. 24.v. 23. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* At Papistæ Christum dicunt esse hic aut illic in pixide. Ergo non est illis credendum. Resp. Christus monet ut caueamus impostores & Pseudoprophetas, qui se nomine Christi venditabunt. De quibus in eodem capite dicitur: *Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus;* & multos seducent. Hæc non possunt accommodari Eucharistia, quæ non agit concionatorem.

23 Duodecima Obiectio. Ex LUC 24.v.39. *Palpate & vide-te, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ex hoc loco sic argumentatur Caluin. lib. 4. cap. 17. §. 29. *Veritas carnis Christo teste probatur aspectu & contactu.* At in Eucharistia nihil videtur aut tangitur, nisi panis. Non igitur ibi caro, sed panis est.

Resp. possunt hic fieri duæ consequentiæ, scilicet affirmatiua & negatiua. Affirmatiua fecit Christus hoc modo: hoc palpatur & videtur. Ergo corpus est. Negatiua facit Caluinus ita: hoc non palpatur, nec videtur. Ergo non est corpus. Prior est bona, posterior non valet.

Q V A E S T I O VI.

An presentia Christi in Eucharistia probari possit ex usu huius Sacramenti?

1 **S**cripturæ testimonia de usu huius Sacramenti sunt duo, ex quibus conantur Catholici probare præsentiam Christi in Eucharistia. Vinum est 1. Corinth. 10. v. 16. *Catix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

2 Alterum est illud 1. Cor. 11. v. 27. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini.* Et infra: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* In his duobus testimoniorum multa sunt controværsa.

inter

inter nos & aduersarios. *Primo*, quid sit benedicere calicem & vinum. *Secundo*, quid sit frangere panem. *Tertio*, quid communicatio Corporis & Sanguinis Domini. *Quarto*, quid sit reum esse Corporis & Sanguinis Domini. *Quinto*, quid dijudicare Corpus Domini. Hæc partim explicabuntur cap. iii. partim alibi.

QVÆSTIO VII.

An præsentia Christi in Eucharistia probari possit ex Patribus?

1 **A**Duersarij iactant Patres pro se stare, Caluinus in *Vit. admonitione ad VVesp. sic scribit: Constat vetustos omnes scriptores, qui totis quinque saeculis post Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari. Similia habent Petr. Mart. in præfation. sue defensionis contra Gardin. & Boquinus in lib. de cœna Domini contra Heshusum. Sed hoc illorum mendacium pridem refutauit Bellarminus & multi alij. Ego, ne longus sim, colligam aliquot sententias Patrum clarissimè de hac re loquentium.*

2 **P**rima est Origenis *homil. 5. in diuersa loca Euangeliū*, vbi sic ait: quando manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus sub teclum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem & dicito: Domine non sum dignus, ut intres, &c.

Secunda est S. Hilarij *lib. 8. de Trinit.* *De veritate carnis & Sanguinis non est relatus ambigendi locus.*

Tertia est Cyrilli Hierosolymitani *Cathechesi 4. mystagoga*: Cūm Christus ipse dicat: Hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & docente: Hic est Sanguis meus: quis inquam dubitet & dicat non esse illius sanguinem? Et infrā: Aquam aliquando mutauit in vinum in Cana Galilææ, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutauit? Et infrā: sub specie panis datur tibi Corpus, & sub specie vini datur Sanguis. Et infrā: Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cūm eius Corpus & Sanguinem in membra nostra receperimus. Et infrā: Ne ergo consideres tanquam nudum panem & nudum

190 CAP. XVII. DE SÄCRA MENTIS
vinum. Corpus enim est, & Sanguis Christi. Et infrà: Hoc
sciens & pro certissimo habens panem hunc, qui videtur à no-
bis, non esse panem, etiamsi gustus panem esset sentiat, sed esse
Corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tamen si
gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem
Christi esse.

Quarta est Ambrosij lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. Panis
est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de
pane fit caro Christi. Et in libro de Mysteriis initiandis cap. 9.
Fortè dicas: aliud video, quomodo tu mihi afferis, quod Christi
corpus accipiam? Et hoc nobis supereft, ut adhuc probe-
mus. Quantis ergo utimur exemplis, ut probemus non hoc
esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecra-
uit, &c.

Quinta est Optati Mileuitani lib. 6. contra Armenianum:
Quid est altare, nisi sedes corporis & Sanguinis Christi? Et in-
fra: Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregisti
& calices Christi Sanguinis portatores.

Sexta est S. Augustini Conc. 1. in Psalm. 33. Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum
ait: hoc est Corpus meum: Ferebat enim illud corpus in mani-
bus suis.

Septima est Leonis Papæ, Serm. 6. de iejunio septimi mensis;
Sic Sacrae mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de ve-
ritate corporis & Sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumi-
tur, quod fide creditur.

Ottava est Damasceni lib. 4. de fide cap. 14. Dominus dixit:
Hoc est, non corporis signum, sed corpus: non Sanguinis signum,
sed Sanguis.

Nona est Epiphanij in 7. Synodo, actione 6. Nunquam in-
uenies neque Dominum, neque Apostolos, neque patres incruen-
tum illud Sacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem di-
xisse, sed ipsum corpus, & ipsum Sanguinem.

Decima est Theophylacti in cap. 26. Matthæi: Non dixit
hoc est figura: sed, hoc est Corpus. Ineffabili enim operatione
transformatur, etiamsi nobis videatur esse panis.

QVÆSTIO VIII.

An præsentia Christi in Eucharistia probari possit ex Miraculis?

1 **D**uplicia sunt miracula secundum S. Thom. *sup. quest. 29. art. 1. ad 2.* quædam sunt obiectum fidei, quia creduntur: quædam sunt motiva, vel testimonia fidei, quia iuuant, vel confirmant fidem. Vtrumque miraculorum genus reperitur in hoc Sacramento. Et quidem miracula prioris generis sunt quatuor præcipua. *Primo*, quod panis & vinum conuertantur in carnem & Sanguinem Christi. *Secundo*, quod accidentia panis & vini maneant sine subiecto. *Tertio*, quod Corpus Christi existat sine extensione locali. *Quarto*, quod simul existat in diuersis locis. De his omnibus agendum infrâ, quia ad præsentem quæstionem.

Miracula posterioris generis, quibus confirmatur præsentia Christi in Eucharistia sunt etiam varia. Quædam enim contigerunt ante Berengarij hæresin ortam, ut videbis apud Cyprianum, *Serm. de lapsis. Prosp. in lib. de prædicationibus, part. 4. cap. 6.* Gregorium *lib. 2. Dialog. cap. 24.* Et Petrum Diaconum *in vita eiusdem S. Greg.* Alia contigere post exortam Berengarij hæresim, de quibus Paschafius *in libro de Corpore & Sanguine Domini, cap. 14.* Et Quid mundus *lib. 3. de hoc Sacramento.*

Et his quoque miraculis ipse Berengarius ad eiurandam hæresin permotus est. Alia contigerunt post Ioannem VViclef, qui Berengarij hæresin renouauit, ut apud Thom. VValdensem *tom. 2. de Sacramentis, cap. 63.* vbi refert se præsente Londini in Ecclesia S. Pauli quendam VViclefistam ab Episcopo Cantuariensi inssum esse Eucharistiam adorare, & confiteri præsentiam Christi: hunc recusasse & dixisse araneam esse dignorem veneratione, quam Eucharistiam: mox horribilem araneam è summo templi tecto in os eius descendisse, & vix ab astantibus prohiberi potuisse, quin ipsas fauces penetraret.

2 Però hæc miracula, de quibus generatim dixi, possunt

iterum ad tria capita reuocari. Continent enim quedam Dei beneficia singularia, quæ conferuntur hominibus ex fide huius Sacramenti, ut est sanitas corporis, expulsio dæmonum, liberatio à naufragio & incendio. Quædam continent vltionem eorum, qui vel non credunt præsentiam Christi in Eucharistia, vel indignè illam tractant. Refert Optatus Mileu. *tib. 2. contra Parmen.* quosdam hereticos Eucharistiam suis canibus proiecisse, canes autem in dominos suos insurrexisse & dentibus dilaniasse. Quædam denique continent visiones, seu apparitiones, quibus ipse Christus in Eucharistia sub forma pueri, aut carnis legitur apparuisse secundum Algerum *tib. 1. de hoc Sacramento,* & alios.

Et quidem prima miracula fiunt præsertim propter fidèles; media ob infideles; postrema propter dubios.

Dices: non videtur ex his miraculis colligi præsentia Christi in Eucharistia, quia possunt fieri, etiam si Christus non sit præsens. Sicut multa fiunt per imaginem S. Crucis, in qua Christus non est.

Resp. præsentia Christi in Eucharistia non colligitur præcise ex miraculis, quatenus miracula sunt, sed quatenus fiunt ex fide præsentiae & veritatis, vel certè in eiusdem veritatis testimonium & confirmationem.

QVÆSTIO IX.

An præsentia Christi in Eucharistia probari possit ex antiqua Ecclesiæ praxi?

1. EX hoc capite multa peti solent argumenta. *Primum* est, quod Christus in Eucharistia solitus sit adorari, & innocari. *Secundum*, quod Sacerdotes semper sint habiti in summo honore, eo quod Corpus Christi suo ore conficerent. *Tertium*, quod ex fide præsentiae Christi cautum sit, ut Eucharistia non nisi à iejunis sumatur. *Quartum*, quod ex eadem fide nemo permisus sit accedere, nisi præmissa diligenti peccatorum confessione.

2. Hæc & alia ex antiquis Patribus & historiis collegebunt Greg. de Valentia, *quest. 3. punto 1. §. 6. Suar. disput. 46. sect.*

seq. & alij. Videri etiam potest Gretserus in libro qui inferbitur Murices: vbi demonstrat ex antiquis & communibus loquendi modis Germanorum, Christum esse presentem in Eucharistia.

QVÆSTIO X.

An præsentia Christi in Eucharistia probari possit ex ipsis aduersariis?

I **Q**VATUOR argumenta sumi possunt ex parte aduersariorum. Primum ex Caluini & eius associarum verbis. Caluinus disertè & sèpè docet corpus & Sanguinem Christi verè ac realiter esse in Eucharistia; & verè ac realiter à nobis participari. Hoc partim ostendi suprà cap. 17. propos. 2. partim nunc ostendam. Igitur in libello de cœna Domini sic ait: *Non est figura nuda & simplex, sed veritatis sue & substantiae coniuncta: Merito igitur panis appellatur corpus, cum id non modo represe[n]tet, verum etiam nobis offerat.* Et infrà: *Necesse est igitur nos in cœna verè corpus & Sanguinem Christi recipere.* Et infrà: *fatendum est, quemadmodum panis in manu distribuitur, ita corpus Christi nobis communicari.* Et infrà: *intelligimus Christum nobis in cœna veram, & propriam corporis & sanguinis sui substantiam donare.*

Idem in cap. 11. prioris ad Cor. ait: *Christus visibile illud Symbolum nobis porrigo[n]do, vñā dat etiam nobis suum corpus.* Neque enim fallax est, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi est extra controversiam veritatem hic cum suo signo conjunctam esse. Et infrà: *Concludo realiter, ut vulgo loquuntur nobis in cœna dari Christi corpus.* Hæc contra Zuinglium habet Caluinus, sed sunt pro nobis.

Similia habet Plessæus lib. 4. de Eucharistia c. 2. Sic inquiens: *dum sacra cœna ex præscripto Christi celebratur, Christum realiter & substantialiter accipimus.* Vnde patet Caluinum & Plessæum planè loqui more Catholicorum de præsentia Christi in Eucharistia. Aut ergo Catholicæ bene sentiunt, aut illi male loquuntur: vel certè aliter sentiunt, & aliter loquuntur; quod mihi persuaferim verius.

Secundum argumentum sumitur ex sensu & discursu

Caluini. Nam ex una parte reprehendit Zuinglium, quod nimis parum; ex altera Catholicos, quod nimis multum tribuant Eucharistiae. Zwinglius dicit Eucharistiam esse nudum signum Christi absentis, teste Caluino in libello de cœna Domini, in fine. Catholicci dicunt esse practicum signum Christi presentis. Si ergo Caluinus dissentit à Zwinglio, & plus vult tribuere Eucharistiae, quam Zwinglius, plane debet nobiscum sentire.

Ostendo hoc clarius: possumus concipere Christum, quatuor modis praesentem esse in Eucharistia. *Primo*, per signum, seu figuram. *Secundo*, per effectum suum. *Tertio*, per apprehensionem fidei. *Quarto*, per substantiam carnis & sanguinis sui. De tribus prioribus modis non est difficultas. Nam & Zwinglius & Caluinus & Catholicci concedunt Christum in Eucharistia participari à nobis, quoad tria priora membra. Qui enim dignè accedit ad sumptionem Eucharistiae, non solùm percipit externa Symbola panis & vini, sed etiam internam gratiam, qui est effectus Eucharistiae; & præterea fidem Christum apprehendit.

De his tribus nemo dubitat; de quarto est difficultas. Zwinglius Christum negat secundum substantiam carnis & sanguinis sui praesentem esse à nobis participari, Catholicci affirmant. Caluine te quæro an nobiscum consentias, an cum Zwinglio? Si nobiscum, res salua est. Si cum Zwinglio, cur palam profiteris te ab illo dissentire?

Iterum vrgeo hominem: vel Caluinus concedit substantiam carnis Christi nobis vniri, vel negat. Si negat, Zwingianus est, quod tamen minime vult. Si concedit, Catholicorum sententiam approbat. Fortè dicet se id concedere diverso sensu à Catholicis. Sed quis ille sensus est? Nam Christus secundum substantiam non potest nobis vniri, nisi dupliciter. *Primo*, per unionem Hypostaticam. *Secundo*, per unionem localem. Prior uno à nemine admittitur. Ergo vel posterior admittenda est, vel nulla. Si hanc admittit Caluinus, nobiscum sentit.

Dices: Præter illas duas uniones possunt esse aliæ tres. *Prima*, Sacramentalis, quæ fit per Symbolum externum. *Secunda* obiectiva, quæ fit per apprehensionem fidei. *Tertia* virtualis,

virtualis, quæ sit per effectum; sicut sol, &c. Respondeo de his quæstio non est vñionibus. Namque has tres opposui vñioni quæ sit per substantiam, vt suprà. Si ergo est aliqua vñio secundùm substantiam, quæ est distincta, &c. esse debet ab illis tribus, erit localis.

Si localem admittit Caluinus, nobiscum sentit: Si negat, per omnia Zuinglianus est Caluinus.

3 Tertium argumentum sumitur ex contradictione dupli- ci Caluini, scilicet verborum & rerum. Ac primò contradicit sibi ipsi in verbis. Nam aliquando desertè afferit corpus Christi esse verè & realiter in Eucharistia, vt iam ostendi: aliquando dicit esse in cœlo, & non alibi, vt patet ex quæst. i. propositione prima. Altera contradictio est in re. Nam cùm disputat contra quosdam Zuingianos, dicit manducare carnem & Sanguinem Christi non esse idem quod credere in Christum, sed aliquid sublimius; vt patet ex 4. Instit. 17. §. 5. Cùm autem disputat contrà Catholicos, dicit manductionem illam non fieri ore corporis, sed fidei. Hæc non cohærent.

Et quæro ex Caluino: an Sacramentalis manducatio carnis & Sanguinis Christi sit quædam actio manducantis? Hoc negari non potest. Non enim est actio cibi manducati, sed hominis manducantis. Iterum quæro: an illa actio sit interna, vel externa. Si externa est & corporis, non potest esse alia, quam quæ defenditur à Catholicis. Si interna est, non potest esse alia, quam quæ ponitur à Zuingianis, quos oppugnat Caluinus.

Ostendo, quia si est interna, vel est intellectus, vel voluntatis. Si intellectus, non est alia, quam fidei. Si voluntatis, que tandem illa est: hactenus non est nominata à Caluino.

4 Quartum argumentum sumitur ab origine vtriusque sententiae. Catholicorum sententia fundatur in clarissimis Scripturæ verbis, & communi PP. consensu recepta est, & nunquam antè Berengarij tempora publicè oppugnata. At Caluinistarum sententia pugnat cùm illis verbis Luc. 22. v. 20. *Hoc poculum nouum Testamentum est in meo Sanguine, quod pro vobis funditur.* Et communi Patrum consensu explosa est, & publicè in Ecclesia damnata. Imò quod amplius

Addo neminem ante Caluinum per omnia docuisse,
quod Caluinus docet, ut ipse fatetur in libello de cena Do-
mini, in fine.

Q V A E S T I O X I .

*An presentia Corporis Christi in Eucharistia possit
ratione naturali probari?*

SVprà dixi quatuor miracula in hoc mysterio reperiri.
Primo, conuersiōnem panis in carnē Christi. *Secun-*
do, existentiam accidentium sine subiecto. *Tertio*, existentiam
quantitatis sine extensiōne locali. *Quarto*, existentiam cor-
poris in diuersis simul locis. Nūc queritur quid ex solo lu-
mine naturali de his omnibus dici possit. Caluinistæ putant
tria posteriora esse impossibilia, & hoc probari posse suo
lumine naturali: quid Catholici sentiant, iam ostendam.

Prima Conclusio. Seclusa fide & rēuelatione Dei non
potest naturali ratione etiudenter demonstrari hoc myste-
rium esse possibile. Probatur, quia nullum est principium
naturale ex quo euidenter colligi possit tria posteriora mi-
racula esse possibilia.

Dices: Principium naturale est Deum esse omnipoten-
tem. Ex hoc autem euidenter colligitur illa miracula à
Deo fieri posse, alioqui non esset omnipotens? Respondeo.
Duo necessaria sunt, ut euidenter cognoscas aliquid esse
possibile: vnum ex parte Dei, ut euidenter constet illum
esse omnipotentem: Alterum ex parte obiecti, ut euidenter
constet nullam in eo esse contradictionem, seu non esse
contra naturam & essentiam illius; ut hoc vel illud ei con-
ueniat. Iam autem non est naturaliter euidentis, non esse
contra naturam accidentis existere sine subiecto, aut non
esse contra naturam quantitatis existere sine extensiōne
locali: aut denique non esse contra naturam corporis exi-
stere simul in diuersis locis.

Secunda Conclusio. Multò minus naturali lumine co-
gnosci potest hoc mysterium esse factum & institutum.
Probatur, quia ad hanc cognitionem duo requiruntur,

Primo,

Primo, ut cognoscas Deum hoc posse facere. *Secundo*, ut cognoscas eum voluisse facere. At neutrum naturaliter potest. Non primum, ut dixi. Nec secundum, quia libera Dei voluntas in rebus supernaturalibus non cognoscitur nisi ex reuelatione: sicut in naturalibus cognoscitur ex effectu Dei voluntas.

4 **Tertia Conclusio.** Tametsi lumine naturali cognosci non possit hoc mysterium esse factum vel possibile: potest tamen euidenter ostendi non demonstrari impossibile, id est, euidenter solui possunt omnia argumenta, quibus haeretici conantur probare hoc mysterium esse impossibile. Hoc patebit *infra*, cum de singulis miraculis seorsim disputabitur. Nunc generatim dico euidenter solui posse omnia argumenta ex lumine naturali petita, quae adferri solent non solum contra hoc mysterium Eucharistiae, sed etiam contra alia fidei Christianae mysteria; ut suppono *ex i. p. quest. 1.*

5 Nota *primo* argumentum, quod adfertur contra articulum fidei, aut peccare in materia, aut in forma. Si peccet in forma tantum, potest euidenter solui, quia vitium formae euidenter cognosci potest. Si peccet in materia, quod sit quando assumitur aliqua propositio falsa; distinguendum est. Tunc enim dupliciter solui potest. *Primo* negatiuè, quando non habetur euidentia de opposita propositione; sed tamen euidens est id quod assumitur in arguento, non conuincere intellectum ad sui sensum. *Secundo* positiuè, quando euidenter constat veritas oppositæ propositionis.

6 Nota *secundo* omnia argumenta contra articulo fidei facta euidenter solui posse negatiuè, nullum positiuè. Nam semper potest esse euidens id, quod assumitur in arguento, non conuincere intellectum ad sui sensum, licet non appareat euidentia oppositæ propositionis, sed obscure tantum credatur. Nunquam tamen potest haberi euidentia ipsius mysterij supernaturalis, contra quod directè sit argumentum.

QVÆSTIO XII.

Quidnam sit hec præsentia Christi in Eucharistia?

1 **O** Pinio prima est nihil aliud esse, quam indistantiam, seu negationem distantiae Corporis Christi a speciebus consecratis. Probatur primo, quia indistantia illa est sufficiens ratio ut Christus intelligatur realiter & substantialiter præsens accidentibus, quamvis in ipso nihil reale de novo producatur. Secundo, quia si dicamus aliquid reale produci in Christo per consecrationem, sequitur illum realiter mutari in consecratione, quod videtur absurdum, cum eius corpus sit gloriosum. Tertio, quia Verbum Diuinum potuit sine ulla sui mutatione fieri præsens substantialiter humanitati assumptæ. Ergo similiter Corpus Christi potest fieri præsens speciebus sine ulla sui mutatione.

Secunda opinio est, hanc præsentiam esse realem & substantialiem modum Corporis Christi. Primo, quia Concil. Tridentinum dicit, Corpus Christi substantialiter in Eucharistia contineri. Et D. Thom. quæst. 76. art. 3. dicit, Corpus Christi esse in hoc Sacramento per modum substantiæ. Secundo, quia Christi Corpus incipit hic esse per transubstantiationem. Ergo acquirit aliquid实质的. Tertio, quia Corpus Christi succedit in locum substantiæ panis, & vicem illius supplet substando accidentibus panis. At substare accidentibus est proprius modus substantiæ, & consequenter modus substantialis.

3 Tertia opinio hanc præsentiam esse relationem, seu respectum extrinsecus aduenientem, quo Corpus Christi referatur ad species consecratas.

Quarta opinio est, hanc præsentiam esse actionem Corporis Christi circa species consecratas, quas effectiue sustinet, ut possint sine subiecto subsistere. Sicut aliqui dicunt, Angelum esse præsentem Corpori per operationem quam circa illud exhibet.

4 Prima Conclusio : Corpus Christi in Eucharistia habet quoddam esse Sacramentale, in quo multa spectari possunt.

sunt. *Primo*, præsentia in loco. *Secondo*, præsentia cum speciebus consecratis. *Tertio*, vno cum eisdem speciebus. *Quarto*, modus existendi indiuisibiliter. De singulis breuiter dicendum est.

Secunda Conclusio: Præsentia Corporis Christi in loco seu spatio in quo sunt species consecratæ, est aliquid reale, posituum & intrinsecum Corpori. Prima pars probatur, quia Christum esse realiter præsentem in loco est effectus quidam realis. Ergo ipsa præsentia est aliquid reale, quia per præsentiam fit præsens realiter.

Antecedens patet, *primo*, quia Patres dicunt esse insigne opus diuinæ omnipotentiaz, quod Christus fiat hic præsens. *Secondo*, quia ratione huius præsentiaz à nobis sumitur realiter Christus, & intra nos exiit. *Tertio*, quia hæc præsentia est fundamentum relationis realis, nempe propinquitatis & distantiaz. Christus enim existens in altari realiter est nobis propinquior quam ante consecrationem. Est autem propinquior ratione præsentiaz. Ergo hæc præsentia est aliquid reale.

Secunda pars probatur, quia Christus non est realiter præsens per extrinsecam denominationem. Ergo per aliquid reale intrinsecū. Antecedens patet, quia nulla est forma realis extrinseca, à qua sumi possit illa denominatio.

Dices: Potest sumi à speciebus consecratis sine vlla mutatione Corporis Christi, sicut & Verbum diuinum denominatur homo ab humanitate illi vnta sine vlla mutatione ipsius Verbi.

Respond. Corpus Christi potest quidem à speciebus denominari contentum, vel aliquo modo illis vnitum: sed tamen eiusmodi denominationes supponunt præsentiam localem. Nisi enim præsens esset in illo loco in quo sunt species, non posset contineri sub speciebus, nec illis vniiri. Hæc autem præsentia localis non potest esse denominatio tantum extrinseca à speciebus; sed debet esse aliquid in ipso Corpore. Si enim nulla fieret realis mutatio in Corpore, & præsentia localis nihil aliud esset, quam extrinseca denominatio sumpta à speciebus, iam Christi Corpus manens in solo cœlo posset denominari extrinsecè præsens à specie

Nec est simile de Verbo Diuino. Hoc enim potuit sine villa sui mutatione vñiri humanitati , quia iam antea erat præsens in eo loco in quo erat humanitas. Est enim vbique præsens. Hinc confirmatur conclusio nostra , quia si Verbum Diuinum ante Incarnationem non fuisset vbique præsens , non potuisset humanitati realiter coniungi , nisi prius fuisset illi factum præsens , & localiter indistans.

Addo , si humanitas Christi esset vbique præsens , vt volunt Vbiquitarij , non esset opus aliqua mutatione , qua fieret præsens speciebus consecratis. Cùm ergo nō sit vbique præsens , debet fieri præsens per aliquam sui mutationem.

6 Tertia Conclusio : Hæc præsentia Corporis Christi in loco specierum consecratarum , est aliquid ex natura rei distinctum à substantia Corporis Christi , & ab omnibus accidentibus quæ in cœlo habet ; neque tamen distinguitur tanquam res à re , sed tanquam modus realis à re cuius est modus.

Prima pars probatur , quia Corpus Christi neque ex vi substantiæ suæ , neque ex vi illorum accidentium , quæ habet in cœlo , fit realiter præsens in hoc loco. Fit autem præsens ex vi præsentia localis. Ergo hæc præsentia est aliquid distinctum à substantia & accidentibus , quæ habet in cœlo. *Secundo* , quia hæc præsentia acquiritur per nouam actionem realem. Ergo distinguitur ab iis omnibus quæ erant ante in Christo. *Tertio* , quia potest amitti illis omnibus integrè remanentibus.

Secunda pars probatur , quia modalis distinctio sufficit , vt patebit. Ergo non opus est ponere realem.

7 Quarta Conclusio : Hæc præsentia Christi non est modus substancialis , sed accidentalis : neque pertinet ad prædicamentum relationis vel actionis , sed reducitur ad prædicamentum Vbi. *Prima pars probatur* , quia de ratione modi substancialis est , vt pertineat intrinsecè ad compositionem vel complementum substantiæ. Nam si substantia sit in suo genere integrè constituta & complementa , iam omnis modus illi adueniens debet esse accidentalis , & extra rationem substantiæ. Sed præsentia Christi in loco non pertinet

pertinet intrinsecè ad compositionem vel complementum substantiæ Christi. Ergo non est modus substancialis.

Minor patet, *primo*, quia Corpus Christi non minus est perfectum & completum substancialiter in cœlo, quam in altari. Sed in cœlo non habet præsentiam localem, quam hic habet. Ergo hæc præsentia nihil facit ad perfectionem, vel complementum substancialie. *Secundo*, quia præsentia localis supponit rem existentem & perfectam in suo genere, & solùm constituit illam in hoc, vel illo loco; quod est planè extrinsecum substantiæ creatæ. *Secunda pars conclusionis probatur*, quia hæc præsentia non potest esse relatio rationis, cum sit aliquid reale, ut dixi: nec est relatio realis, *primo*, quia est fundamentum relationum realium, nempè propinquitatis & distantiae, quæ resultant in Corpore Christi, ratione huius præsentia. Hæc autem præsentia nullum habet fundamentum ex quo resultet, sed per se producitur propria actione seu mutatione. *Secundo*, quia non habet terminum realem à quo essentialiter dependat. Nullus enim assignari potest, nisi forte species consecratæ. Sed ab his non pendet essentialiter, quia Corpus Christi posset retinere suam præsentiam localem destruetis speciebus. Hoc enim non repugnat.

Tertia pars probatur, quia si hæc præsentia esset actio, maximè esset actio Corporis Christi circa species consecratae, qua vel illas effectiū sustentaret, ut possint existere sine subiecto: vel illas eleuaret, ut possint esse physicum instrumentum gratiæ. At neutrum dici potest. *Primo*, quia Christus posset esse præsens destruetis speciebus, ut dixi. Ergo præsentia ipsius non est actio circa species. *Secundo*, quia actio agentis supponit præsentiam agentis. Ergo non est ipsa præsentia. *Quarta pars probatur*, quia cum hæc præsentia sit aliquis modus realis, nec pertineat ad prædicamentum substantiæ, vel relationis vel actionis, non potest aliò referri quam ad Vbi, cum quo habet maximam conuenientiam. *Primo*, quia sicut corpus naturale (v.g. homo, arbor) non solùm dicitur esse præsens in loco, quia habet superficiem ambientem, sed multò magis, quia habet modum existendi in spatio certo; qui modus non necessariò mutatur,

302 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
mutatur, etiam si superficies ambiens mutetur. Et hic modus
pertinet ad prædicamentum Vbi.

Sic etiam de Corpore Christi ratiocineris. Non enim
præcisè dicitur esse præsens, quia cōtinetur sub speciebus;
sed quia est in hoc loco vel spatio, in quo sunt species, &
in eo manere posset destructis speciebus: Ergo hic modus
præsentia reuocatur ad Vbi, sicut modus præsentia alio-
rum corporum. Hoc interest, quod alia corpora sint diuisi-
biliter in spatio, Corpus Christi indiuisibiliter. Est enim
totum in toto, & totum in qualibet parte, ut *infra*.

Secundo, quia Corpus Christi succedit in locum substanciæ panis. At in panis substantia duo spectari possunt. *Primo*, substantia ipsa. *Secundo*, modus præsentia localis quem habet sub accidentibus. Licet enim substantia panis ratio-
ne quantitatis dicatur esse in loco, & corporaliter & indi-
uisibiliter illum occupare; habet tamen propriam præsen-
tiam ratione sui ipsius, quam retinere posset per diuinam
potentiam destructa quantitate. Ergo in substantia Corporis
Christi similis præsentia admittenda est, & ad idem
prædicamentum reuocanda.

8 *Quinta Conclusio*: Præter hanc præsentiam Christi in
loco, de qua dixi, datur alia præsentia cum speciebus con-
secratis à priori distincta. *Primo*, quia una potest mutari
sine alia. Nam quoties transfertur Hostia consecrata de lo-
co in locum, toties mutatur præsentia Christi in loco; &
tamen non mutatur præsentia Christi cum speciebus. Con-
trà verò, si species consecratæ destruerentur, posset manere
Christus præsens in loco (etiamsi hoc non fiat) non ta-
men maneret præsens cum speciebus.

Secundo, præsentia Christi in loco est aliquid reale, &
intrinsecum Corpori Christi, ut ostensum est. Sed præsen-
tia Christi cum speciebus nihil aliud est, quam indistantia
à speciebus.

Dices: Præter indistantiam videtur etiam includere
vnionem cum speciebus, sicut præsentia animæ cum Cor-
pore non solum dicit indistantiam, sed etiam vnionem
cum Corpore?

Respondeo. Licet admittamus indistantiam & vnionem
simul

simul (de qua post) negamus tamen utramque includi in ratione præsentia. Nam præsentia unius rei cum alia potest esse sine omni alia unione , (præter localem) ut pater in Angelo , qui potest esse præsens & indistans ab homine , etiamsi non sit unitus cum homine .

9 *Sexta Conclusio : Triplex uno fangi potest inter Corpus Christi , & species consecratas . Prima est Sacramentalis . Secunda physica & realis intrinseca , quam vocamus formalem . Tertia physica & realis effectiva , quæ opponitur formalis . De Sacramentali non est quæstio . Constat enim species panis & vini ex diuina Institutione esse visibile signum , seu Sacrementum Corporis & sanguinis Christi præsentis . Uno autem Sacramentalis nihil aliud requirit .*

De physica formalis est controvrsia . Vocamus autem unionem formalem , qua duo extrema ita coniunguntur physicè , ut propriè ac realiter constituant unum compositum ; qualis est uno materia & forme in naturalibus ; vel uno Verbi & Humanitatis in Christo . Aliqui admittunt talēm unionēm inter Corpus Christi , & species consecratas .

Primo , quia Corpus Christi formaliter excludit substantiam panis à speciebus , ita sub iisdem speciebus non possint simul consistere substantia panis & Corpus Christi posita transubstantiatione . At si Corpus Christi tantum esset præsens speciebus , & non esset illis realiter unitum , non expelleret inde formaliter substantiam panis . Sicut Angelus per solam præsentiam non expellit animam à corpore humano . Est enim pars ratio utriusque : quia sicut Angelus indivisibiliter est præsens humano corpori : ita Corpus Christi indivisibiliter est præsens ipsis speciebus .

Secundo , quia motis speciebus simul mouetur Corpus Christi . An hoc non fieret , nisi esset realis uno inter Corpus & species . Nam hic motus localis ex sola præsentia causari non potest . Non enim necessariò mouetur Angelus moto corpore cui præsens est . Anima autem necessariò mouetur moto corpore , cui est ipsa unita .

Tertio , quia corruptis speciebus statim ibi desinit esse Corpus Christi . Nec potest esse alia causa , nisi quia amittit unionem

304 C A P . X V I L D E S A C R A M E N T I S
vnionem cum speciebus. Et hæc sunt argumenta satis probabilia , non tamen conuincunt , vt constabit.

Alij tamen negant omnem vnionem realem inter Corpus Christi , & species , & putant sufficere inseparabilem præsentiam ex pacto diuino , seu vnionem realem , quæ in eo consistit, quod species infallibiliter repræsentent Christum præsentem. Ratio est, quia si esset realis vnio, vel esset substantialis, vel accidentalis. Non primum, quia vnio substantialis ordinatur ad terminum substantialem. Coniungit enim duo extrema ad componendam vnam substantialiam. Sicut vnio materiæ & formæ componit vnam naturam substancialiæ: & naturæ, & subsistentiæ vnio componit vnam personam. Atqui verò ex Copore Christi , & speciebus consecratis non potest componi vna substantia siue per modum naturæ, siue per modum personæ. Ergo inter illa duo non est vnio substantialis.

Nec secundum, quia species non possunt accidentaliter vniri Corpori Christi, nisi per inhærentiam. At non inhærent illi , vt omnes fatentur.

Supereft tertia vnio, quæ est effectiuæ. Vocamus autem vnionem effectiuam , qua vnum extremum effectiuè coniungit sibi alterum. Sicut magnes trahit effectiuè, & coniungit sibi ferrum. Et in sanguine humano datur tanta vis ad nutriendum Corpus. Talem vnionem ponunt aliqui inter Christi Corpus , & species consecratas.

Et quidem mutuam ex vtraque parte , ita vt Corpus Christi effectiuè ad se species trahat, & vicissim species effectiuè trahant ad se Christi Corpus. Addunt iidem magni viri, actionem illam vnitiuam, quatenus se tenet ex parte Corporis Christi terminari ad modum subsistendi specierum sine subiecto : quatenus verò tenet se ex parte specierum, terminari ad præsentiam Corporis Christi, de qua suprà dixi. Vnde sequitur, Christi Corpus efficere duo circa species. Primo, vt separentur à substancia panis, & per se subsistant. Secundo, vt sint præsentes Corpori. Similiter sequitur species efficere duo circa Corpus Christi , nempe præsentiam eius, & modum existendi indiuisibiliter. Sanè hæc est ingeniosa sententia.

10 Hæc sententia probatur *primo*, quia possibile est sic fieri. Nam species conseruantur effectiū sine subiecto per singularem & supernaturalem actionem, qua Deus supplet defectum subiecti. Hanc autem actionem potest Deus efficere per Christi Corpus tanquam per instrumentum. Hoc enim non repugnat. Similiter Christi Corpus fit speciebus præsens per singularem Dei actionem, quam potest etiam per species, ut instrumentum, quia neque hoc repugnat.

Secundo probatur, quia sicut possibile est fieri, ita videatur esse factum. Multa enim dicuntur de hoc Sacramento, quæ non possunt saluari, nisi ponamus hanc mutuam actionem unituam Corporis in species & contrà. *Primo* dicitur, quod Christi Corpus suppleat vicem substantiæ panis, seclusa inherentia, quia scilicet effectiū sustinet accidentia, quæ panis sustinebat per inherentiam.

Dicitur *secundo*, quod species contineant Corpus Christi, quia scilicet effectiū illud sibi vniunt. *Tertio* dicitur, quod Corpus Christi corruptis speciebus amittat suam præsentiam Sacramentalem, quia scilicet illa præsentia effectiū conseruabatur à speciebus; ac proinde illis corruptis amplius conseruari non potest. *Quarto* dicitur, quod motis speciebus moueatur Corpus Christi, quia scilicet species effectiū trahunt ad se Corpus Christi.

Hæc de triplici vnione probabiliter dicta sunt. Sacramentalis omnino est admittenda. Physica formalis non est necessaria. Effectua non facilè defenditur. *Primo*, quia hæc vel pertinet ad intrinsecam rationem & unitatem huius Sacramenti, quatenus à Christo institutum est; vel non. Si non pertinet, frustra ponitur. Si autem sic, sequitur hoc Sacramentum non confici per verba consecrationis, quod tamen falsum est.

Sequela hæc patet, quia vno illa effectua, quæ ponitur pertinere ad essentiam huius Sacramenti, non conficitur per verba consecrationis; sed per Corpus Christi, & species consecratas.

Secundo, quia præsentia Corporis Christi sub speciebus sit etiam per verba consecrationis. Ergo non sit per spe-

306 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
cies consecratae. Similiter per eadem verba consecratio-
nis expellitur substantia panis, & separantur accidentia,
seu species consecratæ. Ergo non est hoc tribuendum
actioni unitiuæ. Summa est : Totum hoc Sacramentum,
quatenus constat ex Corpore Christi, & speciebus conse-
cratis, effectuè conficitur vi consecrationis. Ergo frustra
singitur noua actio unitua, quæ supponit unionem iam
esse factam.

Dices : In primo instanti fit totum Sacramentum vi
consecrationis. Sed immediatè post consecrationem con-
seruatur per mutuam extremorum actionem unituam.
Respond. Hoc sine fundamento dicitur. Neque illa con-
seruatio requirit nouam actionem. Nam præsentia Cor-
poris Christi in uno loco, potest subiectuè conseruari do-
nec moueat ad alium locum. Modus autem, quo acci-
dentialia per se subsistunt sine subiecto, eadem actione con-
seruatur, qua fit. Sicut Angelus conseruatur eadem actio-
ne qua creatus est.

12 Septima Conclusio : Modus ille, quo Corpus Christi
indivisibiliter, & sine extensione locali existit in loco est
accidentalis, non substantialis. Probatur, quia modus ille
determinat præsentiam Christi in loco. Facit enim Chri-
stum præsentem non diuisibiliter, sed indivisibiliter, non
secundum extensionem localem, sed sine tali extensione.
Sicut ergo ipsa præsentia est modus accidentalis respectu
Corporis Christi, sic etiam determinatio illius modi est
accidentalis respectu eiusdem Corporis.

Confirmatur, quia modus ille quo Angelus est indivisi-
biliter præsens in loco, non est substantialis, sed acciden-
talis. Ergo idem est de Corpore Christi.

Dices : Imò modus, quo Angelus est in loco, videtur
esse substantialis. Nam Angelus substantialiter, & in sua
substantia est indivisibilis. Respondeo. Aliud est Ange-
lum esse substantialiter indivisibilem, aliud vero esse indi-
visibiliter præsentem in loco. Prior modus est substantialis &
immutabilis : posterior est accidentalis & mutabi-
lis. Christi Corpus participat posteriorem modum acci-
dentalis.

QVÆSTIO . X I I I .

An Sacramentalis præsentia dependeat à naturali?

1 **A** Liqui affirmant; quia si destrueretur existentia Christi Corporis extra Sacramentum, destrueretur etiam in Sacramento. Ergo signum est hanc ab illa pendere; alioqui manere posset illa destructa. Antecedens probatur, quia si Corpus Christi extra Sacramentum examinaretur, etiam in Sacramento fieret exanimare. Nam anima est tantum in hoc Sacramento per concomitantiam, ratione naturalis vñionis quam extra Sacramentum habet cum corpore.

2 Prima Conclusio: Hæ duæ præsentia, Sacramentalis videlicet & naturalis, partim inter se conueniunt, partim differunt. Conueniunt in tribus. *Primo*, quod vtraque sit modus realis & intrinsecus Corporis Christi. *Secundo*, quod vtraque sit terminus alicuius actionis vel mutationis, quantum vtraque producitur per aliquam actionem vel mutationem. *Tertio*, quod vtraque sit fundamentum propinquitatis & distantiæ.

Differunt etiam in tribus. *Primo*, quod Corpus per naturalem præsentiam ita occupet & repleat locum in quo est, ut inde excludat quamvis aliam quantitatem naturali modo existentem. Non enim naturaliter dari potest penetratio quantitatuum. Hoc autem non fit per Sacramentalem præsentiam. Nam Corpus Christi in Sacramento patitur secum in eodem loco quantitatem panis, & non expellit eam.

Secundo, Corpus per naturalem præsentiam coextenditur loco, ita ut totum sit in toto, & pars in parte. Hoc etiam non fit per Sacramentalem præsentiam. *Tertio*, præsentia naturalis habet duplē extensionem; unam ex parte subiecti; alteram ex parte loci seu spatij. At præsentia Sacramentalis, licet extensa sit ex parte subiecti, non tamen ex parte spatij.

3 Secunda Conclusio: Hæ duæ præsentia differunt es-sentialiter. *Primo*, quia una est naturalis, altera superna-

canæ *Cæ*

308 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
turalis. Secundo, quia naturalis essentialiter includit ex-
tensionem partium in loco, quam Sacramentalis non in-
cludit. Nam licet extensio localis non sit de essentia qua-
titatis, est tamen de essentia præsentiae naturalis quæ sit
per quantitatem. Non enim concipi potest, Corpus esse
naturaliter præsens in loco per suam quantitatem sine ex-
tensione locali.

Ex dictis sequitur, Sacramentalem præsentiam partim
conuenire cum præsentia Angelica, partim differre. Dif-
ferunt ex parte subiecti, quia Angelica est in subiecto spi-
rituali & indiuisibili, ac proinde ipsa quoque spiritualis &
indiuisibilis est. Præsentia autem Corporis Christi in Sa-
cramento, sicut est in subiecto materiali & diuisibili, sic
ipsa quoque materialis & diuisibilis est.

Conueniunt tamen ex parte loci, quia utraque consti-
tuit suum subiectum in loco indiuisibiliter. Hæc omnia
procedunt de præsentia naturali quantitatua, quam habet
Corpus per suam quantitatem naturaliter extensam: non
autem de præsentia naturali, quam habet substantia ma-
terialis sub sua quantitate.

4 Tertia Conclusio: Præsentia Sacramentalis non pen-
det à naturali intrinsecè & essentialiter, quo pacto relatio
pendet à termino, vel modus à re cuius est modus. Proba-
tur primo, à contrario, quia naturalis præsentia non pen-
det à Sacramentali, ut per se notum est circa nos. Idque
propterea, quia nullam dicit habitudinem intrinsecam ad
illam, neque in ullo genere causæ est effectus illius. Sed
neque Sacramentalis præsentia habet intrinsecam habitu-
dinem ad naturalem, neque est effectus illius. Ergo ab illa
intrinsecè non dependet. Sunt enim diuersorum ordinum,
& una non respicit aliam ut subiectum, sed utraque imme-
diatè respicit Corpus Christi; ac proinde sunt omnino
disparatæ sineulla intrinseca connexione.

Secundo probatur, quia si inter se conferantur, potius in
modo suo dicunt repugnantiam. Una enim essentialiter
includit extensionem, altera indiuisibilitatem, ut patet ex
antea dictis.

Dices: quamvis præsentia Sacramentalis non pendeat
à natu

à naturali ex immediata habitudine sui, ut benè probatum est; potest tamen pendere ratione subiecti, vel quia Corpus Christi, quatenus est subiectum praesentiae Sacramentalis, essentialiter pendet à seipso alibi naturaliter existente, vel certè, quia pendet non à seipso, sed à naturali praesentia, quam alibi habet. Vnde fit, ut Sacramentalis praesentia, quæ à subiecto suo pendet, etiam pendeat à praesentia naturali, sine qua tale subiectum esse non potest.

Respondeo. Neutrum horum rectè dicitur; primo, quia Corpus Christi, ut in Sacramento existens, non potest essentialiter pendere à seipso, ut existente in cœlo, (id est, naturaliter.) Est enim unum, & idem habens eandem essentiam æquè absolutam in utroque loco. Secundo, nec potest Corpus Christi secundum suam substatiā & existentiā pendere ab illa praesentia locali, siue naturali, siue Sacramentali. Nam Sacramentalis praesentia est illi omnino extrinseca, quia per solam diuinam potentiam potest illi aduenire. Naturalis verò, licet ab intrinseco illi conueniat, non tamen, ut intrinseca illius causa, neque ut terminus alicuius habitudinis essentialis; sed ut proprietas vel effectus manans ab ipso mediante quantitate.

Vnde licet Corpori quanto sit essentiale aptum esse habere praesentiam naturalem: tamen dependentia à praesentia naturali non est illi essentialis. Potest enim Deus alicubi conseruare Corpus sine actuali extensione in ordine ad locum: imò potest illud conseruare realiter existens, etiamsi nullibi habeat talem extensionem localem; ac proinde sine omni praesentia naturali.

Ex hac conclusione sequitur primo, Christum potuisse esse Sacramentaliter in Eucharistia antequam fieret Incarnatio, ut alibi dixi. Secundo, Christum posse conseruari in Eucharistia etiamsi extra Eucharistiam desineret esse.

5 Quarta Conclusio. Quamuis Sacramentalis praesentia ex natura rei non pendeat à naturali, ut probauit: tamen probabiliter dici potest pendere ab illa ex voluntate arbitrio Dei. Nam probabile est, quod aliqui docent, Humanitatem Christi naturali modo existentem (extra Sacramentum) esse uniuersale instrumentum, effectuè concursu-

310 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
rens ad effectum omnium Sacramentorum, & nominatim
ad Transubstantiationem quæ fit in Eucharistia per verba
consecrationis.

Quod si verum est, omnino sequitur præsentiam Sacra-
mentalem pendere à naturali, quatenus pendet à Christo
naturaliter existente tanquam ab instrumento vniuersali.

Pro solutione argumenti contrarij notes hasce regu-
las. *Prima* est: rectè sequitur: Si Corpus Christi simpliciter destrueretur vel annihilaretur extra Sacramentum, destrueretur etiam vel annihilaretur in Sacramento. Item: Si existentia Corporis Christi simpliciter destrueretur extra Sacramentum, destrueretur etiam in Sacramento. Sicut si anima annihilaretur in digito, annihilaretur etiam in capite.

Secunda regula est: non rectè sequitur: Si destrueretur præsentia Corporis Christi extra Sacramentum, destrueretur etiam præsentia eius in Sacramento. Sicut non sequitur: Si destrueretur præsentia animæ in digito, destrueretur etiam in capite.

Ratio vtriusque regulæ est, quia Corpus Christi & ex-
istentia Corporis Christi est tantum vna. Ergo si simpliciter
destruitur in uno loco, destruitur etiam in alio. Præsentia
est multiplex. Ergo potest vna destrui sine alia.

Tertia regula: non etiam rectè sequitur: Si Corpus Christi, vel existentia Corporis Christi desineret esse extra Sa-
crametum, desineret etiam esse in Sacramento. Sicut non
sequitur: Si anima desineret esse in digito, desineret etiam
esse in capite. Ratio, quia sicut potest esse simul in duobus
locis: ita potest vnum deferere, & in altero manere.

Quarta regula: ex hac propositione: Corpus Christi de-
sinit esse extra Sacramentum, & non in Sacramento; nulla
sequitur contradic̄tio. Solùm sequitur, Corpus Christi ma-
nere in uno loco, & non in duobus; seu, habere vnum
modum existendi & non duos.

Quinta regula: ex hac propositione: Corpus extra Sa-
cramentum amittit animam, & in Sacramento non amit-
tit; non sequitur etiam contradic̄tio. Hoc ostendo. *Primo*,
quia eadem materia in diuersis locis existens potest di-
uersis

uersis formis informari. Sicut eadem quantitas in diuersis locis existens potest affici diuersis modis, ita ut in uno sit extensa localiter, non in altero.

Secundo ostendo, quia eadem materia potest ponи in diuersis locis manente forma in uno tantum loco. Ergo potest in uno formam retinere, & in altero amittere. *Tertio* ostendo, quia nulla hic appetet contradicatio.

Dices: Contradiccio est haec: hoc Corpus est viuum, & non viuum. Resp. posterior pars est falsa. Nam ut Corpus dicatur non viuere, necesse est nullibi ut viuat. Ut autem dicatur viuere, satis est, quod alicubi viuat. Affirmatio enim solum facit sensum particularem: Negatio vero simpliciter omnia destruit, & facit sensum vniuersalem.

Solum ergo ex hac propositione potest inferri, quod Corpus hic non viuat, quamvis alibi viuat. Et haec non est contradictoria propositio.

Q V A E S T I O X I V .

An idem Corpus possit simul esse praesens in diuersis locis?

Hoc tripliciter intelligi potest. *Primo*, an possit simul habere plures praesentias Sacramentales. *Secundo*, an plures naturales seu quantitatius. *Tertio*, an unam naturalem, & unam vel plures Sacramentales. Calviniſtæ docent omnes hos modos esse impossibilis. Aliqui ex Catholiceſ putant secundum impossibilem, reliquos autem esse possibilis. Tota vtrimeque difficultas oritur ex duplice capite. *Primo* ex eo, quod praesentia Sacramentalis (per se) videatur impossibilis. Non enim videtur fieri posse, ut Corpus quantum sit in loco indiuisibiliter & sine extensione. *Secundo* ex eo, quod videatur impossibile ut idem Corpus eodem tempore sit in locis distinctis, siue in illis sit Sacramentaliter, siue naturaliter, siue vtroque modo. Ad haec duo capita reuocari possunt omnes obiectiones proponendz. Igitur examinanda sunt. Aliqui addunt tertium caput difficultatis, quia scilicet penetratio Corporum seu quantitatium in uno loco simili, videtur impossibiliſ. Sed haec difficultas non est huius loci, quia Catholici

nullam admittunt penetrationem corporum in Eucharistia, de qua nunc disputamus.

2. Prima Conclusio. Non repugnat Corpus Christi cum sua quantitate esse præsens in aliquo loco indiuisibiliter, & sine extensione locali. Probatur, quia Scriptura dicit: Omnia esse Deo possibilia, Matth. 19. v. 26. & Luc. 1. v. 37.

Dicent Caluinistæ omnia esse Deo possibilia præter ea quæ implicant contradictionem. Rectè. At non implicat Corpus esse in loco indiuisibiliter & sine extensione. *Primo*, quia Caluinistæ non possunt ostendere hactenus contradictionem. *Secundo*, quia ipsi docent nihil esse credendum sine verbo Dei. Sed verbum Dei, quod afferit omnia esse possibilia, nusquam excipit hunc casum, cùm tamen excipiat quosdam alios. Ut patet Hebr. 6. vers. 18. *Impossibile est mentiri Deum*. Et 2. Timoth. 2. vers. 13. *Negare se ipsum non potest*.

Tertio, quia facilius est intelligere Corpus Christi esse hic indiuisibiliter, quod nos afferimus, quam intelligere Corpus Christi tantum esse in cœlo, & non alibi; & nihilominus verè & realiter percipi à nobis in Eucharistia, quod Caltinus afferit. Si ergo hoc est possibile, non potest illud esse impossibile.

Et quæro ex Caluino, cùm dicit Corpus Christi verè & realiter esse aut percipi in Eucharistia, an sit ibi extensum localiter, an sine extensione? Si extensum localiter, iam esset extra Hostiam, quod Caluinus non admittit. Si sine extensione locali, iam verum est quod nos afferimus.

Quarto, quia tam difficile est intelligere penetrationem duarum quantitatum in eodem loco, quam existentiam Corporis sine extensione locali. At penetratio non est impossibilis. Ergo nec existentia Corporis sine locali extensione. Minor patet, quia constat ex Scriptura sèpè factam esse penetrationem, vt quando ipse Christus exiuit ex Vtero Materno saluo claustro Virginali: quando clausis ianuis ingressus est ad Apostolos: quando clauso monumento resurrexit: quando cœlos penetrauit in die Ascensionis.

3 *Quinto*, potest dari ratio à priori, vt patebit in solutio-ne *primæ* obiectionis, quæ est hæc: Corpus, quatenus habet quantitatem, essentialiter est extensum & diuisibile. Ergo non potest indiuisibiliter, & sine locali extensione existere. Sicut è contrario, quia Angelus est intrinsecè indiuisibilis, non potest diuisibiliter & extensiè existere, nec per ab-solutam Dei potentiam.

Resp. duplex est extensio: altera in toto: altera in loco. *Prior* est de essentia quantitatis, seu corporis quanti, vt quantum est. *Posterior* est proprietas quæ separari potest. Nec est simile de Angelo, quia extensio cuiuscunque rei in loco, necessariò supponit extensionem rei in se. Et ideo impossibile est aliquam rem esse extensam & diuisibilem in loco, quæ est indiuisibilis in se, sicut est Angelus & Anima rationalis. Nam fieri non potest vt aliqua res habeat partes in loco, si non habeat partes in se. Locus enim non dat partes.

Contrà verò extensio rei in se non supponit extensio-nem rei in loco, cùm extensio localis sit aliquid posterius, sine quo prior extensio possit consistere. Vnde fieri potest rem aliquam esse in se extensam, non tamen extensam in loco. Et hinc confirmatur nostra conclusio, quia non im-plicat contradictionem, yt id, quod prius est, exstet sine eo quod posterius est. Sed extensio rei in se est quid prius, & extensio rei in loco est quid posterius. Ergo prior extensio non dependet à posteriore, ac proinde potest sine illa exi-stere.

4 Secunda Obiectio. Quantitas non potest concipi in rerum natura sine figura, quia figura est intrinsecus termi-nus quantitatis, nec figura potest concipi sine extensione locali, quia consurgit ex tali extensione, & quotiescumque mutatur extensio localis, necessariò mutatur & figura: & similiter ablata extensio locali neceſſe est auferri figura-m. Sicut ergo impossibile est quantitatem esse sine figura; ita impossibile est esse sine extensione locali. Hoc bo-num est argumentum.

Respondeo, sicut duplex est extensio quantitatis, ita du-plex est figura; vna organica, quæ pendet ab extensione

quantitatis in se; altera localis, seu situialis, quæ pendet ab extensione locali. Christus in Eucharistia habet organicam non localem. Hoc declarari potest exemplo manus, quæ toties mutat figuram localem, quoties mutat extencionem localem. Nam aliam habet figuram, quando plicatur, aliam quando expanditur. Semper tamen retinet eandem figuram organicam, ut in 4. obiecto. dicetur.

5 Tertia Obiectio. Si corpus diuisibile esset indiuisibiliter in loco, posset diuidi in omnem suam partem, quod est impossibile. Sequela patet, quia cum in se maneat intrinsecè diuisibile & extensum, poterit à Deo diuidi. Cum vero indiuisibiliter existat, non est maior ratio cur ex una parte diuidatur potius quam ex alia. Ergo diuidetur in omnem partem.

Ioannes Maior in 4. dist. 10. concedit utramque consequentiam. At Dominicus Sotus utramque negat. Putat enim corpus Christi, prout est in Sacramento, non posse diuidi, quia non est extensum localiter. Ac multo minus posse diuidi in omnem partem. Ego tamen conciliaturus ambos.

Resp. Primo, si loquamur de diuisione corporis, quæ fit ferro vel alio instrumento materiali, verum est quod Sotus ait, corpus Christi prout est in Sacramento, non posse diuidi; quia ad talem diuisionem necessarium est, ut instrumentum materiale quo fit diuisio, expellat aliquam partem corporis è suo loco; quod fieri non potest, nisi extensiù sit in loco.

Si antem loquamur de diuisione corporis, quæ fieri potest à Deo per separationem vnius partis ab alia, seu per discontinuationem partium inter se, verum est, quod dicit Maior, corpus Christi in Sacramento posse diuidi, quia Deus potest quasdam partes illius annihilare, & reliquas conseruare: Vel etiam potest destruere terminos, quibus aliquæ partes continuantur, & conseruare illas partes in eodem spatio existentes. In hoc enim nulla est repugnantia.

Primo non repugnat, quia illa partium compositio, seu vniio, quam dicimus posse dissolui à Deo, conuenit corpori quanto secundum se, & non ratione localis extencionis.

Ergo

Ergo corpus poterit hoc modo diuidi, quamuis non sit localiter extensum. Secundo, quia ad omnem extensionem sequitur propria diuisibilitas. Sicut ergo corpus manet in se extensum, quamvis non sit extensum in loco; ita manet in se diuisibile, licet non sit diuisibile in loco.

Respondeo secundo. Si corpus Christi in Sacramento existens, hoc modo diuidederetur, non necesse esset diuisionem fieri in omnem partem. Nam Deus posset destruere terminum continuantem quasdam partes, & conseruare terminum continuantem alias. Nec opus est hic aliam rationem querere, quam voluntatem & Potentiam Dei.

6 Quarta Obiectio. Si corpus Christi esset indiuisibiliter in Hostia, iam omnes partes illius essent inter se confusa, & non magis distaret pes à capite, quam à fœmore; quod est absurdum. Sequela patet, quia omnes partes essent simul in qualibet parte Hostiæ, etiam in indiuisibili puncto: ac proinde nulla inter illas distantia, & sic omnes essent æquè inter se propinquæ.

Quod autem hoc sit absurdum, patet, quia est contra naturalem compositionem corporis. Hæc enim requirit certum membrorum ordinem ac dispositionem, quæ non potest consistere cum illa partium inter se confusione.

Respondeo, duplex est distantia, quantitatua scilicet & localis, seu situialis. Prior sequitur ex intrinseca extensione quam quantitas habet in se, & consistit in eo, quod inter partes (verbi gratia, caput & pedes) tanta quantitas intercedat, & cum tanta densitate vel raritate, quantum sufficit ex natura rei ad occupandum tantum spatium. Posterior consistit in eo, quod partes corporis actu occupent partes spatiij inter se distantes.

Si ergo sermo sit de priori distantia, sic partes corporis Christi non æquè distant inter se. Si de posteriori, sic æquè distant, quia omnes sunt indiuisibiliter præsentes eidem spatio. Hoc sensu dixit S. Hilarius: *Vbi est pars, ibi est totum.* Ut habetur apud Gratianum, c. *vbi de consecra. dist. 2.*

7 Quinta Obiectio. Impossibile est, ut idem corpus habeat infinitas præsentias, quarum singulæ sint per se perfectæ & integræ, ita ut una ab altera dependeat. Sed hoc sequitur

quitur ex nostra doctrina. Ponimus enim corpus Christi in tota Hostia, ac proinde in omnibus partibus, lineis & punctis illius Hostiae. Atqui infinita sunt puncta in spatio Hostiae. Ergo ponimus infinitas praesentias. Harum autem una non dependet ab alia; quia corpus Christi posset in uno puncto Hostiae manere praesens, etiam si desineret esse in aliis omnibus. Sicut Angelus, qui est in toto aliquo spacio adaequato, potest in solo puncto illius spatij se colligare.

Respondeo, fateor Christum habere infinitas praesentias in potentia, & unam in actu. Vnde D. Thomas in 4. distinct. 10. quest. 1. art. 3. questione. 3. ad 1. ait Christum in Hostia semel esse in actu, & infinitas in potentia. Habet enim unam praesentiam quasi continuè diffusam per totum spatum Hostiae; & præterea habet praesentiam in qualibet parte & puncto illius spatij.

Dices: ergo illa totalis praesentia qua diffunditur Christus per totum spatum, componitur ex infinitis praesentiis, quæ respondent infinitis punctis illius spatij. Cum ergo singulæ sint diuisibiles, necesse est totam praesentiam esse infinitè extensam, quia constat ex infinitis partibus extensis & diuisilibus.

Respondeo, illæ plures praesentiæ componentes unam totalem, dupliciter spectantur. Primo, ex parte subiecti; & sic quidem sunt diuisibiles, non tamen componunt praesentiam totalem. Secundo, ex parte spatij, & sic indiuisibiliter se habent, & sunt quasi termini componentes, & continuantes praesentiam localem, quæ continuè diffusa est ac extensa per totam Hostiam.

mco 8 Secunda Conclusio. Non repugnat corpus Christi simul esse in coelo & in terra. Primo, quia ex fide certum est ita fieri. Secundo, quia nulla apparet contradicatio. Tertio, quia aduersarij concedunt Christum post ascensionem semper fuisse & mansurum esse in coelo usque ad diem iudicij. Atqui post Ascensionem apparuit S. Paulo Apostolo in terra aut aere. Ergo tunc simul fuit in coelo & in terra.

Minor patet ex illo, Acto. 9. vers. 4. Audiret vocem dicentem sibi: Saul, Saul, quid me persequeris? qui dixit: Domine?

Domine? Et ille: Ego sum I E S V S quem tu persequeris. Et *Aetor. 22. vers. 14.* inquit Ananias ad Paulum: *Deus Patrum nostrorum praordinavit te, ut cognosceres voluntatem eius, & videres Iustum, & audires vocem ex ore eius.* Et *1. Corinth. 9. vers. 1.* *Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi.* Et *cap. 15. vers. 17.* *Deinde visus est Apostolis omnibus; nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.*

9 Ex his omnibus patet Christum apparuisse Paulo, & cum eo locutum esse, ac proinde eodem tempore fuisse illum in cœlo & in terra. Tamen Caluinistæ dupliciter respondent. Aliqui dicunt Paulum non vidisse Christum in propria persona, sed in specie aliena: nec audiisse vocem ex ore Christi; sed quandam vocem diuinitus factam; qualis fuit vox Dei Patris super Christum in Baptismo & in monte Thabor. Ita Caluinus *Aetor. 9.*

Sed refellitur Caluinus, primo, ex illis verbis iam citatis: *Deus Patrum nostrorum praordinavit te, ut vides Iustum, & audires vocem ex ore eius.* Vbi illa particula *ex ore eius*, apertere conuincit non fuisse vocem diuinitus in ære factam, sed *ex ore Christi* profectam. Secundo, quia Paulus ex illa visione, qua Christus tum ipse, tum aliis Discipulis apparuit post mortem, vult probare Christum verè resurrexisse à mortuis, vt patet *1. Corinth. 15. vers. 8.* Hoc autem argumentum eslet infirmissimum, si non apparisset in propria persona, sed in aliena specie. Tertio, quia constat ex aliis Scripturæ locis Christum in propria persona apparuisse S. Petro & aliis Apostolis. Ergo etiam Paulo sic apparuit; alioqui non recte connumeraret se inter oculatos testes resurrectionis Christi.

Altera responsio est, Paulum vidisse quidem, & audiisse Christum in propria persona, non tamen in terra, sed in cœlo existentem. Sicut de sancto Stephano legimus *Aetor. 7. vers. 56.* Diuinitus enim factum esse, vt oculi, & aures Pauli penetrarent cœlos. Ita Caluinus *4. Institut. cap. 17. §. 29.*

Sed refello Caluinum ex Caluino. Nam *lib. 3. cap. 20. §. 24.* ridet inuocationem Sanctorum, & dicit eos non habere tam longas aures, quæ ad voces nostras porrigitur, nec oculos tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent.

lent. Quomodo ergo Paulus habuit tam longas aures & oculos tam perspicaces, ut cœlum penetrarent, & ibi Christum viderent, & audirent?

Deinde refellitur Caluinus ex scripturis. *Primo*, quia Christus apparuit sancto Paulo in via, non in cœlo. *Acto. 9. vers. 17.* *Saute frater, Dominus misit me Iesu*, qui apparuit tibi in via, qua veniebas. *Secundo*, quia mutuum colloquium inter Christum & Paulum satis significat alterum alteri fuisse vicinum. *Tertio*, quia verisimile est, lucem illam, quæ circumfulsit Paulum, fusam fuisse à corpore Christi glorioso, sicut factum est in monte Thabor in transfiguratione. At lux illa erat in terra, vel iuxta terram. Ergo & corpus Christi a quo lux illa fundebatur. *Quarto*, quia vox Christi fuit distinctè percepta à Paulo, non autem distinctè, sed confusa à comitibus Pauli, ut colligitur *Act. 9. vers. 7. & 22. vers. 9.* Ergo signum est Paulum fuisse vicinorem Christo loquenti, quam comites fuerint.

Denique confirmatur ex alia apparitione, qua constat Christum apparuisse Paulo in terra, & non in cœlo. Iuxta illud *Acto. 23. vers. 11.* *Sequenti nocte assistens ei Dominus ait: Conflans esto. Sicut enim testificatus es de me in Hierusalem: sic te oportet & Romæ testificari.* Vbi nota *primo*, Christum bis apparuisse Diuo Paulo, semel in via, semel in carcere. *Secondo*, Christum vtraque vice hortatum esse Paulum, ut esset testis resurrectionis suæ. *Tertio*, Paulum priori vice dixisse. *Quis es, Domine?* Non autem posteriore vice. Vnde colligitur Christum vtraque vice apparuisse eodem modo, ut Paulus potuerit facile aduertere eundem esse posteriore, qui fuerat priore vice. *Quæ omnia simul sumpta probant bene sententiam nostram.*

10 Tertia Conclusio. Generatim loquendo non repugnat idem corpus simul esse in pluribus locis etiam quantitatius, seu circumscripsiens. Probatur *primo* ex dictis. *Secondo*, quia sunt multa mysteria æquè difficultia, quæ tamen fieri vel esse non repugnant. Ut, verbi gratia, quod una numero essentia sit in distinctis numero personis: quod una persona terminet duas naturas in Christo: quod idem numero homo bis existat in diuersis temporibus, nempè

hoc

hec tempore & post resurrectionem mortuorum: quod totus hic mundus factus sit ex nihilo: quod instans æternitatis coexistat indivisibiliter omnibus temporibus: quod unus locus capiat duo corpora per penetrationem: quæ & similia non minus superant humanum captum, quam existentia unius corporis in duobus locis. Si ergo illa putantur possibilia, cur hoc negetur possibile esse?

Tertio probatur conclusio à priori. Quia non est contra naturam quantitatis extensiuè esse in duobus locis. Ergo non est impossibile. Antecedens patet, quia natura quantitatis prior est quam extensio localis. Ergo sicut non est contra naturam quantitatis priuari extensione locali: ita neque contra naturam ipsius est habere plures extensiones locales. Sicut enim extensio localis potest auferri salua natura quantitatis, ita potest multiplicari etiam. Sed potest priuari, ut ante probatum.

Quarto. Angelus potest naturaliter totus esse in toto aliquo loco, & totus in qualibet parte. Ergo saltem virtute Diuina posset manere totus in duabus partibus extremis illius loci, non manendo in mediis: præsertim cum præsentia, quæ est totus in una parte, non dependeat à præsentia, quæ est totus in alia parte. Imò aliqui putant Angelum suo arbitrio posse ponere se in duobus punctis extremis sui loci adæquati. Nec facile appetit repugnantia. Cur ergo corpus diuina virtute non possit similiter poni in duobus locis distantibus.

11 Prima Obiectio sumitur ex verbis Angeli Matth. 28. v.
5. *Scio, quod Iesum queritis: non est hic. Surrexit enim.* Hæc illatio supponit idem corpus non posse simul in sepulchro & extra sepulchrum esse. Respondeo: hæc illatio debet applicari ad mentem illarum mulierum cum quibus Angelus loquebatur. Illæ enim quærebant corpus Christi mortuum, ut vngarent. Respondit ergo Angelus non amplius ibi esse Christum mortuum, sed iam à mortuis resurrexisse, sicut se facturum prædixerat. Est ergo moralis illatio ad captum foeminarum.

12 Secunda Obiectio sumitur ex S. Augustino libro 20. *contra Faustum Manichaum, cap. II.* ubi de præsentia Christi sic

sic ait: *simul & in Sole, & in Luna & in Cruce esse non posset.*
 Respondeo. Augustinus disputat contra Manichæos dicentes Christum esse lucem quandam expensam per Solem, Lunam & omnia alia loca. Illum autem, qui a Pilato crucifixus est, non fuisse verum hominem, sed spiritum, seu phantasma. Utitur ergo S. Augustinus hoc dilemmate: Si Christus est spiritus, seu phantasma, crucifigi non potuit. Si autem est corpus expansum per Solem, Lunam & alia loca, non potuit totus simul esse in Sole & in Luna & in Cruce; quia corpus expansum per tota loca non potest totum esse in singulis locis.

Ex hoc Augustini dilemmate nihil contra nos concluditur. Sit ergo.

Tertia Obiectio. Si vnum corpus posset esse simul in duobus, vel pluribus locis, eadem ratione posset esse in omnibus, & consequenter ubique. At soli Deo conuenit esse ubique. Hinc Patres probant contra Macedonianos, Spiritum sanctum esse Deum, quia est ubique. Similiter contra Eutychetem, Humanam Christi naturam non esse confusa cum Diuina, quia Diuina est ubique, non autem humana.

Respondeo. Duplex est differentia inter Deum & creaturam quoad existentiam localem. *Vna*, quod Deus de facto sit ubique, non autem creatura. *Altera*, quod Deus necessariè & naturaliter sit ubique, quia intrinsecè & essentialiter est immensus; ac proinde non potest non esse ubique. Hoc de creatura dici non potest. Patres ergo iuxta priorem differentiam argumentantur. Nam si solus de facto est ubique Deus: certè Spiritus sanctus conuincitur esse Deus, quia est ubique. Et Christi humanitas conuincitur non esse confusa cum diuinitate, quia non est ubique.

13 Quarta Obiectio. Si idem corpus esset in duobus locis, iam esset simul vnum & multa. Nam corpus Christi, ut est in altari, non continuatur cum eodem ut est in cœlo. Ergo est diuisum. Ergo non est vnum: Et tamen ponitur esse vnum. Ergo est vnum & non vnum. Respondeo, ex duplice locali praesentia eiusdem rei non sequitur eandem rem in se esse diuisam; sed praesentias inter se diuisas & distin-

distinctas inesse eidem rei. Hoc autem non est contra rationem vnius ex parte subiecti, sed ex parte praesentiæ localis. Nos autem non dicimus esse vnam praesentiam localem, sed esse duas in uno subiecto praesentias.

Quod autem obiicitur. Corpus existens in altari non continuari cum eodem existente in cœlo, ac proinde diuisum esse, verum est ratione praesentiæ localis, non autem ratione corporis secundum se. Est enim vnum & indivisum corpus, quod habet duas praesentias locales, non continua-
tas, ac proinde localiter diuisas.

14 Hinc etiam soluitur, quod alij obiiciunt fore, ut idem à seipso distaret. Nam idem distaret à seipso secundum diuersas praesentias, non autem secundum suam entitatem.

Quinta Obiectio. Si corpus ponatur in duobus locis circumscriptiuè, sequitur hæc contradic̄tio, quod erit extra aliquem locum, & non erit extra locum. Nam, quod est circumscriptiuè in loco, hoc ita circumscribitur illo loco, ut extra illum locum non sit. Si ergo ponatur in duobus locis, iam erit extra illum locum, quo circumscribitur, quod implicat.

Respondeo, ut corpus sit circumscriptiuè in aliquo loco, solum requiritur, ut commensuretur illi loco, ita ut termini illius loci & locati sint simul; non autem requiritur, ut non sit alibi tanquam in alio loco. Potest enim duobus locis commensurari, quia hoc non implicat.

15 Sexta Obiectio. Corpus existens circumscriptiuè in loco est æquale loco, teste Aristotele. Ergo si est in duobus locis, est æquale utriusque loco simul. Ergo est maius uno loco seorsim sumpto. Ergo non est illi æquale, & tamen ponitur esse æquale. Respondeo primo, hoc argumentum potest retorqueri in simili mysterio de penetratiōne duorum corporum in eodem loco. Sicut enim corpus locatum est æquale loco, ita vicissim locus est æqualis locato, cum sit mutua relatio. Ergo quando duo corpora sunt penetratiuè in eodem loco, iam is locus est æqualis utriusque corpori simul. Ergo est duplo maior altero seorsim sumpto. Ergo non est æqualis, & tamen ponebatur æqualis.

Respondeo secundo. Corpus existens in duobus locis circumscriptiuè potest dupliciter spectari. Primo , quoad extensionem quantitatis in se. Secundo, quoad extensionem localem. Hoc posteriore modo potest esse æquale duobus locis , quia potest habere duas extensiones locales ; & per vnam erit æquale vni loco,& per alteram alteri.

16 Septima Obiectio. Si idem corpus potest simul esse in duobus locis, poterit etiam bis poni in eodem loco , cùm sit par ratio. At hoc falsum est. Ergo & illud. Respondeo, aliqui negant consequentiam, quia plura accidentia specie differentia possunt esse simul in eodem subiecto , non tamen plura solo numero differentia. Potest ergo idem corpus simul habere plures præsentias in diuersis locis , quia illæ præsentiae differunt specie ; non tamen plures præsentias in eodem loco, quia differunt solo numero.

Alij tamen concedunt plura accidentia solo numero differentia posse simul esse in eodem subiecto, & consequenter idem numero corpus posse simul esse in eodem loco per plures præsentias solo numero differentes.

17 Octaua Obiectio. Idem corpus non potest simul esse in diuersis temporibus. Ergo nec in diuersis locis. Respondeo, non sequitur , quia, quod vnum corpus non possit simul esse in diuersis temporibus , non oritur ex ipso corpore , sed ex temporibus quæ non possunt esse simul, cùm semper successiuè fluant. Loca autem non fluunt , sed manent.

18 Nona Obiectio. Non potest quantitas esse extensa in loco , nisi sit extensa in se. Ergo nec potest bis extensa esse in loco , nisi sit bis extensa in se. Sed hoc posterius non potest conuenire vni & eidem quantitati. Ergo neque prius. Respondeo , negatur prior consequentia , quia extensio quantitatis in se est proprium fundamentum extensionis localis. Et ideo extensio localis non potest esse sine extensione quantitatis in se. Non enim potest esse modus sine fundamento eius cuius est modus. Illo autem fundamento semel posito , potest in eo fundari , vel una extensio localis iuxta capacitatem naturalem , vel plures , iuxta obedientiam. Nam postquam res habet

partes

partes in se, nihil repugnat quod eas habeat in diuersis locis.

19 Decima Obiectio. Si idem corpus ponatur simul in diuersis locis, sequuntur haec contradictiones, quod idem homo poterit simul viuere & non viuere, calefieri & non calefieri, moueri & quiescere, augeri & non augeri, peccare in uno loco, & mereri in altero; in uno amare Deum, in altero odire; in uno fidelis esse, in altero haereticus: in uno beatus, in altero miser aut damnatus.

Respondeo primo, cum sancto Augustino generatim, lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 11. vbi sic ait: *Ecce qualibus argumentis omnipotentie Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas?* Respondeo secundo, speciatim ad singula per duas sequentes questiones. Duas autem facio questiones, quia corpus potest esse in duobus locis dupliciter, &c.

QVÆSTIO XV.

An idem corpus existens in duobus locis habeat utroque easdem formas?

1 **H**oc dupliciter intelligi potest. Primo, de iis formis, quæ iam antè in corpore erant in uno loco existentes, antequam in altero miraculosè poneretur, ut sensus sit: an corpus, quando diuinitus ponitur in secundo loco, necessario ponatur cum his formis & accidentibus, quæ habebat in priore loco, in quo simul manet. Secundo, de iis formis, quæ adueniunt corpori de nouo, postquam existit in duobus locis; ut sensus sit: an corpus, quod est in duabus locis, si mutetur in uno, necessariò mutetur etiam in altero. De priore sensu hic agimus, de posteriore in sequenti questione.

Quod ergo ad priorem sensum attinet, distinguendum est. Nam quædam formæ per se pendent à præsentia locali, ut stare, sedere, moueri, quiescere. Aliæ non item, ut albedo, scientia, & similes formæ absolutæ, siue sunt accidentales, siue substantiales, ut anima.

2 Hoc posito Scot. & multi alij docent necessarium esse

ut corpus existens in duobus locis habeat utrobique easdem formas non dependentes à loco. Vnde si in uno loco habeat vitam (quae est forma substantialis) sanitatem, albedinem, non posse in alio loco carere illis formis, alioqui simul esset viuens & non viuens, sanum & non sanum, album & non album, quod omnino implicat.

Dices: Non implicat, quia licet corpus idem sit viuens & non viuens, non tamen respectu eiusdem loci. Sed contra instat Scotus, quia tales formae non dependent à loco. Ergo prædicantur de corpore, abstrahendo à loco. Ergo sicut implicat in uno loco simul esse viuens & non viuens; sic etiam implicat in uno esse viuens, & in altero non esse viuens. Fateor sane hoc Scotti argumentum esse bonum.

36 Prima Conclusio. Idem corpus in duobus locis existens, necessariò habet duas præsentias locales, ac proinde potest habere diuersas formas pendentes à præsentia locali. In hoc omnes conueniunt.

Secunda Conclusio. Idem corpus per absolutam Dei potentiam potest in uno loco habere quasdam formas absolutas, & non in altero. Verbi gratia, potest in uno esse calidum aut album, & non in altero. Contra Scotum. Ratio est, quia nulla hic apparet contradic̄tio. Si enim absolute sic dicas: hoc corpus est calidum & non calidum; est quidem contradic̄tio, sed posterior pars est falsa, quia absolute (id est, sine determinatione) negat corpus esse calidum, quod tamen calidum est. Si vero sic dicas: hoc corpus in uno loco est calidum, & non in altero, iam non est contradic̄tio, quia contradic̄tio debet esse eiusdem de eodem secundūm idem.

Dices cum Scoto, huiusmodi formas abstrahere à loco. Respondeo, hoc duobus modis intelligi potest. *Primo*, quod per se (secundūm entitatem suam) non pendeant à loco, & hoc verum est. *Secundo*, quod non requirant præsentiam localem proportionatam præsentiae subiecti, ut illi inhærent. Et hoc falsum est. Nam si tales formae debeat inhærente corpori in duobus locis existenti, necesse est, ut, sicut corpus habet duas præsentias locales, sic etiam formae,

formæ, quia inhærent corpori in utroque loco, habeant duas præsentias locales. Vnde sicut albedo, quæ prædicta de corpore, pendet in prædicando ab actuali inhærentia; (Si enim non inhærebat corpori, non verè prædicabitur de illo.) Sic etiam pendet à præsentia locali; quia non potest inhærente subiecto in tali loco, nisi sit præsens in tali loco.

Hinc facilè apparet, quomodo non sit contradicitione: corpus est hic album, & non Romæ, quia licet corpus sit utroque præsens; tamen fieri potest, ut albedo sit hic præsens & non Romæ.

Tertia Conclusio. Licet idem corpus, spectando absolutam Dei potentiam, possit habere quasdam formas absolutas in uno loco & non in altero, ut ostensum est: tamen, spectando potentiam ordinariam, aliter sentiendum est. Nam, verbi gratia, si Petrus prius existat alicubi, & postea simul ponatur in alio loco per actionem adductiūam, ex natura rei adferet secum omnes formas absolutas, quas in priore loco habebat.

Ratio est, quia tales formæ, vel sunt illi connaturales, ut intellectus, voluntas, sensus, quantitas, complexio corporis: vel sunt accidentariæ, ut calor, frigus, scientia, virtus. Piores habent naturalem connexionem cum illo, ac proinde naturaliter & necessariò comitantur ipsum, ubique ponitur; nec sine nouo miraculo separari ab illo possunt.

Posteriores formæ, quia realiter illi unitæ sunt per inhærentiam, non possunt etiam separari ab illo per solam positionem in alio loco. Nam illa positio per se non dissoluit unionem & inhærentiam quam habent in subiecto.

Q V A E S T I O X V I .

*An Corpus existens in duobus locis, si mutetur in uno,
mutetur etiam in altero?*

Dicam primo de mutatione locali. Secundo de alteratione corporis, cuiusmodi est calefactio. Tertio, de augmentatione. Quarto, de corruptione vel morte

anov 2 Quinto, de actionibus vitalibus, quæ fiunt per sensum, intellectum & voluntatem.

2 Prima Conclusio. Corpus existens in duobus locis potest in uno moueri localiter, & non in altero. Hoc modo Christus localiter mouetur in altari, & non in cœlo. Ratio, quia in duobus locis habet duas præsentias locales, quarum una non pendet ab altera. Ergo potest unam mutare non mutando alteram.

3 Secunda Conclusio. Corpus existens in duobus locis, ut v. g. hic Moguntiæ, & Romæ; si hic calefiat ab igne, non calefit Romæ vi eiusdem ignis. Contra Scotum. Ratio, quia ignis non potest naturaliter agere, nisi intra suam sphæram. Ergo si hic est, non potest Romæ agere.

Dices: Tametsi ignis, qui hic est, non possit Romæ calefacere, si præcisè per se spectetur; potest tamen, si spectetur subiectum in quod agit. Est enim idem subiectum hic & Romæ. Hæc ergo subiecti identitas facit, ut, quando ignis hic calefacit, etiam Romæ calefaciat.

Resp. hoc dici non potest. *Primo*, quia calor, qui Romæ producitur, est nouus effectus realis. Ergo debet fieri ab aliqua causa efficiente, quæ habeat sufficientem vim producendi illum effectum Romæ. Sed hanc vim non habet ignis per se. Neque identitas subiecti potest illi conferre, quia illa identitas non est effectiva. Ergo non potest Romæ hunc effectum producere.

Secundo, quia corpus existens in duobus locis, si in uno moueat localiter ab agente naturali, non ideo mouebitur in altero vi eiusdem agentis, ut omnes Scotistæ concedunt. Ergo sola identitas subiecti non sufficit ut mutatio facta in uno loco fiat etiam in altero.

Tertio, quia si ignis hic existens effectiuè produceret calorem hic & Romæ, iam calor ille haberet duas præsentias locales, unam hic & alteram Romæ. Sed haec duæ præsentia non sunt ambae naturales, ut omnes fatentur. Ergo altera debet esse supernaturalis. Ergo non potest produci à naturali virtute ignis.

Tertia Conclusio. Corpus existens in duobus locis, si in uno augeatur per nutritionem, non necessariò augetur in

in altero. Ratio est, quia hoc argumentum non fit sine coniunctione nouæ materiæ. Sed potest fieri, ut materia coniungatur in vno tantum loco cum corpore, & non in alio. Ergo Corpus in vno loco augebitur, & non alio.

Dices: In tali casu materia nutrimenti, quæ coniungitur corpori in vno loco, necessariò etiam transfertur in aliud locum propter identitatem subiecti. Respondeo, hoc iam refutatum est, quia nullum est agens naturale, quod illam materiam hic existentem possit Romam transferre sine motu locali. Deinde illa translatio deberet esse instantanea. Nam eodem momento etiam indiuisibili temporis, quo corpus hic accresceret per accessionem nouæ materiæ, deberet etiam Romæ accrescere; si ponamus necessariò fieri accretionem in eodem loco propter identitatem subiecti. Confirmatur illud à simili; quia si idem numero ignis existeret hic & Romæ, si hic applicaretur illi combustibili, & non Romæ, iam hic cresceret & non Romæ. Ergo, &c.

5. Quarta Conclusio. Corpus existens in duobus locis potest in vno corrumpi vel mori, & non in altero. Probatur ex dictis, quia causa corruptiva potest applicari in vno loco & in altero.

Dices: impossibile est, ut causa naturalis expellat formam à materia in vno loco & non in alio; quia non potest naturaliter expellere formam, nisi introducendo aliam. At non potest naturaliter introducere aliam, quandiu in alid loco manet prior forma in eadem materia, alioqui materia naturaliter maneret sub duabus formis, quod est absurdum. Idem argumentum fieri potest de alteratione, quia idem subiectum non est naturaliter capax contrariarum formarum. Ergo etiam in diuersis locis positum non potest eas naturaliter recipere, quia naturalis capacitas subiecti non augetur propter locorum multitudinem. Ergo non potest in vno loco calefieri, & in altero manere frigidum. Sed ad utrumque.

Respondeo, licet absolute & nulla facta suppositione repugner eandem materiam recipere contrarias formas virtute agentis naturalis, non tamen repugnat facta sup-

positiōne, quod materia sit in diuersis locis; & Deus re-linquit causas naturales agere secundūm suam virtutem. Ratio, quia quod materia non possit recipere contrarias formas, non oritur præcisè ex parte materiae, cùm illa in-differens per se sit ad recipiendas quaslibet formas natu-rales; sed oritur ex parte formarum, quæ inter se pugnant, nec se mutuò patiuntur in eodem subiecto. Hæc autem repugnantia non est inter formas, nisi sint in eodem sub-iecto, & simul in eodem loco. Vnde, si ponantur quidem in eodem subiecto, sed tamen in diuersis locis, iam non pugnant inter se.

Hoc sic ostendo: hæc repugnantia, vel est effectiua, vel formalis. Si effectiua, iam certum est formas de-bere esse in eodem loco, quia agens & patiens debent esse simul. Si enim distent inter se localiter, & alterum sit extra sphæram actiuitatis alterius, iam non possunt effectiū inter se pugnare. Si formalis, iam multò ma-gis requiritur præsentia localis. Nam formalis repu-gnantia, qua vna forma expellit alteram ab eodem sub-iecto, non est primarius, sed secundarius effectus for-mæ, & supponit primarium, nempè informationem. In-formatio autem fieri non potest, nisi forma intimè sit præsens in loco vbi est materia. Ergo repugnantia for-malis inter formas, requirit idem subiectum & eundem locum.

6 Quinta Conclusio. Homo existens in duobus locis si in vno eliceret actus vitales sensitios & intellectuos, ali-quando eliceret etiam in altero, aliquando non item. Nota, actus illos in vno conuenire, & in altero differre. Om-nes in eo conueniunt, quod sint immanentes. In eo dif-frent, quod aliqui pendeant à præsentia obiecti vel agentis extrinseci; alij non item.

Hinc dux statui possunt regulæ. Prior: homo existens in duobus locis, si in vno eliceret actus immanentes, qui re-quirunt præsentiam obiecti, vel agentis extrinseci, non eli-ceret illos in altero.

Ratio, quia potest fieri, vt in vno loco sit præsens obie-ctum, vel agens extrinsecum, & non in alio. Hoc modo si

Petrus

Petrus esset hic & Romæ, posset Romæ videre Pontificem, & non hic, quia Pontifex aut species illius visibilis non est hic præsens.

Posterior regula est : homo existens in duobus locis, si in uno eliceret actus immanentes, qui non pendent ab extrinseco, ut est actus amoris vel odij circa Deum, eosdem etiam eliceret in altero.

Ratio, quia utroque haberet idem principium actuum & passuum, quod sufficeret ad eliciendam eandem actionem. Ergo si eliceret illam in uno loco, etiam eliceret in altero.

7 Sexta Conclusio. Homo existens in duobus locis non potest in uno amare Deum, & in altero odiare : nec potest in uno assentiri propositioni alicui, & in altero dissentire ; ac proinde non potest in uno esse hæreticus, & in altero fidelis.

Ratio est, quia actus vitales contrarij (amor & odium) non possunt simul esse in eodem subiecto.

Dices: Calor & frigus possunt naturaliter esse in eodem subiecto, si subiectum miraculosè ponatur in duobus locis, ut suprà dictum est. Ergo similiter si homo per miraculum ponatur in duobus locis, poterit in uno amare Deum, & in altero Deum odiare.

Respondeo, non est simile, quia Corpus existens in duobus locis, si in uno calefiat ab igne, non potest in altero calefieri ab eodem igne, ut ostensum est ; ac proinde potest in uno esse calidum, & in altero frigidum, præsertim cum hæ formæ actu non pugnent inter se : nisi sint simul in eodem loco. At homo existens in duobus locis, si in uno amaret Deum, in altero etiam amaret : & si in uno odiasset Deum, in altero etiam odiasset ; Et sic fieret ut simul in eodem loco haberet contrarios actus amoris & odij circa idem obiectum, quod fieri non potest.

Dices : Si non naturaliter, saltem supernaturaliter id fieri potest. Respond. probabilius est ne sic quidem fieri posse. Nam inter actus vitales contrarios tanta est repugnancia, ut etiam per potentiam Dei absolutam non possint esse simul in eodem subiecto. Ratio est, quia unus

330 CAP. XVII. DE SACRAMENTIS
destruit obiectum alterius. Nam amor Dei versatur circa
Deum , quatenus apprehenditur sub ratione summi boni :
odium autem versatur circa Deum , quatenus apprehendi-
tur sub ratione mali. At fieri non potest ut intellectus ap-
prehendat Deum sub ratione summi boni,& simul sub ra-
tione mali secundum eandem rationem obiectiuam. Er-
go fieri non potest ut voluntas simul amore , & odio
Deum prosequatur secundum eandem rationem obie-
ctiuam.

Dices : Intellectus Romæ existens potest appre-
hendere Deum sub ratione boni , & Moguntiæ existens po-
test illum apprehendere sub ratione mali. Ergo volun-
tas potest illum Romæ amare , & Moguntiæ odiisse. Re-
spond. hoc etiam fieri non potest ob naturalem sym-
pathiam eiusdem animæ existentis in uno loco ad existen-
tem illam eandem in alio loco. Nam si in capite appre-
hendat bonum aliquod sensibile per imaginationem , sta-
tim in corde excitatur ad amandum illud bonum per ap-
petitum sensituum,nec potest illud odiisse seu malum. Vnde
si eadem anima existeret hic , & Romæ , si hic appre-
henderet aliquod bonum per intellectum , Romæ ama-
ret illud per voluntatem ; nec posset illud Romæ odiisse.
Hoc facit naturalis sympathia , quæ est inter potentias
animæ , quatenus radicantur in eadem anima , & ab illa
dimanant. Vnde etiam non pendet ex loco , sed ex iden-
titate subiecti.

8 Septima Conclusio. Homo existens in duobus locis
non potest in uno esse iustus per gratiam sanctificantem ,
& in altero iniustus per maculam habitualem peccati
mortalis. Ratio , quia tunc simul esset Filius Dei , & filius
diaboli , dignus æterna poena , & æterna beatitudine , hæ-
res mortis & vitæ. Hoc autem repugnat Diuinæ Bonitati ,
Misericordiæ, Sapientiæ & Prouidentiæ,cuius omnia ope-
ra perfecta sunt , & qui gubernat omnia suauiter. Cum
enim summè bonus & misericors fit , non potest velle , ut
anima , quæ ipsi grata & amica est , simul fit misera & de-
solata. Imò aperte pugnat cum vera amicitia.

Primo , quia amicorum omnia debent esse communia.

Secundo,

Secundo, quia amicus non debet amicum relinquere in miseria, cùm possit illum iuuare; aut, si facit, verus amicus non est.

¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶. ¶¶¶.

CAPUT XVIII.

De transubstantiatione.

HACTENVS contra Zuinglianos & Caluinistas ostensum est, Christum esse præsentem in Eucharistia: nunc inter Catholicos & Lutheranos disceptatio est, quomodo fiat præsens, Catholicæ docent fieri per transubstantiationem, id est, per conuerzionem totius substanciæ panis ac vini in Corpus & sanguinem Christi. Lutherani volunt manere substantiam panis & vini cum Corpore & sanguine Christi, ideoque negant hanc conuerzionem, afferuntque Christum fieri præsentem, vel per ubiquitatem, (secundum doctiores inter eos) vel per vniōnem hypostaticam Christi cum pane, vel alio modo; v. g. impanatione. Hæc omnia examinanda sunt. Ac primo queri potest, an Christus possit esse præsens sine conuerzione panis. Secundo, an re ipsa fiat præsens per conuerzionem panis. Tertio, quid requiratur ad hanc conuerzionem. Quarto, quid hæc conuersio faciat circa Corpus Christi. Quinto, quid faciat circa panem.

QUESTIO I.

An Christus possit esse præsens in Eucharistia sine conuerzione panis?

NON queritur: An vi consecrationis possit esse præsens sine conuerzione panis, de quo in sequenti questione dicemus: sed an absolute, & sine ullo respectu ad verba consecrationis possit fieri præsens manente substantia panis & vini. Non ergo queritur iam supposita institutione; sed de absoluta Dei potentia.

Prima opinio est, quorumdam Thomistarum id fieri non posse, quia D. Thom. art. 2. ex sola præsentia Corporis Christi

Christi colligit absentiam substantiæ panis. Hæc autem collectio nulla esset, si substantia panis posset manere cum præsentia Christi. Secundo, quia quod incipit alicubi esse præsens vbi antea non erat, aut fit præsens per motum localem, aut per nouam productionem, aut per conuersiōnem alterius in ipsum. Sed Christus non potest fieri præsens in Eucharistia per motum localem, aut per nouam productionem. Ergo necessariò debet fieri præsens per conuersiōnem panis in ipsum.

Prima pars minoris patet, quia quod mouetur localiter, deserit unum locum, & acquirit alium. Christus autem nunquam deserit locum in cœlo. Ergo per motum localem non potest venire ad altare. Secunda pars patet, quia, quod iam ante existit in rerum natura, hoc de novo non producitur. Christus autem existit in rerum natura antequam fiat præsens in Eucharistia. Ergo de novo non producitur.

Secunda Opinio est, Christum quidem absolutè posse fieri præsentem in Sacramento, manente substantia panis, non tamen fore præsentiam eiusdem rationis cum illa quam nunc habet in Eucharistia. Ratio, quia impossibile est relationem esse sine fundamento. Sed relatio præsentia, quam Christus nunc habet in Sacramento, fundatur in conuersione panis in ipsum. Ergo impossibile est, esse talem præsentiam sine tali fundamento.

2 Prima Conclusio: Absolutè loquendo fieri posse, ut Christus salua manente substantia panis haberet præsentiam Sacramentalem eiusdem rationis cum illa, quam nunc habet, & cum omnibus intrinsecis conditionibus, quæ sunt tres potissimum. Prima est, quod ita sit præsens in Sacramento, ut non amittat præsentiam in cœlo. Secunda, quod sit indiuisibiliter præsens, id est, totus in toto, & totus in qualibet parte. Tertia, quod intimè & inseparabiliter sit præsens cum accidentibus panis. Has easdem conditiones posset habere manente substantia panis.

Hoc solum esset discriumen, quod tunc accidentia panis non essent sine subiecto, vel certè, si essent sine subiecto, non tamen distarent ab illo. Posset enim Deus subiectum

iectum panis conseruare vel sine vnione cum accidentibus, vel cum vnione. His positis.

Probatur conclusio, quia, ut Christus fiat praesens manente pane, nullam dicit repugnantiam, nec ex parte ipsarum rerum seu terminorum, id est, Christi Corporis & substantiae panis: nec ex parte actionis, per quam fit illa presentia. Prima pars probatur. *Prima*, quia non repugnat vnum corpus fieri alteri praesens in eodem loco circumscriptiuè per mutuam penetrationem. Ergo non repugnat fieri praesens Sacramentaliter.

Secundo, quia nunc de facto quantitas Corporis Christi est intimè praesens quantitati panis. Ergo eodem modo substantia Corporis Christi posset fieri praesens substantiae panis, cum hic non sit maior difficultas, quam ibi.

Tertio, quia substantia Angeli per solas vires naturæ potest esse indivisibiliter praesens substantiae panis. Ergo etiam substantia Corporis Christi per absolutam ipsius Dei potentiam.

Nec obstat, quod Corpus Christi habeat quantitatem, & non Angelus, quia iam ostendi ex illo capite, nullam esse repugnantiam. Nam de facto constat, quantitatem Corporis Christi intimè presentem esse quantitati panis.

Secunda pars, quod non sit repugnancia ex parte actionis probatur. *Primo*, quia duæ partiales actiones possunt hic intelligi. *Vna* priuatiua, quia panis substantia definit. *Altera* positiva, quia Corpus Christi fit praesens. At haec duæ actiones non sunt essentialiter connexæ. Ergo possunt à se inuicem separari. Ergo Corpus Christi posset fieri praesens sine desitione panis; sicut vicissim panis posset definire sine presentia Corporis Christi.

Secundo, quia duo modi, seu duæ actiones assignari possunt, quibus Corpus Christi fiat praesens manente pane. Ergo ex parte actionis non est repugnancia. Antecedens patet ex duabus sequentibus conclusionibus.

3 Secunda Conclusio: Christus uno modo posset fieri praesens intra panem per actionem substantialem, quæ per se primo terminetur ad substantiam Corporis Christi per modum creationis vel conseruationis, ad quam talis praesentia

• 334 CAP. XVIII. DE SACRAMENTIS
fentia consequatur. Ratio, quia si Corpus Christi alibi non existeret, posset à Deo creari cum noua præsentia locali sine alterius rei desitione. Ergo etiam posset creari intra substantiam panis, cum præsentia Sacramentali, sine desitione substanciali panis, quia hic nulla est repugnantia siue ex parte rerum, siue ex parte actionis, ut ostensum est. Ergo, etiamsi Corpus Christi alibi existat, poterit per similiem actionem fieri præsens intra substantiam panis.

Hæc vltima sequela patet, quia eadem res potest dupli actione produci aut conferuari. Ergo licet alicubi existat per vnam actionem, poterit alibi recipere eandem existentiam per aliam actionem, quæ ex se esset sufficiens rei productio, si res non supponeretur existens. Hæc tamen actio, quæ rem vno loco existentem produceret substancialiter in alio loco, non deberet propriè vocari productio, sed quasi conseruatio, quia propriè non daret existentiam de nouo, sed rem existentem in vno loco, inciperet quasi conseruare in alio loco.

Dices: Conseruatio est eadem actio cum productione, quia nihil aliud est, quam productio durans seu permanens. Sed illa actio, qua Corpus Christi existens in cœlo, poneretur intra substantiam panis, non esset eadem actio cum productione Christi, quia Christus est productus in utero materno. Ergo non esset conseruatio.

Respondeo. Res aliquando potest conseruari per actionem distinctam à productione, quo pacto multi Philosophi docent lumen productum ab una lucerna posse conseruari ab alia. Et hinc confirmatur conclusio, quia idem effectus potest naturaliter ab una causa produci per vnam actionem, & postea ab alia causa conseruari per nouam actionem, priori actione desinente. Ergo etiam virtute Diuina poterit idem Corpus ab una causa per actionem substanciali producti, & postea per aliam actionem in alio loco conseruari, priori actione non desinente.

Hoc vltterius sic explico: idem effectus potest produci à duabus causis totalibus per absolutam Dei potentiam. Ergo potest produci duabus distinctis actionibus, quarum una non dependeat ab altera, sicut una causa totalis non pendet

pendet ab altera. Ergo potest etiam conseruari per duas actiones à se mutuò non dependentes. Ergo sicut indiferenter ab initio produci potuisset vel ab vna totali naturaliter, vel à duabus supernaturaliter; sic in progressu conseruari possit vel ab vna vel à duabus totalibus. Si ergo ponamus effectum ab vna totali causa productum esse Romæ; poterit postea ab alia totali poni, & conseruari Moguntiæ per actionem à priore independentem. Vtraque tamen erit substancialis, & eiusdem rationis.

Dices: Posterior actio nihil noui ponit. Ergo non est noua actio. Confirmatur, quia omnis actio realis habet aliquem terminum, seu effectum realem. Ergo noua actio realis habet nouum effectum realem. Respondeo. Actio potest dupliciter dici noua. Primo, quia effectus nouus est. Et ita communiter sumitur. Secundo, quia licet effectus non sit nouus, incipit tamen habere nouam dependentiam. Hoc sensu actio conseruativa dicitur esse noua.

¶ Tertia Conclusio: Christus alio modo posset fieri praesens intra panem per actionem accidentalem, siue per actionem adductiua, per quam nihil acquiratur, quam præsentia. Ratio est, quia præsentia, quam Christus nunc habet in Sacramento, est modus realis & accidentalis, ut suprà dictum. Ergo per se primo potest terminare actionem realem. Ergo sicut nunc (de facto) quasi secundario producitur in Sacramento cessante substantia panis; ita per se primò produci posset eadem substantia permanente.

Confirmatur, quia sicut Deus potest idem corpus, quod est Moguntiæ, ponere Romæ per solam actionem adductiua: ita potest Christum, qui est in cœlo, constituere intra substantiam panis per similem actionem adductiua.

Dices: Sola actio adductiua non sufficit, quia sicut corpus Romæ existens debet conseruari per actionem substancialiem: sic etiam Moguntiæ existens debet similiiter conseruari. Ergo sola actio adductiua, quæ est accidentalis, non sufficit.

Respondeo, potest in utroque loco conseruari per eandem actionem, cum sit idem numero terminus. Nam sicut

idem

336 CAP. XVIII. DE SACRAMENTIS
idem numero terminus potest esse in duobus locis, sic ea-
dem actio cōseruatiua illius termini potest esse in duobus
locis. Aliud est de actione, qua producitur præsentia lo-
calis. Sicut enim duæ sunt præsentia reales in duobus lo-
cis; sic debent esse duæ actiones, quibus illæ producuntur.

Dices secundo: Non potest intelligi, quomodo Christus,
qui est in cœlo, possit per solam adductiūam actionem
poni in terra, non transeundo per medium. Respond. Aliud
est loqui de motu locali, qui fortè non potest fieri ex uno
loco in alium distantem, nisi per medium: aliud de ac-
tione adductiūa, per quam res non mutat priorem locum,
sed retento priore simul constituitur in alio distante. Un-
de non est transitus de loco in locum, sed est simplex pro-
ductio nouæ præsentia localis.

5 Ex dictis patet, Christum per absolutam Dei poten-
tiā posse ponī intra substantiam panis, vel per actionem
substantialem, vel per adductiūam. Igitur ad argumentum
primum primæ opinionis. Respondeo. Ex sola præsentia
Corporis Christi posse colligi absentiam substantiae pa-
nis, non simpliciter, sed supposita veritate horum verbo-
rum: *Hoc est Corpus meum*, ut postea dicemus. Ad secundum
respondeo. Plures modos posse cogitari, quibus Christus
fiat alicubi præsens, ubi antea præsens non erat, ut ex di-
ctis patet.

Ad argumentum secundæ opinionis respondeo. Rela-
tionem præsentia Christi in Eucharistia non fundari in
conuersione instantanea & transeunte, quia fundamentum
debet manere quamdiu manet relatio; sed fundari in ipsa
præsentia locali. Nam ex eo quod res est hic præsens loca-
liter, potest fundare relationem propinquitatis vel distan-
tia, ut supra de præsentia dictum.

Q V A E S T I O II.

*An Christus reipsa fiat præsens in Eucharistia per conuer-
sionem panis, siue transubstantiationem?*

1 **O** Mitto Zuinglianos & Caluinistas, qui cùm negent
præsentiam Christi, simul etiam negant conuer-
sionem

sionem panis seu transubstantiationem. Alij ergo, qui admittunt presentiam Christi, in varias opiniones distracti reperiuntur.

Prima Opinio est, Christum fieri presentem in Eucharistia per Ubiquitatem, sine vlla conuersione panis. Ita Lutherus *in lib. qui inscribitur Confessio Martini Lutheri de Cœna Domini.* Brentius *in Apologia pro confessione Vuittembergensi, in tractatu de Cœna Domini.* Illyricus *in lib. de Ascensione Domini.* Smidelinus *in thesibus de Majestate Christi hominis.* Et plerique alijs Lutherani, qui defendunt Ubiquitatem, excepto Kemnitio, qui licet Ubiquitarius sit in libro de duabus Christi naturis, tamen *in Exam. Conc. Trid. sess. 13. cap. 4.* dicit, fundamentum presentie Corporis Christi non esse Ubiquitatem.

Hic obiter notanda est inconstantia Lutheranorum, qui prius admirerunt transubstantiationem, & postea negarunt. Admisit illam Lutherus *in libro de abroganda Missa priuata.* Et *in sermone quodam de Eucaristia.* Negauit illam *in libro de capt. Babylon. cap. de Eucaristia,* non quidem simpliciter, sed tanquam minus consentaneam Scripturis. Et dicit neutrum esse de fide, &c.

Similiter admirerunt illam Confessionistæ in Confessione Augustana, quæ Carolo V. fuit Germanicè oblata, *articulo 10.* Et hæc fuit prima, vbi dicunt: Sub speciebus panis & vini adesse in Cœna Dominica Corpus & sanguinem Christi, quasi dicerent, Christum adesse per transubstantiationem. Vnde illum articulum probarunt Catholici, vt videre est apud Andream Fabricium *in Harmonia Conf. Augustana.* Caluinistæ & alijs Lutherani reiecerunt, nominatim Heshusius *in libro de presentia Corporis Christi.* Et Hieronymus Zangius *in suis Miscellaneis Caluinisticis, fol. 278.* & fuit Caluinista. Postea tamen iidem Confessionistæ in quibusdam editionibus sustulerunt *ex articulo 10.* citata verba, & hæc supposuerunt: Cum pane & vino adesse Corpus & sanguinem Christi.

In hoc negotio magna fuit impudentia Melanchthonis, qui Confessionem Augustanam exhibuit Imperatori anno 1530. cum illis verbis: *Sub speciebus panis & vini adesse*

corpus & sanguinem Christi, quæ verba tunc approbata sunt à Catholicis. At sequenti anno eandem confessionem Latinè edidit cum Apologia. Et quidem *articulo 10. confessionis* nullam fecit mentionem panis & vini. In Apologia vero affirmauit Catholicos admississim articulum decimum, in quo dicatur, *Christum adesse cum pane & vino*. Hoc erat vero apertum mendacium.

2. Secunda Opinio est, Christum fieri præsentem per impanationem, id est, per coniunctionem seu unionem cum pane. Ita olim Discipuli Berengarij, teste Quidmundo: non tamen explicabant quomodo fieret ista coniunctio. Idem videtur sentire Kemnitius in *Examine*, *seff. 13. cap. 4.* ubi negat, Christum fieri præsentem vel per Ubiquitatem, vel per unionem personalem Christi cum pane. Videtur ergo aliam unionem agnoscere, quam recentiores Lutherani vocant Sacramentalem.

Scripsit nuper Ioannes Debelius Professor Ienensis in Saxonia, disputationem Theologicam de sacra Cœna, ubi capite 1. §. 1. sic habet: *Credimus in Eucharistia veram & substantialem, non solum panis & vini, sed etiam corporis, sanguinisque Christi præsentiam, exhibitionem, manducationem & bibitionem, quæ præsentia non est localis inclusio corporis in panem, neque incorporatio in panem, neque consubstantiatio, neque physica inexistentia, neque delitescentia corpusculi sub pane; neque quicquam huiusmodi carnale aut physicum, sed est præsentia Sacramentalis; quæ ita comparata est, ut modo incomprehensibili (ecce Caluinistam) pani benedictio tanquam medio diuinitus instituto, Corpus Christi unionatur, &c.* Hæc verba licet sint hominis Lutherani, videntur tamen Caluinismum sapere.

Tertia Opinio est, Christum fieri præsentem per unionem hypostaticam V E R B I cum pane. Ita Rupertus Abbas Tuiciensis libro 6. in *Ioannem*, circa verba Christi, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*. Vbi dicit: V E R B U M æternum per Incarnationem factum hominem, non destruendo vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem; & eodem modo per consecrationem Eucharistie idem V E R B Y fieri panem, non destruendo vel mutando,

tando, sed personaliter assumendo panem. Vnde aperte fatetur, Christum dici panem facta consecratione, sicut dicitur Homo facta Incarnatione.

Idem Auctor libro 2. de diuinis Officijs, capite 2. & 9. de eadem re multa dicit. Primo, panem fieri Corpus Christi, non quod conuertatur in carnem Christi, sed quod assumatur à V E R B O. Vnde sequitur panem esse Corpus Christi non humanum & carneum, sed panaceum, & longè diuersum ab illo, quod de B. Virgine Maria sumptum est.

Secundo, hæc duo corpora posse dici vnum, quia est vnum suppositum vtriusque. Est enim vna persona V E R B I, quæ vtrumque assumpsit. Vnde sequitur, sicut humanitas Christi non habet propriam subsistentiam, sed terminatur per subsistentiam V E R B I, idem dicendum esse de substantia panis.

Tertio, hæc duo corpora, scilicet panaceum & carneum esse etiam vnum, quia idem Christus est in carne sursum, & in pane deorsum; id est, idem Christus habet duo corpora; vnum carneum in cœlo, & alterum panaceum in altari. Et illud putat manere semper in cœlo.

Quarto, Impios in Eucharistia nihil accipere, nisi corpus panaceum; pios autem accipere vtrumque corpus. Nam quia idem Christus sursum est in carne, & deorsum in pane, ideo in pane sumitur ore corporali, quod est commune piis & impiis; in carne autem quæ est sursum, non sumitur nisi ore spirituali, quo carent impij.

Quarta Opinio est, Christum fieri præsentem per vniōnem hypostaticam, non quidem V E R B I cum pane, vt Rupertus, sed Corporis Christi cum pane, accipiendo Corpus Christi pro altera parte compositi, non autem pro toto homine. Ita Ioannes Parisiensis, qui palam oppugnauit immediatam vniōnem V E R B I cum pane, quam posuerat Rupertus, & excogitauit mediata m vniōnem, qua V E R B U M assumpsit panem mediante Corpore Christi, vt refert Vvaldensis tomo 2. de Sacramentis, cap. 65.

Hinc inferebat contra Rupertum, Deum non dici absolute panem, quia panis non coniungitur Deo, nisi mediante

340 C A P . X V I I I . D E S A C R A M E N T I S
parte humanitatis Christi , sicut Æthiops non dicitur ab-
solutè albus , quia albedo non est in toto Æthiope , sed in
folis dentibus.

Simile quid videtur sensisse Lutherus in lib. de capt. Ba-
bylon. vbi dicit hanc propositionem esse veram : *Panis est*
Corpus Christi ; propter vniōnēm panis cum corpore.

5 Quinta Opinio est , Christum fieri præsentem per con-
uerſionem , non quidem totius panis in Corpus Christi ,
sed aliquarum partium integrantium. Ita olim hostes Be-
rengarij , teste Quidmundo ; afferentes panem partim mu-
tari in Corpus Christi , partim non mutari. Hoc ideo aſſe-
rebant , quia putabant indignum , ut Corpus Christi ſume-
retur ab impiis. Itaque volebant eam partem panis , quæ
à piis ſumenda erat , conuerti in Corpus ipsius Christi per
confeſcationem , aliam verò , quæ ab impiis erat ſumenda ,
non conuerti.

6 Sexta Opinio est , Christum fieri præsentem per con-
uerſionem non totius panis , sed alterius partis eſſentia-
lis , nempe formæ aut materia. Et quidem Durandus in 4.
diſtinct. II. quæſt. 3. dicit , ſolam formam panis perire , ma-
teriam verò informari ab anima Christi , ac proinde talem
effe conuerſionem panis in Corpus Christi , qualis eft con-
uerſio cibi in noſtrā carnem per nutritionem. Perit enim
forma cibi , & manet materia , quæ incipit informari ab
anima humana.

Alij contrà ſentiunt ſolam materiam panis perire , non
formam , ut refert D. Thomas hic art. 6. Et hæc eft per ſe
perſpicua ſententia , & in ſe non mala.

7 Septima Opinio eft , Christum fieri præsentem per
conuerſionem totius naturæ panis , ſalua ipsius ſubſiſtentia. Ita Godfridus quodl. 8. q. 16. Ratio eft , quia illud tantum de-
ſinit in pane , quod conuertitur in Corpus Christi Domini.
Sed ſola natura panis potest conuerti in Corpus Christi ,
non autem ſubſiſtentia. Ergo ſola natura deſinit manente
ſubſiſtentia.

Minor patet , quia Corpus Christi habet naturam hu-
manam & ſubſiſtentiam Diuinam. Ergo in ſolam naturam
potest aliiquid conuerti , & non in ſubſiſtentiam. Ergo na-
tura

tara panis conuertitur in naturam humanam Christi , & subsistētia panis manet integra, quia non potest conuerti in subsistentiam Diuinam. Manet autem in eum usum , ut per illam subsistant ipsius panis accidentia.

8 Octaua Opinio est, Christum fieri præsentem per conversionem panis , salua ipsius existentia substantiali. Ita aliqui recentiores Thomistæ. Et ratio sumitur ex duobus principiis. Vnum est existentiam realiter distingui ab essentia. Alterum est accidentia non habere proprias existentias, sed existere formaliter per existentiam subiecti. Ex priori colligunt solam essentiam panis potuisse conuerti in essentiam Corporis Christi , non autem existentiam, quia Corpus Christi non habet existentiam creatam , in quam conuerti possit existentia panis , sed existit per existentiam Verbi. Ex posteriori colligunt accidentia panis non posse existere, nisi per existentiam subiecti ; ac proinde cum certum sit remanere accidentia panis post consecrationem , certum quoque esse remanere existentiam panis , sine qua non possunt existere accidentia.

Contra has omnes opiniones definitum est in Concilio Trident. sess. 13. cap. 4. can. 2. Totam substantiam panis conuerti in Corpus Christi, & nihil panis remanere præter accidentia. Sit ergo.

9 Prima Conclusio : Christus non fit præsens in Eucharistia per Ubiquitatem, ut volunt Lutherani. Probatur primo, quia Ubiquitas suprà cap. 16. refutata est. Secundo, quia ex illa sequitur, Eucharistiam non esse Sacramentum. Nam Sacraenta nouæ Legis pendent ab institutione, & verbis Christi. At si vera est doctrina Ubiquitarum , præsentia Corporis Christi in Eucharistia, non pendent ab institutione, & verbis Christi. Ergo non est Sacramentum. Minor patet , quia si Corpus Christi est ubique vi unionis Hypostaticæ, ut ipsi volunt. Ergo fuit etiam in pane , antequam Christus institueret Sacraenta, & antequam pronunciasret hæc verba : *Hoc est Corpus meum.*

Dicent fortasse : Sacramentum Eucharistiae pendere ab institutione, & verbis Christi , non quantum ad præsentiam eius, sed quantum ad symbola panis & vini , quæ

342 C A P . X V I I I . D E S A C R A M E N T I S
non essent Symbola , nisi à Christo ad hoc instituta essent.
Quamuis enim Christus sit ubique præsens vi vñionis hy-
postaticæ, non solum in pane & vino, sed etiam in aliis re-
bus ; non tamen instituit Christus , vt aliæ res essent signa
ipsius post consecrationem, sicut instituit de pane & vino.

Hoc potest confirmari à simili. Deus enim ubique præ-
sens est , & tamen olim instituit , vt arca Testamenti esset
signum præsentia ipsius , non autem res aliæ. Sed contrà,
quia hæc omnia procedunt ex falso fundamento Ubiqui-
tatis Christi. Deinde confirmingant sententiam Caluinista-
rum contra Lutheranos. Sacra menta enim nouæ legis, tum
quoad essentiam, tum etiam quoad efficaciam integre pen-
dunt ab institutione Christi. Si ergo sola Symbola panis
& vini cum sua significatione pendent ab institutione
Christi, iam sola Symbola cum sua significatione erunt in-
tegrum Sacramentum Eucharistiae ; ac proinde illa verba :
Hoc est Corpus meum, erunt sic explicanda : hic panis est
signum corporis mei , quod est planè Caluinisticum.

Tertio , ex Ubiquitate sequitur Corpus Christi non mi-
nus manducari in pane communi , quam in pane Eucha-
ristico ; quia in utroque est æquè præsens secundum Ubi-
quitistas.

Dicent fortasse : licet in utroque sit æquè præsens : non
tamen æquè prodest , quia in pane Eucharistico confert
aliquem fructum spiritualem , quem non confert in pane
communi. Sed contrà , quia in illo fructu spirituali duo
spectari possunt secundum Lutheranos. Primo , vt quis ex-
citet in se fidem, & actu credat peccata sibi esse remissa per
merita Christi. In hoc enim consistit ratio fidei iustifi-
cantis secundum aduersarios. Secundo , vt reuera conse-
quatur effectum hunc remissionis peccatorum. Sed utrum-
que fieri potest in communi cibo & potu extra Eucha-
ristiam.

De primo patet, quia Lutherani (saltem aliqui) credunt
Christum esse ubique ; ac proinde esse in communi cibo
& potu. Ergo possunt excitari ad credendum, quando vi-
dent communem cibum & potum, in quo Christus secun-
dum illorum fidem est. De secundo etiam patet , quia Lu-
therano

theranorum fides est certa & infallibilis, ut ipsi volunt. Ergo quando ex aspectu cibi & potus communis excitantur ad actualē fidem, & credunt sibi remitti peccata per merita Christi, iam certum & infallibile est ita fieri. Ergo semper habent fructū fidei. Ergo non minus prodest illis communis panis quam Eucharisticus.

Quarto ex Vbiuitate sequitur Christum in Eucharistia præsentem esse non solū in usu & mandatione, sed etiam extra usum & mandationem, quod negant Lutherani.

Secunda Conclusio. Christus non sit præsens in Eucharistia per simplicem coniunctionem cum pane, ut volunt aliqui Lutherani. Ratio sumitur ex duobus principiis Lutheranorum: Vnum, illa verba: *Hoc est Corpus meum*; propriè esse intelligenda, non metaphoricè; in quo conueniunt nobiscum. Alterum est per pronomen *Hoc*, intelligi panem, in quo conueniunt cum Calvinistis. Igitur volunt hunc esse sensum verborum: hic pars est verè & propriè Corpus Christi. Nunc ita argumentor: quando duas res distinctæ ac disparatæ non aliter inter se vniuntur, quam per simplicem coniunctionem, tunc una non potest verè ac propriè dici altera. Non enim rectè dicimus: Equus est verè ac propriè asinus, licet coniungantur ratione loci & stabuli. Neque rectè dicimus: Christus est verè & propriè aqua, licet sint simul in eodem loco secundum Vbiuitarios. Et sic de aliis. Atqui panis & Corpus Christi sunt duas res distinctæ & disparatæ, nec aliter vniuntur, quam per simplicem coniunctionem, ut suppono ex aduersariis. Ergo panis non potest verè ac propriè dici Corpus Christi.

Dices: Maior propositio videtur falsa, quia Deus & Homo sunt res maximè distinctæ & disparatæ, & tamen ob illorum inter se coniunctionem rectè dicimus: Deus est Homo, & Homo est Deus. Respondeo, hæc obiectio procedit de Unione Hypostatica, de qua post: nos autem loquimur de coniunctione simplici, qualis est inter duas res, quæ tantum ratione loci coniunguntur.

Dices secundo, Lutherani per simplicem coniunctionem

intelligunt vniōnem Sacramentalem. Respondeo , hoc est abuti vocabulis. Deinde nihil hoc illos iuuat ; quia signum non propriè & verè dici potest res signata. Quis dicat hederam esse propriè & verè vinum ? Ergo si panis & Corpus Christi habent tantūm coniunctionem Sacramentalem , qualis est inter signum & rem signatam ; non licet dicere ; panis est verè ac propriè Corpus Christi , sicut non licuit dicere : Arca Testamenti est propriè ac verè Deus.

II Tertia Conclusio. Christus non fit præsens in Eucharistia per Vnionem Hypostaticam panis cum V E R B O , vt vult Rupertus. Primo , quia licet hæc Vnio non sit impossibilis , tamen nec ex Patribus , nec ex Scripturis probari potest factam esse. Nec illus ante Rupertum hoc affirmauit. Secundo , quia pugnat cum his Christi verbis : *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Nam panis, quem Christus dat in Eucharistia, non est caro Christi secundūm Rupertum , sed est Corpus Christi panaceum. Ergo si verba Christi sunt vera , Ruperti sententia est falsa. Tertio , pugnat cum his verbis : *Hic est sanguis meus.* Quamuis enim panis & vinum Hypostaticè vñita essent V E R B O , sicut eidem V E R B O Hypostaticè vñita sunt caro & sanguis Christi , non tamen liceret dicere : Hoc vinum est sanguis Christi ; sicut non licet dicere : Hæc caro est sanguis Christi. Ratio est (generalis) quia communicatio Idiomatum fit in supposito (non in natura.) Ergo termini propositionis debent significare suppositum , & non aliquam partem naturæ suppositi.

Quarto , pugnat Rupertus cum præsentia Corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Vnde omnia argumenta quibus probauit carnem Christi & sanguinem contineri in Eucharistia, euidenter procedunt contra Rupertum.

Dices : Aliqui ex Patribus videntur fauere Ruperto. Nam Cyprianus in Sermone de Cœna Domini comparans Eucharistiam cum Incarnatione , sic ait : *Sicut in persona Christi Humanitas videbatur, & latebat Diuinitas : ita Sacramento visibili Diuina fæse infudit essentia.* Et Damascen.lib.4. cap.14. *Quoniam ita fert hominum consuetudo, ut panem edant & vinum*

& vinum bibant, idcirco Diuinitatem suam cum ipsis coniunxit.
Similia habent Remigius Remensis, & Haymo in cap. 12. ad
Corinthios.

Respondeo, quando hi Patres dicunt Diuinitatem infundere se pani, intelligunt ita se infundere, ut conuerteret panem in Corpus Christi, non autem ut hypostaticè sibi coniungat. Nam iidem Patres aperte concedunt conuersionem.

12 Quarta Conclusio. Christus non fit praesens in Eucharistia, per Unionem Hypostaticam panis cum Corpore Christi, ut vult Ioan. Par. Ratio est, quia Unio Hypostatica non fit in natura, sed in persona, aut substantia. Sed in Christo Homine non est substantia creata, sed sola Natura. Ergo non potest fieri unio Hypostatica immediata in tali Natura, vel in aliqua parte illius, verbi gratia, in anima, corpore. Ergo si est aliqua Unio Hypostatica, debet immediatè fieri in subsistentia V E R B I, quod ante refutauit.

13 Quinta Conclusio. Christus non fit praesens in Eucharistia per conuersionem aliquarum partium integrantium, ut volunt hostes Berengarij. Primo, quia illorum sententia nititur falso fundamento, nempè quod Corpus Christi non detur indignis. Hoc autem pugnat cum Apostolo, i. Corinth. 11. vers. 29. *Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.*

Secundo, quando Sacerdos existens in peccato mortali celebrat Missam, vel verè consecrat, vel non. Si consecrat, iam indignus sumit Corpus Christi, quod est contra aduersarios. Si non consecrat, iam consecratio pendet à bonitate Ministri, quæ est antiqua hæresis Donatistarum.

Tertio, quia iuxta hanc sententiam semper esset dubium, quænam Hostia esset consecrata, & quæ non; quia non constat an communicantes sint digni, vel indigni. Hinc ultius sequeretur non licere ullam Hostiam adorare, quia certum esset, Christum non esse presentem, si communicantes essent indigni.

14 Sexta Conclusio. Christus non fit praesens per conuersionem solius formæ, aut solius materiæ, ut volebat

Durandus & alij. *Primo*, quia Concil. Trident. docet fieri conuersionem totius substantiae panis. *Secundo*, quia si perit forma & manet sola materia panis informata ab Anima Christi , vt vult Durandus ; vel illa materia sic informata coniungitur Corpori Christi, vel non. Si coniungitur, necesse est Corpus Christi quotidie crescere , quia quotidie consecrantur nouæ hostiæ. Si non, sequitur Christum habere duo corpora distincta , vnum ex vtero virginis, alterum ex materia panis Eucharistici , & vtrumque informatum anima rationali, quod temerè & sine fundamento asseritur. *Tertio*, qui dicunt perire materiam & manere solam formam, nituntur falso principio, quia putant panem non habere formam substantialem, sed tantum accidentalem, quæ consistit in externa figura ; quod non admittimus.

Septima Conclusio. Christus non fit præsens in Eucharistia per conuersionem naturæ panis salua subsistentia , vt vult Godefrid. *Primo*, quia repugnat Concilio Trident. *Secundo*, quia modus rei non potest manere quando res ipsa perit. At subsistentia est modus naturæ. *Tertio*, quia si manet subsistentia panis , vel est otiosa , & sic frustra manet ; vel subsistentia accidentia panis ; & hoc fieri non potest, quia accidentia non possunt substantialiter terminari ab Hypostasi , vt dixi in materia de Incarnatione. Ad argumentum contrarium. Respondeo. Subsistentiam panis duobus modis posse dici perire. *Primo*, vi conuersionis formaliter, ita vt ipsa subsistentia non minus conuertatur in Corpus Christi, quam natura panis. *Secundo*, vi conuersionis concomitantia, ita vt sola natura panis conuertatur in Corpus Christi, & sic consequenter pereat subsistentia , quia non potest amplius manere, quando natura destruxta est. Nam destruxta re , necessariò destruitur modus rei. Vtro autem modo pereat de facto subsistentia panis, non satis constat.

Prior tamen modus videtur magis consentaneus verbis Concil. Trident.

16. Octaua Conclusio. Christus non fit præsens in Eucharistia per conuersionem panis salua ipsius existentia, vt volunt aliqui recentiores. *Primo*, quia Concilium Trident. definit sola accidentia panis manere. *Secundo*, quia substantia

stantia tunc dicitur perire, quando amittit existentiam, & tunc produci, quando acquirit existentiam. Non autem propriè corrumpitur, aut producitur essentia rei secundum se, sed ratione actualis existentiae. Ergo, quamdiu manet existentia rei, tamdiu res non corrumpitur. At ponimus corrupti panem in Eucharistia. Ergo non manet existentia panis. *Tertio*, quia fundamenta contrarie sententiae non sunt vera, quia negamus existentiam realiter distingui ab essentia; negamus quantitatem & alia accidentia, quae realiter distinguuntur à substantia, non habere propriam existentiam.

17 Nona Conclusio. Christus fit præsens in Eucharistia *teneo*, per Transsubstantiationem; id est, per conuersationem totius substantiae panis in Corpus Christi, remanentibus solis accidentibus. Ita Concil. Lateranense & Tridentinum *Stff. 13. cap. 4. can. 2.* Et consentiunt antiqui Patres, qui variis modis explicant hanc conuersationem. Nam aliqui vocant Transmutationem, alij Transformationem: alij Transelementationem: alij transitum, seu migrationem de pane in carnem: alij aliter, ut videre est apud Bellarminum *libro 3. cap. 20.* Citat autem Patres *33. antiquissimos.*

Optime tamen in Concil. Lateranensi & Tridentino appellatur Transsubstantatio, quia tota substancia panis transfit in substantiam Corporis Christi, quod in nulla alia conuersione fit. Fundamentum huius doctrinae sumitur ex illis Christi verbis: *Hoc est Corpus meum.* Hinc possumus dupliciter argumentari. *Primo*, contra Lutheranos ex ipsorum concessione. Illi enim concedunt, quod Christus accepit panem in manibus, & dixerit de illo pane: *Hic panis est Corpus meum.* Vel ergo loquitur de pane mutato in Corpus Christi, vel de pane ut panis. Si primum, pro nobis facit. Si secundum, falsa est propositio. Non enim panis triticeus propriè est Corpus Christi.

Secundo, possumus ad rem & absolutè ita argumentari: hoc, quod manibus teneo, est verum Corpus Christi. Ergo non est Panis. Non desunt Scholastici, ut Scotus, Durandus & Paludanus, qui putant hoc argumentum non conuincere, quia sub iisdem accidentibus possent esse duæ substantiae,

348 CAP. XVIII. DE SACRAMENTIS
tiæ, altera panis, altera Corporis Christi, & tunc liceret
vtroque modo loqui: nempè hoc est Corpus meum; Et, hic
est panis triticeus. Vtrumque enim præsens esset sub acci-
dentialibus. Ita loquuntur de posse probabiliter.

Puto tamen moraliter non metaphysicè efficax esse ar-
gumentum. Nam, quando duæ substantiæ sunt simul in eo-
dem loco, quia altera videtur & appetit per propria acci-
dentialia illi inhærentia; altera est inuisibilis & latens, tunc
qui demonstrat contentum sub accidentibus, non designat
substantiam inuisibilem & latentem, sed substantiam, cu-
ius illa sunt accidentia, præsertim si propriè & non figura-
tè loquatur.

Verbi gr. substantia Diuina est inuisibiliter & latenter
præsens cum substantia panis. Si quis ergo haberet panem
in manu, & demonstratis ipsius accidentibus diccret, hæc
est substantia diuina; non rectè nec ad captum hominum
loqueretur, quia licet substantia diuina sit præsens; non ta-
men designatur per illa accidentia, quæ pani inhærent.

Similiter, quando Corpus Christi penetratiuè fuit in se-
pulchri lapide, si quis ostendo lapide dixisset: hoc est Cor-
pus Christi, non rectè & propriè dixisset; quia illa acciden-
tia designabant lapidem, cui inhærebant, non autem Chri-
stum, qui tantum concomitanter erat ibi.

Eodem ergo modo si panis cum suis accidentibus esset
in Eucharistia visibiliter, & simul inuisibili modo adesset
Corpus Christi, non propriè diceremus, hoc est Corpus
Christi, quia illud Pronomen. Hoc designat proximum con-
tentum sub accidentibus, quod non esset Corpus Christi,
sed substantia panis.

Dices: Illa regula iam assignata videtur falsa. Nam si quis
demonstrato dolio & accidentibus eius dicat: hoc est vi-
num maluaticum, non male loquetur, cùm tamen illa acci-
dentialia, quæ exterius apparent, non inhærent vino, sed do-
lio. Resp. non quidem loquetur male, sed tamen figuratè,
quia designabit continens pro contento. Nos autem dispu-
tamus de propria locutione, quam & aduersarij admittunt
in his verbis: *Hoc est Corpus meum*, seu: *Hic panis est Corpus
meum*. Reliquas rationes omitto, quia hæc sufficit.

18 Prima Obiectio. Eucharistia vocatur panis etiam post consecrationem, ut patet i. Corinth. 10. vers. 16. *Panis, quem frangimus, &c.* Ergo reuera manet panis in Eucharistia. Ergo nulla sit transsubstantiatio. Respondeo, contra se pugnant. Nam haec verba : *Hic panis est Corpus meum*, possunt tripliciter explicari. *Primo*, sic : hic panis significat Corpus meum, secundum Caluinistas. *Secundo*, hic panis mutatus est Corpus meum. *Tertio*, sic : hic panis non mutatus est Corpus meum. *Prima*, explicatio est Caluinistica. *Secunda*, Catholica. *Tertia*, apertere falsa. Eligant Lutherani quam volunt. Quo autem sensu Eucharistia dicatur panis post consecrationem, dixi ad obiectiones Caluinistarum *suprà*.

19 Secunda Obiectio : Sicut Christus de se dixit, Ioan. 6. vers. 48. *Ego sum panis*: ita de pane dixit Matthæi 26. vers. 26. *Hoc est Corpus meum*, Sed cum dixit : *Ego sum panis*, non se mutauit in panem. Ergo similiter cum dixit : *Hoc est Corpus meum*, non mutauit panem in Corpus suum. Respondeo, Maior propositio dupliciter potest intelligi. *Primo*, ut illa particula (sicut) nil aliud significet, quam Christum dixisse utramque sententiam. Et sic concessa Maiore negatur consequentia. *Secundo*, ut particula (sicut) significet similitudinem istarum duarum propositionem; & sic falsum est. Non enim sunt similes illæ duæ sententiae Christi. Nam cum dicit : *Ego sum panis*, non loquitur de pane triticeo, sed de pane coelesti. Non enim absolutè dicit : *Ego sum panis*: Sed, *Ego sum panis viuus*: seu panis vita. Vnde non fuit opus villa mutatione, quia Christus sine villa sua mutatione erat panis vita. Cum autem dicit : *Hoc est Corpus meum*, loquitur de pane triticeo, ut volunt aduersarij; ac proinde non potest esse vera propositio, nisi panis triticeus mutetur in Corpus Christi.

20 Tertia Obiectio. In Romano Concilio approbata est confessio Berengarij, in qua dicitur panem non solum esse Sacramentum, sed etiam Corpus Christi, & Sacerdotum manibus tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, ut apud Gratianum habetur: *Can. Ego Berengarius. De Consecrat. d. 2.* Hoc autem non potest esse verum, nisi ibi sit praesens verus panis.

Respon

Respondeo, Corpus Christi dicitur tractari, frangi & terri mediantibus speciebus panis, sub quibus verè continetur. Sicut Angeli in scriptura dicuntur tangi & videri mediante corpore assumpto. Vide S. Chrysost. *Homil. 45. in Ioan.* Et *Cyrillum lib. 12. in Ioan. cap. 58.*

21 Quarta Obiectio. Sensus non fallitur circa sensibile. Sed sensus iudicat panem esse in Eucharistia. Ergo reuera est ibi panis. Simili arguento probant Patres contra Manichæos Christum fuisse verum hominem, quia vere potuit tangi ac videri. Respondeo, sensus non fallitur circa sensibile proprium & per se, nisi forte organum aut medium sit male dispositum. Potest tamen falli circa sensibile commune ac per accidens, cuiusmodi est substantia panis. Non enim per se, sed per sua accidentia cadit sub sensum. Patres autem probant Corpus Christi non fuisse phantasticum, sed verum & solidum, quia tangi potuit. Soliditas autem est proprium obiectum sensus.

22 Præter has obiectiones sunt quædam aliæ quæ in sequentibus capitibus explicari debent. *Prima* est: panis tota-liter desinit esse secundum Catholicos. Ergo annihilatur. Ergo non conuertitur in Corpus Christi. *Secunda*, panis post Consecrationem verè nutrit, & ex eo possunt nasci vermes. Ergo per Consecrationem non desinit. *Tertia*, de ratione & essentia accidentium est, ut inhæreant subiecto. Ergo accidentia panis sunt in pane. *Quarta*, Transsubstantatio, vel fit ante verba Consecrationis prolata, vel post, vel simul. Si autem, iam non fit virtute verborum. Si post, iam falsa sunt illa verba: *Hoc est Corpus meum*. Si simul, iam Transsubstantatio fit successiue, & non in instanti, quod tamen negant Scholastici. *Quinta*, si ex pane fit Corpus Christi vi Consecrationis. Ergo Sacerdos producit eum. Non enim fit Corpus Christi præsens sine Anima & Deitate. Hæc & similia soluentur, *cap. 19. & 20.*

Q V A E S T I O III.

Quid requiratur ad veram Conuerzionem?

Prima Conclusio. Conuersio propriè est, quando una res in aliam conuertitur. Alij vocant transitum unius rei

rei in aliam. Hinc patet quatuor conditions requiri ad yera-
ram conuercionem. *Prima*, est ut sit inter duos terminos
positiuos. *Secunda*, vt unus terminus definat, & alter in lo-
cum eius succedat. *Tertia*, vt hoc fiat actione aliqua reali,
vel certè fiat duabus mutationibus partialibus, quarum una
versetur circa terminum, qui definit; altera circa termi-
num, qui incipit. *Quarta*, vt sit connexio inter has duas mu-
tationes partiales, siue inter duos terminos positiuos, quo-
rum alter definit, alter incipit.

2 Secunda Conclusio. Conuersio duplex est, una substantialis, altera accidentalis. Rursum alia naturalis, vt quando alimentum conuertitur in substantiam aliti; aut aer in ignem, aut corpus calidum conuertitur in frigidum. Altera est supernaturalis, cuiusmodi est conuersio vxoris Loth in statuam salis; aut aquæ in vinum, aut panis in Corpus Christi.

Hic quæri potest an ad conuersionem substanciali sufficiat vtrumque terminum esse substanciali, an ulterius ne-
cessere sit vtrumque terminum substancialiter mutari? sed de
hoc in sequenti quæst.

3 Tertia Conclusio. Conuersio differt tum à simplici pro-
ductione, seu creatione, tum à simplici desitione, seu annihi-
latione. Nam in creatione est quidem terminus, qui incipi-
t, non tamen positivus, qui definit. E contrario in annihi-
latione est terminus positivus, qui definit, non tamen
alius, qui incipit. Vterque requiritur in conuersione. Hinc
patet panem in Eucharistia non annihilari sed conuerti, vt
latius explicabitur quæst. 5.

Q V A E S T I O I V .

Quid faciat Conuersio circa Corpus Christi?

1 **D**Ictum est in vera conuersione vtrumque terminum
debere aliquo modo mutari. Termini huius con-
uersionis, de qua agimus, sunt panis & Corpus Christi.
Quæritur ergo de corpore Christi. *Primo*, an per hanc
conuersionem mutetur: Et, si mutetur, an illa mutatio sit
substancialis, an accidentalis; Vel, quod idem est, an for-
malis

352 CAP. XVIII. DE SACRAMENTIS
malis terminus illius mutationis, (non adæquatus aut totalis) sit aliquid substantiale vel accidentale?

2 Prima opinio est, Christum nullo modo mutari in hac conuersione, sed fieri præsentem in Eucharistia per solam mutationem panis. Ita Diuus Thomas, Bonauentura, Richardus, & alij citati apud Suarez *Disput.* 50. *secl.* 5.

Ratio est, quia Christus habet Corpus gloriosum & impossibile, quod mutari non potest.

Secunda Opinio. Christum aliquo modo mutari, quando panis in ipsum conuertitur. Ita passim alij Theologi. Qualis autem sit hæc mutatio, non omnes conueniunt. Aliqui volunt esse accidentalem, & terminari ad solam præsentiam localem, ut plerique Scotistæ, quos sequitur Bellarminus *lib. 3. Eucharistia*, c. 18. vbi ponit actionem tantum adductiua. Alij contra putant esse mutationem substantialem, eamque terminari vel ad substantialem vnionem Corporis Christi cum speciebus Sacramentalibus; vel ad ipsam substantiam Corporis Christi Domini.

secundum
2 Prima Conclusio. Certum est per conuersionem panis in Corpus Christi, fieri aliquam mutationem in Corpore Christi, nec sufficere mutationem factam in solo pane. Probatur *Primo*, quia certum est Christum fieri indiuisibiliter præsentem in Eucharistia. Hic autem modus præsentia localis non erat in Christo ante consecrationem. Ergo per consecrationem acquiritur. Ergo fit aliqua mutatio in Christo vi consecrationis. *Secundo*, probatur, non potest una res conuerti in aliam sine mutatione alterius. Nam actio realis, qua substantia panis realiter conuertitur in Corpus Christi, debet aliquid reale producere. Sed nihil producit reale in substantia panis. Ergo debet aliquid reale producere in corpore Christi.

Dices: Satis est quod aliquid producatur in accidentibus panis, nempè realis modus existendi sine subiecto. Respondeo. Non sufficere hoc, quia conuersio realis debet esse realis respectu terminorum circa quos versatur. Termini autem non sunt accidentia panis, sed substantia panis & Corpus Christi.

3 Secunda Conclusio: Mutatio, quæ in corpore Christi,
non

non terminatur ad substantialem vniōem eius cum speciebus confecratis. *Primo*, quia triplex vniō singi potest, Sacramentalis, formalis physica, & effectiva physica. At nulla harum est substantialis. *Secundo*, quia formalem, aut effectivam vniōem non admitto; Sacramentalis autem non requirit per se aliquam actionem realem in Christo. Nam illa vniō in eo consistit, quod species Sacra mentales significant Christum præsentem. Quamuis autem præsentia requirat actionem realem, de qua iam non ago; non tamen significatio requirit illam, cùm sufficiat sola voluntas & institutio Christi.

4 Tertia Conclusio: Probabile est mutationem, quæ fit in corpore Christi, primariò terminari ad substantiam corporis Christi, & secundariò ad præsentiam localem. Probatur, quia suprà ostendi, Christum posse fieri præsentem per actionem substantialem, quæ per modum creationis, vel conseruationis terminetur ad substantiam corporis Christi. Ergo probabile est re ipsa ita fieri. Confirmatur sequela, quia Christus fit præsens per conuersionem, seu Transsubstantiationem. Hæc autem est actio substantialis. Ergo debet habere terminum substantialem. Ergo non terminatur ad solam præsentiam localem, sed immediatè ad substantiam corporis Christi, & mediatè ad localem præsentiam.

5 Quarta Conclusio: Nihilominus optimè defendi potest mutationem, quæ fit in corpore Christi, esse tantum accidentalem, & immediate terminari ad solam præsentiam localem; ideoque rectè vocari actionem adductiūam. Probatur *primo*, quia nec Scripturæ, nec Concilia, nec Patres requirunt aliam mutationem, nec est vlla necessitas aliam ponendi. *Secundo*, quia si esset aliqua actio substantialis quasi productiua, vel conseruatiua substantiæ corporis Christi, deberet esse talis, quæ per se sufficeret ad producendam illam substantiam, etiamsi antea producta non esset. Ergo per se deberet esse independens a priori productione. Sed talis de facto non datur, quia Corpus Christi de facto non est in Eucharistia, nisi dependenter à seipso, quantum est extra Eucharistiam. Hanc sententiam defendit Bellarminus, illam Suarez.

6 Prima Obiectio: Christus fit præsens in Eucharistia per transsubstantiationem, ut dixi. Sed hæc actio est substantialis. Ergo. Respondeo, Transsubstantiatib vocatur actio substantialis, ratione terminorum totalium, quia scilicet per eam conuertitur vna substantia in aliam substantiam; non autem ratione termini formalis de novo producti.

7 Secunda Obiectio: Substantia Corporis Christi non potest in Eucharistia conseruari per illam actionem qua conseruatur in cœlo, quia in cœlo conseruatur naturaliter, in Eucharistia supernaturaliter. Ergo conseruatur per nonam actionem substancialiem. Ergo non sufficit actio ad ductiva. Confirmatur primo, quia actio qua conseruatur Corpus Christi in cœlo, ex sua natura requirit extensionem localem: actio autem, qua conseruatur in Eucharistia, non requirit hanc extensionem, sed modum existendi indiuisibiliter. Ergo est distincta actio.

Secundo confirmatur quia alia est actio, qua accidens conseruatur in subiecto, & alia, qua conseruatur extra subiectum, cum vna sit naturalis & altera supernaturalis. Ergo similiter. Respondeo. Aliud est loqui præcisè de substantia Corporis Christi, quæ eadem actione conseruatur in cœlo & Eucharistia, & aliud est loqui de extensione & præsencia locali, quæ diuersa actione conseruatur. Nec est simile de accidente. Nam actio, qua conseruatur accidens in subiecto, essentialiter dependet à subiecto: ac proinde distincta ab illa, qua conseruatur extra subiectum.

Q V A E S T I O V.

Quid faciat conuersio circa Panem?

1 C^{ontra} tertium est, substantiam panis definere, quæritur ergo de modo definendi. Aliqui putant definere per solam subtractionem influxus diuini, ut Scotus, Gabriel, Maior, Ocham, Bellarminus. Alij per eandem actionem posituam, qua Corpus Christi constituitur sub accidentibus panis, ut Cajetanus, Dom. Sotus, Ledesma. Alij denique per actionem posituam, qua accidentia separantur à subiecto,

iecto, & per se constituantur, vt Capreolus & Suarez.

2 Prima Conclusio: Substantia panis non destruitur per ~~candem~~ actionem, qua Corpus Christi introducitur. Ratio est, quia substantia panis & substantia Corporis Christi non pugnant inter se formaliter & intrinsecè. Ergo actio introductiva vnius non est per se destructiva alterius. Antecedens patet, quia illæ duæ substantiæ possunt tripliciter spectari. *Primo*, secundum sc, quatenus substantiæ sunt; & sic nullam dicunt inter se repugnantiam. *Secundo*, in ordine ad eundem locum, seu spatiū, & sic etiam non repugnant; quia substantia Corporis Christi est in loco indivisibiliter & sine locali extensione; ac proinde non excludit substantiam panis ab eodem loco. *Tertio*, in ordine ad species Sacramentales; & sic etiam non pugnant inter se, quia substantia Corporis Christi nullam habet vniōrem phisicam cum illis speciebus; ac proinde non destruit vniōrem substantiæ panis cum iisdem speciebus.

Dices: Substantia panis conuertitur in Corpus Christi, vt sepe dictum est. Sed in omni conuersione destruitur terminus à quo, per candem actionem qua introducitur terminus ad quem. Ergo etiam in hac conuersione per candem actionem destruitur substantia panis, qua introducitur Corpus Christi. Respondeo. Tametsi in conuersione naturali plerumque ita fiat, non tamen est de essentia conuersionis, vt sic fiat. Satis est, vt vna res definat & altera incipiat, siue id fiat per actionem vnam realem, siue per duas mutationes partiales inter se connexas.

3 Secunda Conclusio: Substantia panis non destruitur per solam subtractionem conseruationis diuinæ aut influxus. Ratio est, quia datur vera actio positiva, cuius vi & efficacia destruitur substantia panis, vt ostendetur post. Ergo non destruitur per solam subtractionem influxus diuini.

4 Quæres: An non posset destrui per hanc solam subtractionem? Respondeo. Hoc dupliciter intelligi potest. *Primo*, an absolute loquendo posset sic destrui. *Secundo*, an facta suppositione, quod conuertatur in Corpus Christi, posset nihilominus destrui per solam subtractionem. Vtrumque

356 CAP. XVIII. DE SACRAMENTIS
possibile est. De primo patet, quia quælibet res creata potest
desinere per subtractionem concursus diuini. De secundo
etiam patet, quia illa subtractione non repugnat conuersioni.

Dices: Annihilatio repugnat conuersioni, quia, quod sim-
pliciter annhilatur, hoc in aliud non conuerit. Sed an-
nihilatio nihil aliud est, quam diuini influxus subtractione.
Ergo hæc subtractione repugnat conuersioni. Si ergo sub-
stantia panis desineret per annihilationem, seu subtractionem
diuinæ conseruationis, iam non diceretur conuerti
in corpus Christi.

Repondeo, distinguendo. Nam aliud est loqui de sola
desitione panis; aliud de tota conuersione quæ includit de-
sitionem panis & positionem corporis Christi, tanquam
duas mutationes partiales. Si loquamur de sola desitione
panis, posset fieri per solam subtractionem diuini influxus,
& tunc rectè vocaretur annihilatio. Si loquamur de tota
conuersione, non posset fieri per solam subtractionem, vel
annihilationem, quia requirit non solum destructionem
vnus termini, sed etiam positionem alterius.

5 Tertia Conclusio: Substantia panis destruitur vi illius
actionis realis, qua accidentia panis separantur à subiecto,
& per se constituuntur ut existant sine subiecto. Ratio est,
quia non supereft alias modus destructionis, cùm priores
duo refutati sint.


6 Dices: Non est vlla actio realis, per quam accidentia
panis separantur à subiecto. Nam illa separatio fit per de-
structionem vniōis qua accidentia inhærent subiecto. Illa
autem vnio destruitur per solam subtractionem diuinæ
conseruationis.

Respondeo. Duplex actio potest hic cogitari. *Vna*, qua
Deus producat in accidentibus realem modum existendi
per se, qui formaliter repugnet cum actuali inhærentia. *se-
cunda*, qua Deus effectuē conseruet accidentia indepen-
denter à subiecto sine vlo modo reali superaddito. *Prior*
actio habet vim separandi accidentia à subiecto, non ta-
men *posterior*. Ratio, quia vi prioris actionis producitur
aliquid in accidentibus, quod formaliter repugnat cum
actuali inhærentia, non autem vi posterioris actionis. Nam
fieri

fieri non potest, ut accidentia ponantur actu per se subsistere sine subiecto, & tamen maneant in subiecto. Potest autem fieri, ut conseruentur in subiecto dupli actiones: una dependentes a subiecto; altera independentes.

7 Dices: Per illam priorem actionem ponuntur quidem accidentia sine subiecto, non tamen ideo destruitur substantia panis. Respondeo. Per illam actionem sunt haec tria. *Primo* producitur in accidentibus realis modus existendi per se. *Secundo*, posito hoc modo consequenter destruitur actualis inherentia, quae cum illo consistere non potest, cum pugnent formaliter. *Tertio*, destruitur substantia panis. Haec enim naturaliter conseruari non potest, nisi conseruetur uno formae substantialis cum materia. At uno illa pendet ab accidentibus tanquam a necessariis dispositionibus. Ergo ablatis accidentibus necesse est naturaliter tolli unionem.

Dices: Licet uno tollatur, tamen adhuc manet materia quae est incorruptibilis. Ergo non tollitur tota substantia panis. Respondeo. Materia non potest naturaliter conservari sine omni forma substantiali & accidental. Si ergo sit aliqua actio quae tollat omnem formam a materia, & non introducat aliam, non poterit materia naturaliter conseruari. Licet Deus eam posset conseruare.



CAPUT XIX.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

I **V**ÆRITVR primo, an totus Christus secundum substantiam sit in hoc Sacramento. Secundo, an sit ibi cum suis accidentibus. Tertio, an possit ibi localiter moueri. Quarto, an possit physicè agere & pati. Quinto, an possit actiones immanentes exercere, id est, intelligere & velle. Sexto, an possit videri oculo corporeo, sicut glorioso. Septimo, an possit cognosci ab intellectu Angelico. Octavo, an mutetur quando definit esse in Eucharistia. Nonno, an appareat ibi aliquando in forma carnis, aut sanguinis, aut pueri. Decimo, an, quando apparet, sit ibi sacramentaliter.

QVÆSTIO I.

An totus Christus secundum substantiam sit in Eucharistia?

1 IN Christo est quadruplex substantia, nemp̄ Diuinitas, Anima rationalis, Caro & Sanguis. Nunc queritur, an secundūm hanc quadruplicem substantiam sit in Eucharistia? Ratio dubitandi est, quia non aliter est ibi, quam per conuersionem panis & vini. Sed panis & vinum non conuertuntur in diuinitatem aut animam rationalem, sed in carnem & sanguinem. Ergo est ibi tantā secundūm carnem & sanguinem.

2 Prima Conclusio: Totus Christus secundūm substantiam est in Eucharistia, non solum sub utraque specie simul sumpta, sed etiam sub singulis speciebus separatis sumptis; vt, totus sub specie panis, & totus sub specie vini. Ita D. Thom. art. 1. 2. & 3. Concilium Constantiense sess. 13. Florentinum in instruētione Armenorum. Et Tridentinum sess. 13. cap. 3. Et sess. 21. cap. 3.

Probatur *Primo*, ex scriptura, in qua habemus tria solida principia. *Primum* est Corpus Christi esse in Eucharistia. Matth. 26. vers. 26. *Hoc est Corpus meum*. Alterum est, Christum post resurrectionem non amplius moritum. Rom. 6. vers. 9. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Tertium est, Christum esse unam personam diuinam in duabus naturis subsistentem. Ioan. 1. vers. 14. *Verbum caro factum est*.

Ideo ex *Primo* principio sequitur, Corpus Christi esse sub specie panis. Ex *secundo* sequitur, esse ibi Corpus viuum ac non mortuum; & proinde esse Corpus informatum anima rationali. Ex *tertio* sequitur, esse ibi personam (Verbi) ac proinde diuinitatem.

Probatur *secundo*, ex Patribus, apud Bellarm. l. 4. c. 21.

Probatur *tertio*, ex communi Christianorum sensu. Non enim credunt se accipere cadaver mortuum, sed Christum viuentem.

Probatur *quarto*, ratione D. Thom. art. 1. quia certum est carnem

carnem Christi esse sub specie panis. At caro Christi realiter unita est animæ rationali & personæ (Verbi.) Ergo non est ibi sola caro.

Dices: Hæc ratio non conuincit, quia anima realiter unita est capiti, & tamen in pede est anima sine capite. Similiter persona (Verbi) unita est humanitati, & tamen persona (Verbi) est in multis locis vbi non est humanitas. Non ergo verum est, quando aliqua duo realiter unita sunt, vbi est vnum, ibi esse alterum.

Respondeo cùm distinctione: Quando aliqua duo adæquatè unita sunt, tunc vbi est vnum, ibi est alterum. Hoc modo, vbi est anima rationalis secundùm adæquatam unionem, ibi est totum Corpus, & è contrà. Quando autem aliqua duo sunt inadæquatè unita, tunc vbiunque est minus, ibi etiam est maius; non è contrario. Hoc modo, vbiunque est caput, ibi est anima: & vbiunque est Sol, ibi est orbis cœlestis; & vbiunque est caro Christi, ibi est persona (Verbi) non tamen contrà.

3 Secunda Conclusio: Licet totus Christus secundùm substantiam sit sub specie panis, & totus sub specie vini, non tamen eodem modo est ibi totus. Ita diuus Thomas & citata Concilia. Ratio est, quia aliquid Christi est sub specie panis vi Sacramenti (aut verborum) ut caro; aliquid per naturalem concomitantiam, ut sanguis, anima, persona (Verbi.) Idem seruata proportione dicendum est de specie vini, vi enim Sacramenti est ibi sanguis, reliqua per concomitantiam.

Dices: Persona (Verbi) est vbique per suam immensitatem. Ergo non est in Eucharistia per naturalem concomitantiam. Respondeo. Persona (Verbi) potest dupliciter spectari. Primo, secundùm se; & sic est vbique per immensitatem increatam. Secundo, quatenus est unita humanitati; & sic ratione unionis est in Eucharistia per concomitantiam dictam.

4 Quares: Quomodo ipsa unio est in Eucharistia, an vi Sacramenti, an per concomitantiam? Aliqui putant esse vi Sacramenti, seu vi illorum verborum: *Hoc est Corpus meum.* Primo, quia quando Christus dixit hæc verba, locutus est

360 CAP. XIX. DE SACRAMENTIS.
de suo corpore, quatenus erat corpus personæ loquentis. Ergo locutus est de suo corpore, quatenus hoc erat unitum personæ. Ergo vi Sacramenti erat ibi corpus cum unione. Quod argumentum potest etiam accommodari unioni cum anima. Secundo, quia corpus propriè significat naturam corpoream subsistentem. Ergo ex vi verborum est hic in Eucharistia corpus subsistens. Non est autem subsistenta propriæ, sed (Verbi;) nec subsistit subsistens Verbi, nisi mediante unione. Ergo est ibi corpus cum unione vi Sacramenti.

Tertio, quia non solum substantia, sed etiam subsistens panis conuertitur in Corpus Christi vi Sacramenti. Ergo vi Sacramenti est ibi corpus subsistens. Ergo est ibi cum unione hypostatica.

Alij contra sentiunt, unione esse in Eucharistia per naturalem concomitantiam. Ratio est, quia si unio esset ibi vi Sacramenti, etiam persona (Verbi) esset vi Sacramenti, quod tamen falsum est, ut patet ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 3.* ubi ponit diuinitatem inter ea quæ sunt in Eucharistia per concomitantiam. Sequela patet, quia unio non potest esse sine termino unionis. Ergo ubi unio est vi Sacramenti, ibi est persona (Verbi,) quæ est terminus unionis.

Confirmatur, quia unio nihil est aliud quam actualis coniunctio corporis Christi & personæ Verbi. Sed non potest esse actualis coniunctio duorum extremorum, nisi ipsa extrema actu adsint.

Respondeo primo ad quæsumus. Non est impossibile unionem fieri præsentem in Eucharistia vi Sacramenti. Ratio est, quia si Christus voluisset consecrare per hæc verba: *Hoc est Corpus personæ (Verbi) unitum;* aut per hæc: *Hic vel Hoc est Christus;* iam vi talium verborum esset in Sacramento non solum corpus, sed etiam unio corporis cum (Verbo,) seu totus Christus. Hoc enim verba significant formaliter, & consequenter efficerent per modum instrumenti diuini, idque moraliter ex nostra sententia, physicè ex aliorum placito.

Respondeo secundo, De facto tamen non est præsens unio vi Sacramenti, sed per concomitantiam. Nam verba, quibus de

de facto Christus consecravit, formaliter non significant vniōnem hanc. Quamvis enim fingamus Corpus Christi in Sacramento non habere vniōnem cum persona (Verbi) tamen verē posset dicere : *Hoc est Corpus meum*. Nam illa vox (Meum) solūm denotat identitatem illius Corporis cum corpore , quod ratione vniōnis est Corpus personæ (Verbi ;) non autem denotat Corpus illud habere talem vniōnem, vbi cūque existit.

Hinc soluitur *primum* argumentum prioris opinionis. Ad *secundum* respondeo. Corpus, ut sumitur pro carne, non significat naturam subsistentem, sed partem naturæ subsistentis. Imò, secundūm rigorem, significat partem Humanitatis, quæ concipitur per modum naturæ non includentis subsistentiam. Ad *tertium* similiter respondeo, substantiam & subsistentiam panis conuerti in Corpus Christi, id est, in vnam partem Humanitatis Christi, quæ non includit subsistentiam, ut dixi.

QVÆSTIO II.

An Christus sit in Eucharistia cum suis accidentibus?

¹ **N**on est quæstio de accidentibus spirituālibus, qui constat illa esse in Christo , prout est in Eucharistia, sed de materialib⁹, ac potissimum de quantitate. Negat Durandus *in 4.d.10.q.2.*

² Prima Conclusio : Christus , prout est in Eucharistia habet quantitatem & alia accidentia materialia , quæ habet in cœlo, exceptis iis, quæ pendent à loco. Ita D. Thomas art. 4. & alij. Ratio , quia Corpus Christi est realiter vnitum quantitati. Ergo vbi cūque ponitur Corpus Christi, ibi ponitur quantitas.

Dices : Corpus Christi est etiam realiter vnitum extensiōni locali , & tamen hanc non habet in Eucharistia. Respondeo. Ideo excepī accidentia dicentia ordinem ad locum.

³ Secunda Conclusio : Probabile est , quantitatē & ~~re~~ alia accidentia materialia esse in Eucharistia, non vi Sacra-
menti, sed per naturālēm concomitantiam. Ita D. Thom-

362 CAP. XIX. DE SACRAMENTIS
art. 4. cuius ratio est, quia illud est in Eucharistia vi Sacra-
menti, quod est ibi per transubstantiationem. Sed trans-
ubstantiatio terminatur ad solam substantiam, non autem
ad accidentia. Ergo accidentia non sunt ibi vi sacramen-
ti. Hæc sunt probabilia.

Dices : Corpus Christi organicum est in Eucharistia vi
Sacramenti. Sed Corpus organicum in suo conceptu in-
cludit quantitatem & alia accidentia, quia includit distin-
ctionem membrorum in figura, densitate & raritate; at-
que adeo in quantitate & magnitudine. Ergo hæc omnia
accidentia sunt ibi vi Sacramenti.

Respondent aliqui duplēcēm esse organizationem, sub-
stantialem & quantitatuum. Prior est in Eucharistia vi Sa-
cramenti. Posterior est per concomitantiam. Sed hæc di-
stinctio non videtur habere fundatum in Philosophia.
Alij dicunt quantitatem, & alia accidentia esse de ratio-
ne Corporis organici, ut organicum est; non tamen esse
de substantia illius Corporis simpliciter; sed esse quandam
proprietatem vel dispositionem debitam tamen substan-
tiae, ac proinde non esse in Eucharistia vi Sacramenti, sed
tantum per concomitantiam. Hoc probabile mihi est. Alij
concedunt totum argumentum, ac proinde putant S. Tho-
mæ sententiam non certam, sed tantum probabilem; quod
etiam dixi in conclusione.

QVÆSTIO III.

*An Corpus Christi, prout est in Eucharistia,
possit localiter moneri?*

¹ **D**iuus Thomas art. 6. docet, moueri posse per acci-
dens, nempe ad motum specierum Sacramentalium.
Hoc tamen potest dupliciter intelligi. *Primo*, vt tota mu-
tatio localis inhereat in solis speciebus, & Corpus Christi
solum extrinsecè ab ea denominetur. *Secundo*, vt mu-
tatio localis primariò quidem fiat in speciebus, secunda-
riò tamen in Corpore Christi. Caietanus putat D. Thom.
priori sensu intelligendum; alijs, posteriori.

² **P**rima Conclusio: Certum est, Corpus Christi posse
locali

Localiter moueri ad motum specierum Sacramentalium, ita ut mutatio localis recipiatur in ipso Corpore Christi, & non tantum in speciebus. Prior pars patet contra Cajetanum, quia si non moueretur localiter, nemo posset accipere Corpus Christi ex manibus Sacerdotum; neque Eucharistia deferri posset ad agrotos. Posterior probatur, quia impossibile est, rem aliquam moueri de loco in locum, & non recipere in se mutationem localem.

Dices: Corpus Christi non est realiter unum speciebus Sacramentalibus. Ergo non necessariò mouetur ad motum specierum Sacramentalium: sicut Angelus ob eandem causam non necessariò mouetur ad motum hominis cui præsens est. Respondeo. Hoc argumentum rectè concludit Corpus Christi non necessariò moueri ad motum specierum Sacramentalium ex natura rei; potest tamen necessariò moueri ex pacto & ordinatione Diuina; sed tunc quæstio est à quo moueatur? quod examinabitur iam.

3. Secunda Conclusio: Corpus Christi, prout est in Eucharistia, non potest localiter moueri a seipso per naturalem virtutem animæ rationalis. Ratio, quia anima non potest naturaliter mouere suum Corpus, nisi per membra organica, quibus non potest uti in hoc Sacramento, licet habeat. Nam motus naturalis horum membrorum requirit extensionem localem. Non enim potest unum membrum impellere aliud nisi existant in distinctis locis partialibus, quod non sit in Eucharistia.

4. Tertia Conclusio. Corpus Christi prout est in Eucharistia non potest localiter moueri ab aliquo agente corporeo extrinseco, per solam vim naturalem, ita ut motus primariò imprimatur corpori, & non per species Sacramentales. Ratio est, quia agens corporale non potest mouere alia corpora nisi duobus modis. *Primo*, trahendo, quod sit impressione alicuius qualitatis, ut multi putant, seu per alterationem præuiam, quo pacto Magnes trahit ferrum. *Secundo* impellendo, quod sit per contactum physicum. At neutro modo potest tale agens mouere Corpus Christi in Eucharistia. Non *primo*, quia non potest in Eucharistia alterari ab agente extrinseco, ut dicetur in

364 CAP. XIX. DE SACRAMENTIS
seq. quæst. Nec secundo, quia contactus physicus requirit extensionem localem.

5 Quarta Conclusio. Corpus Christi prout est in Eucharistia non potest localiter moueri ab aliquo agente corporali extrinseco per solam vim naturalem, ne quidem per accidens ad motum specierum Sacramentalium. Ratio, quia nulla est realis vnio inter Corpus Christi, & species Sacramentales. Ergo ex natura rei non necessariò mouetur Corpus Christi ad motum specierum.

6 Quinta Conclusio. Corpus Christi prout est in Eucharistia, potest tribus modis moueri localiter. *Primo* à solo Deo. *Secundo* à Deo tanquam principali agente, & ab Anima Christi tanquam instrumento Diuino. *Tertio* à Deo tanquam à principali agente; & à speciebus Sacramentalibus tanquam ab instrumento Diuino; qui modus, tametsi possibilis, de facto non est admittēdus, quia requirit unionem effectuum inter species & Corpus Christi, quam supra exclusi. Duo priores modi sunt probabiles in proposito.

7 QVÆRES: An non possit hic motus fieri ab Angelio per vires naturales? Resp. non est improbabile.

QVÆSTIO IV.

An Corpus Christi prout est in Eucharistia, possit physicè agere & pati?

1 L Oquor de actione & passione naturali, itemque de Corpore Christi non glorioso, quale nunc est; sed passibili, quale fuit in ultima Cœna. Certum enim est Corpus gloriosum non posse pati, aut alterari ab agente naturali. Est ergo quæstio de corpore non glorioso.

2 Prima Opinio est, quod Corpus Christi in Eucharistia possit physicè agere & pati, alterare & alterari, calefacere & calefieri. Ita Nominales. Ratio, quia ad talem actionem & passionem nihil aliud requiritur præter hæc tria. *Primo* ut agens & patiens sint propinqua; *Secundo* ut agens habeat vim agendi. *Tertio* ut patiens sit capax passionis seu alterationis. Quæ tria non desunt in nostro casu. *Primo*, quia Corpus Christi, prout est in Eucharistia, potest esse propin-

propinquum alicui alteri corpori, ut cum sumitur a communicante. *secundo*, habet naturalem vim agendi. *Tertio*, est capax alterationis & passionis. Certè non malè isti ratiocinantur.

Secunda Opinio est omnino contraria, Corpus Christi in Eucharistia non posse physicè agere aut pati. Ita D.Th. art. 7. & alij plerique. Ratio est, quia agentia naturalia non agunt nisi per contactum quantitatuum, qui requirit extensionem localem, quam non habet Corpus Christi in Eucharistia.

3 Prima Conclusio. Corpus Christi in Eucharistia, non potest pati ab extrinsecis agentibus sola naturali virtute operantibus. Probatur *primo*, ratione D. Thomæ, quæ est probabilis. *secundo*, quia extrinsecum agens non potest naturaliter producere qualitatem materiale cum modo extendi indivisibiliter, cum hic modus sit supernaturalis. Ergo non potest producere calorem, aut frigus in Corpore Christi prout est in Eucharistia. Nam talis calor deberet indivisibiliter existere sicut Corpus Christi existit indivisibiliter in Eucharistia. Non enim fieri potest ut accidens sit extensum localiter, & subiectum non sit ita extensum.

Hinc sequitur *primo*, vnam partem Corporis Christi, non posse pati aut alterari ab alia. *secundo*, Corpus Christi non posse augeri, nutriti aut minui, quia hæc omnia requirunt præiuam alterationem. *Tertio*, non posse corrumpi, aut interfici, ob eandem causam.

4 Secunda Conclusio. Corpus Christi in Eucharistia non potest naturaliter agere in corpus extrinsecum per actionem transiuntem. Probatur *primo*, quia modus agendi consequitur modum eslendi. Sed Corpus Christi non potest naturaliter existere sine extensione locali. Ergo non potest naturaliter agere sine extensione locali. At in Eucharistia non habet extensionem localem. Ergo non potest ibi naturaliter agere.

Probatur *secundo*, quia de facto certum est Corpus Christi non agere physicè in species Sacramentales, aut in alia corpora vicina. Ergo probabile est non posse agere.

Dices: Possunt aliæ esse duæ causæ cur non agat, etiam si posse

possit agere; Vna, quia Christus non vult ut agat: altera, quia Deus subtrahit concursum. Respond. Ideo dixi consequentiam esse probabilem, non necessariam.

QVÆSTIO V.

An Christus prout est in Eucharistia possit actiones immanentes exercere?

1 **H**uiusmodi actiones sunt triplices; quædam externorum sensuum, quædam internorum sensuum & appetitus sensitivi, quædam intellectus & voluntatis.

2 Prima Conclusio. Christus in Eucharistia non potest naturaliter exercere actus sensuum externorum. Probatur primo, quia non potest pati ab extrinsecis agentibus, ut dixi. Ergo non potest recipere species sensibiles ab externis objectis. Ergo non potest sentire. Probatur secundo, quia agens non potest naturaliter producere qualitatem corporream cum modo existendi indiuisibiliter. Ergo oculus non potest elicere visionem cum simili modo existendi. Hinc sequitur Christum in Eucharistia non posse naturaliter videre seipsum.

3 Secunda Conclusio. Christus in Eucharistia non potest naturaliter exercere actus sensuum internorum, vel appetitus sensitivi. Probatur posteriore argumento præcedentis conclusionis, quia actio sensus interni, vel appetitus sensitivi est materialis. Ergo naturaliter fieri non potest sine extensione locali.

Dices: Sensus interior cum suis speciebus sensibilibus existit indiuisibiliter. Ergo potest elicere actum indiuisibiliter existentem, cum sit sufficiens proportio. Respond. Ex eo quod sensus interior indiuisibiliter existit, oritur impedimentum, quo minus potest naturaliter operari. Deinde, etiamsi posset operari, non tamen posset naturaliter producere qualitatem indiuisibili modo existentem, quia talis modus est supernaturalis, & inest subiecto per potentiam obedientialem.

4 Tertia Conclusio. Christus in Eucharistia non potest naturaliter elicere eos actus Intellectus & Voluntatis, qui in sacer-

in fieri dependent à concursu alicuius obiecti, vel agentis materialis; reliquos tamen, qui non dependent à tali concursu, potest elicere. Prius patet ex dictis. Posterior probatur, quia Intellectus & Voluntas natura sua existunt indivisibiliter. Ergo possunt elicere actus indivisibiliter existentes, si aliundè non sit impedimentum.

Q U E S T I O N . VI.

An Christus prout in Eucharistia est, videri possit oculo corporeo?

¹ Prima Opinio est, posse naturaliter videri oculo corporeo, non tamen actu videri, quia Deus non vult. Ita Nominales. Ratio, quia Corpus Christi potest naturaliter diffundere speciem visibilem ut faciunt alia corpora. Ergo potest videri ab oculo non distante.

Secunda Opinio est, naturaliter non posse videri Corpus Christi in Eucharistia, posse tamen supernaturaliter. Ita D. Thom. art. 7. ad 1. & 2. Et omnes recentiores Thomistæ. Prior pars probatur, quia Corpus Christi non potest naturaliter agere, nisi naturaliter existat cum extensione locali. Ergo non potest speciem sensibilem à se diffundere. Ergo non potest videri ab alio. Posterior probatur, quia Deus potest alicui oculo dare speciem & sufficientem vim actiuam qua videat Corpus Christi, quod non implicat.

Tertia Opinio, ne quidem per absolutam Dei Potentiam id fieri posse. Ita Paludanus, Capreolus & Richardus in 4. d. 10. Ratio est, quia Corpus Christi prout est in Eucharistia, non est obiectum visibile. Fieri autem non potest ut aliquid cadat sub visum, quod non est visibile.

N O T A , duo hic spectari posse. Primo, Corpus Christi secundum se, & entitatem suam naturalem. Secundo, Corpus Christi cum modo existendi in Eucharistia, seu cum praesentia Sacramentali.

² Prima Conclusio. Modus ille quo Corpus Christi in- fene diuisibiliter praesens est in Eucharistia, non potest videri oculo corporeo, ne quidem per absolutam Dei Potentiam.

Ratio

Ratio est, quia tripliciter potest aliqua res dici visibilis. *Primo*, per se & primariò, quo pacto lux & color est visibilis tanquam proprium obiectum visus. *Secundo*, per se secundario, quo pacto motus, quies, magnitudo, figura & præsentia quantitatua est visibilis tanquam sensibile commune. *Tertio*, per accidens, quo pacto substantia materialis dicitur visibilis, quia non per se, sed per accidentia inherentia videtur. Et simpliciter frigus dicitur visibile, quia non per se, sed per aliam formam visibilem, quæ illi coniuncta est, videtur.

At nullo horum modorum videri potest præsentia Sacramentalis, quam Corpus Christi habet in Eucharistia. Non *primo*, vel *secundo*, quia non est obiectum per se sensibile. Ergo per absolutam Dei potentiam non potest per se sub sensum cadere. Nulla enim potentia siue sensitiva, siue quæcumque alia potest ferri extra latitudinem sui obiecti. Nec *tertio*, quia præsentia Sacramentalis nec est subiectum rei per se visibilis, ut constat, nec coniungitur cum aliqua re per se visibili, ut iam patebit.

3 Secunda Conclusio. Corpus Christi, præcisè spectatum sine præsentia Sacramentali, non potest naturaliter videri oculo corporeo, nec etiam per absolutam Dei potentiam. *Prior* pars probatur: *Primo*, quia Corpus Christi in Eucharistia non potest naturaliter imprimere speciem visibilem, ut dictum est. Ergo non potest naturaliter videri. *Secundo*, quia nullum obiectum naturaliter videtur, nisi via eius præsentia. At præsentia Sacramentalis non potest videri, ut probatum est.

Secunda pars probatur, quia, quod oculo corporeo videtur, hoc intuituè videtur (non abstractiuè.) At Corpus Christi, quatenus abstrahit à loco & præsentia, non potest intuituè videri. Ergo non potest oculo corporeo videri.

QVÆSTIO VII.

An Corpus Christi prout in Eucharistia est, cognosci possit ab intellectu creato?

1 **N**ota primo, duplicem esse creatam cognitionem, unam naturalem, alteram supernaturalem, & hanc triplicem, fidei, visionis beatificæ, & scientiæ infusæ. Secundo, multa spectari posse in hoc Mysterio. Primo, absentiam substantiæ panis. Secundo, accidentia sine subiecto. Tertio, Corpus Christi. Quarto, vniōnem huius cum persona V E R B I. Quinto, præsentiam illius sine extensione. Sexto, vim sanctificandi, seu gratiam conferendi.

2 Prima Conclusio. Tam homo, quam Angelus potest supernaturaliter cognoscere hoc mysterium, idque tripliciter. Primo per fidem, quo pacto nos nunc cognoscimus, & Angeli possent cognoscere, si adhuc essent viatores. Secundo per visionem Beatificam, quo pacto Sancti in coelo possunt cognoscere, siue id fiat vi beatificæ visionis, siue per extensionem visionis ad obiecta creata, quod iam non disputo. Tertio per scientiam infusam, qualem habet anima Christi, ut supra dixi.

Porrò ad scientiam infusam duo requiruntur, vnum ex parte obiecti, nimirum species infusa repræsentans obiectum, alterum ex parte intellectus, nempe lumen aliquod infusum, quo intellectus eleuetur & corroboretur, ut possit vti specie infusa, & per illam cognoscere obiectum. His ergo tribus modis potest cognosci Corpus Christi, prout in Eucharistia est.

3 QvÆRES: An non possit adhuc alio modo supernaturaliter cognosci? Ratio dubitandi est, quia potest dari aliqua scientia infusa, qua intellectus cognoscat præsentiam Christi in Eucharistia, non quidem directè per propriam speciem impressam, sed per aliquos effectus supernaturales, qui habeant necessariam connexionem cum hac reali præsentia Christi in Eucharistia. Resp. si essent aliqui tales effectus iam admitti posset ille modus cognoscendi. At de facto non videntur aliqui effectus, qui hiant à Cor-

Dices : Gratia Sacramentalis non potest fieri à Christo
extra Sacramentum. Ergo ex hoc effectu per scientiam in-
fusam cognitio potest cognosci Christum esse in Sacra-
mento. Anteced. patet, quia in illa gratia sunt duo. *Primo*
entitas ipius; & hæc fieri potest à Christo extra Sacra-
mentum. *Secundo* dependentia illius gratiæ à Christo prout
est in Sacramento ; & hæc fieri non potest extra Sacra-
mentum. Igitur ex cognitione huius dependentiæ potest
cognosci præsentia Christi in Eucharistia.

Resp. Hoc argumentum procedit in sententia eorum, qui
dicunt gratiam physicè produci & dependere in Sacra-
mento, non autem in nostra sententia, qui tantum agnoscimus
moralem productionem & dependentiam. Vnde licet
Angelus per scientiam infusam intuitu cognosceret phy-
sicam entitatem & dependentiam gratiæ à sua causa, id est,
à Deo qui solus physicè illam producit : non tamen hinc
evidenter potest colligere Deum producere hanc gratiam
intuitu Sacramenti. Hoc enim pendet ex libera Dei volun-
tate & ordinatione, quæ non potest evidenter cognosci ex
sola cognitione Gratiæ.

4 Secunda Conclusio. Homo non potest naturaliter co-
gnoscere hoc mysterium, aliqua certa & evidente cognitio-
ne. Ratio est, quia in hoc mysterio multa includuntur, ut
dixi. At nihil eorum potest homo evidenter cognoscere. Vel
enim esset cognitio intuitu, vel abstractu. Si intuitu,
deberet fieri per proprias species eorum quæ includuntur
in hoc mysterio, quas homo naturaliter nec habet, nec ha-
bere potest. Si abstractu, deberet fieri vel per causas, vel
per effectus, vel per aliqua signa evidenter cognita. At ho-
mo non potest naturaliter cognoscere causas, vel effectus,
vel signa, ex quorum cognitione sequatur evidens cogni-
tio huius mysterij. Quicquid enim homo naturaliter co-
gnoscit, hoc sit mediante cognitione sensitiva. Sed non po-
test per cognitionem sensitivam venire in cognitionem
causæ, vel effectus, vel signi, ex quo evidenter colligat
Christum in Eucharistia esse præsentem.

Tertia Conclusio. Angelus potest quædam in hoc mysterio naturaliter & euidenter cognoscere, non tamen omnia. Ac *primo*, potest cognoscere absentiam substantiæ panis, ut rectè docet Scotus in 4.d.10. Ratio est, quia teste Aristotele visus est luminis & tenebrarum; auditus est soni & silentij; & generatim loquendo, qui potest cognoscere habitum, potest etiam cognoscere oppositam priuationem. Sed Angelus naturaliter cognoscit præsentiam panis. Ergo etiam absentiam. Non tamen cognoscit modum quo desit panis. Desit enim per transubstantiationem, quæ non potest naturaliter cognosci.

Secundo, cognoscit Angelus accidentia esse sine subiecto, ut docet idem Scotus. Ratio, quia accidentia panis sunt ordinis naturalis. Ergo Angelus intuitu cognoscit illa, quando adsunt. Ergo cognoscit illa sine subiecto, quia cognoscit subiectum abesse, ut dixi. Non tamen cognoscit modum, quo accidentia existunt sine subiecto, quia modus ille non tantum est supernaturalis ex parte efficientis, sicut restitutio oculi; sed etiam ex parte termini, quia reuera manet existentia accidentium sine subiecto per modum termini.

Præter hæc duo, quæ Angelus potest naturaliter cognoscere, sunt alia duo, quæ non potest cognoscere. *Primo*, non cognoscit Corpus Christi hypostaticè unum esse V E R B O. Licet enim verisimile sit cognoscere Corpus Christi carere propria subsistentia; non tamen certò inde colligit subsistere per subsistentiam V E R B I. Potest enim dubitare an propria subsistentia suppleatur per subsistentiam Diuinam, an vero per solam efficientiam. Deinde si putaret Angelus suppleri per subsistentiam Diuinam, putaret hoc fieri per subsistentiam absolutam, non vero per relatiuam, quia naturaliter non cognoscit T R I N I T A T E M & relatiuas subsistentias: Et sic necessariò erraret.

Secundo, cognoscit Angelus Corpus Christi habere vim producendi gratiam, quia hæc vis, seu physica fit, seu moralis, pendet ex libera Dei Voluntate; Et est ordinis supernaturalis; ac proinde cognosci naturaliter non potest ab Angelo.

Vnum supereſt, de quo merito dubitatur: an Angelus naturaliter poſſit cognoscere Corpus Christi, & præſen- tiam eius in Euchariftia? Affirmat Scotus. Ratio, quia Cor- pus Christi ſecundūm ſe ſpectatum eſt res naturalis. Ergo, quando præſens eſt, poſteſt intuitiuè ab Angelo cognosci. Nec refert, quod ſit præſens nouo quodam modo, videlicet totum in toto, & totum in qualibet parte; quia hoc etiam poſteſt cognosci ab Angelo. Nam Angelus optimè cognofcit quantitatē, & paſſionem eius, nempe extenſionem localem. Ergo cognofcit etiam abſentiam illius ex- tensionis. Ergo cognofcit Corpus Christi exiſtere indiu- ſibiliter, & fine extenſione locali. Non tamen cognofcit modum, quo præſens eſt ex parte agentis, an ſcilicet per ſimplicem adduſtionem, an alio modo.

Confirmatur *primo*, à ſimili; quia ſi Deus ſupernatura- liter poneſet duo corpora in eodem loco, poſſet Angelus naturaliter cognofcere utrumque præſens eſſe. Ergo ſimili- ter ſi Deus ponat omnes partes Corporis Christi in eodem loco, poſteſt Angelus cognofcere omnes præſentes eſſe.

Confirmatur *secundo*, quia Anima Christi ex natura ſua habet modum indiuſibiliter exiſtendi. Ergo ubicumque indiuſibiliter exiſtit, ſiue in Sacramento, ſiue extra Sacra- mentum, poſteſt naturaliter cognosci ab Angelo. Ergo An- gelus naturaliter intuetur Animam Christi in Euchariftia. Ergo etiam Unionem Animæ cum corpore. Ergo euiden- ter colligit Corpus Christi eſſe in Euchariftia.

Alij nihilominus contrarium ſentient. Ratio, quia præ- ſentia Corporis Christi in Euchariftia eſt omnino ſupernaturalis, ut ſapè dictum. Ergo naturaliter cognosci non poſteſt. Sed diſtinguenidum. Nam in illa præſentia poſſunt multa ſpectari. *Primo*, iplum Corpus & Anima Christi. *Se- cundo*, exiſtentia eius naturalis. *Tertio*, indiſtantia à ſpecie- bus Sacramentalibus. *Quarto*, modus exiſtendi indiuſibiliter. Tria priora poſteſt Angelus cognofcere naturaliter. Circa quartum cognofcit aliiquid, fed non totum. Co- gnofcit Corpus Christi ad eſſe fine extenſione locali, ac proinde habere quendam modum exiſtendi indiuſibiliter. *Quis autem* ſit ille modus in particulari non cognofcit.

Sunt

Sunt enim varij modi existendi indiuisibiliter. Nam & Deus existit indiuisibiliter in omnibus rebus ; & Angelus in suo loco adæquato , & anima rationalis in corpore ; & Corpus Christi in Sacramento. Vnde licet generali quædam ratione possit cognoscere Corpus Christi existere indiuisibiliter in Eucharistia ; non tamen cognoscit in particulari qualis sit ille modus existendi,& quomodo essentia-liter differat à modo existendi rationalis animæ. Debet enim necessariò differre, quia alter est spiritualis, alter materialis, alter indiuisibilis , alter diuisibis & extensus , non quidem ex parte loci , sed subiecti.

QVÆSTIO VIII.

An Christus mutetur quando definit esse in Eucharistia ?

1 **I**dem queri solet de anima rationali , quando definit esse in membro abscisso ; & de Angelo quando definit esse in parte loci adæquati ; & de Deo, quando definit esse in rebus, quæ corrumpuntur. Quamuis non sit eadem ratio in his omnibus ut videbimus.

2 **P**rima Conclusio. Corpus Christi mutatur accidentaliter , quando definit esse sub speciebus Sacramentalibus. Ratio, quia amittit præsentiam Sacramentalem, quam antea habebat , & consequenter propinquitatem & distantiam, quæ in illa præsentia fundatur. Hæc enim præsentia est quoddam accidens. Ergo mutatur accidentaliter.

2 **Q**uæres : An nihil aliud accidentale amittat ? Respond. hoc totum amittit per hanc desitionem, quod antea acquisiuit per transubstantiationem. At nihil aliud secundum nos acquisiuit præter hanc præsentiam. Ergo illam solum amittit. Hinc patet *primo*, discrimen inter hanc desitionem & animæ rationalis. Nam anima rationalis, quando definit esse in brachio abscisso, non solum amittit præsentiam , sed etiam vunionem quam habebat cum brachio. At Corpus Christi nullam habet vunionem realem cum speciebus Sacramentalibus siue formalem, siue effectuam. Proinde nullam vunionem amittere potest.

Secundo, differt hæc desitio ab ea , qua Deus definit esse

374 CAP. XIX. DE SACRAMENTIS
in rebus quæ corrumpuntur. Deus enim per illam desitionem nihil omnino amittit; nec præsentiam, quia manet ubique præsens per immensitatem; nec vniuem realem, quia nullam habuit cum rebus corruptis. Vnio autem qua Deus vnitur Humanitati Christi, tametsi realis fit, non tamen recipitur in Deo, sed in sola Humanitate, ut alibi patet.

hinc
Tertio, patet hanc desitionem esse similem illi, qua desinit Angelus in parte loci adæquati, quia utrobique fit amissio solius præsentiae.

4 Secunda Conclusio. Corpus Christi non mutatur substantialiter, quando desinit esse sub speciebus Sacramentalibus. Ratio, quia sicut nihil substantiale acquisiuit per transubstantiationem, ita nihil amittit per desitionem.

5 Dices: Amittit conseruationem substantialem, quam in Sacramento habuit. *Resp.* illam candem retinet in cœlo, ac proinde simpliciter illam non amittit; amittit tamen in hoc loco. Si tamen Corpus Christi haberet duas totales & adæquatas dependentias substanciales à Deo, unam in cœlo, alteram in Eucharistia, tunc posset alteram amittere, & alteram retinere: non tamen vi desitionis solius in Sacramento. Nam Deus posset Christi Corpus utrumque per dependentiam conseruare etiam extra Sacramentum.

6 Dices secundo, si Corpus Christi nusquam esset nisi in Eucharistia, tunc vi desitionis in Eucharistia, amitteret totum esse substantiale simpliciter. Ergo etiam nunc amittit totum esse substantiale vi desitionis. Sequela patet, quia quod nunc sit in cœlo, hoc est planè per accidens respectu præsentiae, vel desitionis in Eucharistia. Ergo siue sit in cœlo, siue non, desitio semper eodem modo se habet.

Resp. Primo, si Christus non esset nunc in cœlo, non posset etiam esse in Eucharistia vi verborum consecrationis. Licet enim præsentia Sacramentalis ex natura rei non dependeat à præsentia naturali; tamen ex arbitrio & ordinatione Dei supponit illam, secundum cap. 18. q. 13. *Resp. Secundo*, etiam si Christus non esset alibi, quam in Eucharistia, tamen vi desitionis in Eucharistia non amitteret esse substantiale.

tiale. Nam hæc desitio consistit tantum in eo, quod Christus definat esse præsens sub speciebus Sacramentalibus. Posset autem definere esse præsens sub illis sine amissione alicuius entitatis aut modi substantialis. *Primo*, si species corrumperentur, *Secundo*, si tolleretur modus existendi indubitate. *Tertio*, si poneretur Christus in alio loco.

Ratio à priori est, quia conseruatio substancialis Corporis Christi non dependet à præsentia Sacramentali. Ergo licet Christus amitteret præsentiam Sacramentalem, adhuc posset conseruari quoad substancialis.

QVÆSTIO IX.

An Cristus aliquando appareat in Eucharistia sub forma carnis, aut sanguinis, aut pueri?

1 **P**rima Conclusio : Certum est huiusmodi apparitiones aliquando fieri. *Primo*, quia magni auctores referunt factas esse, ut Paschasius in libro de Eucharistia, cap. 14. Quidmundus de eodem Sacramento. Amphilochius in vita Basili; vbi refert aliquem Hebræum solitum fuisse videre, quod accedentibus altare daretur manducandus Infans. *Secundo*, quia in quibusdam locis adhuc extat Sanguis, qui hoc modo apparuit.

2 Secunda Conclusio : Huiusmodi apparitiones possunt fieri tripliciter. *Primo*, virtute Diuina. *Secundo*, per illusionem Dæmonum. *Tertio*, ex vehementi imaginatione, vel lassione & debilitate phantasæ. Vide Alex. Alens. 4. p. quest. 53. memb. 4. art. 3. Hinc sequitur opus esse discretione spirituum ad discernendum an fiant à Deo, an à Dæmone; an ex imaginatione & phantasia.

Quando à Deo sunt, potissimum solent fieri ad confirmandam fidem de præsentia Corporis CHRISTI in Eucharistia. Quod si fiant ob alium finem, res diligenter examinanda est.

3 Tertia Conclusio : Hæc apparitiones duobus modis fieri possunt à Deo, ut notat Diuus Thomas art. 8. & alij passim. *Primo*, per immutationem ex parte videntium; ut quando quis putat, se videre puerum aut carnem in Sa-

cramento; & tamen ex parte Sacramenti nulla facta est mutatio. Secundo, per immutationem ex parte Sacramenti, ut quando reuera appetit species pueri, vel carnis in Sacramento.

Quæres: Vnde cognosci potest an fiat mutatio ex parte videntium, an ex parte Sacramenti? D.Thom. adhibet duplex signum ad hoc discernendum. Vnum, si eodem tempore vni, aut alteri appetit forma pueri aut carnis; & aliis appetit forma Hostiæ; tunc mutatio facta est ex parte videntium, & non ex parte Sacramenti. Si enim facta esset ex parte obiecti, iam ab omnibus æqualiter videtur, & non ab uno, vel altero tantum, nisi nouum adderetur miraculum, quod sine causa fingi non debet. Alterum; si apparitio pueri, vel carnis duret breuissimo tempore, & statim iterum appareat Holtia sicut ante; tunc etiam mutatione tenet se ex parte videntium, non autem ex parte Sacramenti.

Dices: Nulla apparitio deceptoria potest esse à Deo, quia Deus, sicut non potest mentiri, ita nec decipere aliquem. Sed omnes apparitiones, quæ sunt ex parte videntium, nulla facta mutatione in obiecto, sunt deceptoriae, quia sunt tantum illusiones sensuum. Ergo non sunt a Deo. Respondeo cum D.Thom. negando minorem. Quamvis enim verum sit huiusmodi apparitiones posse fieri per illusionem Dæmonum ad decipiendos homines: tamen quando à Deo sunt, non sunt deceptoriae. Ratio, quia Deus format talem speciem videntis in oculo ad aliquam veritatem significandam, nempe ad manifestandam præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. Sicut ob similem finem contigit Discipulis euntibus in Emmaus, quibus apparuit Christus sub forma hominis peregrini; idque tantum ex parte videntium, non obiecti.

Huc spectat illud S.August. lib.2. questionum Euangelicarum, cap.51. Cùm fictio nostra refertur ad aliquam significacionem, non est mendacium, sed figura veritatis.

¶ Quarta Conclusio: In his apparitionibus tametsi à Deo sunt, probabile est, nunquam videri Christum secundum se, nec veram carnem aut sanguinem Christi. Et quidem,

dem, si apparitio tantum fiat ex parte videntium, tunc certum est, nullam fieri mutationem in Sacramento, ac proinde non videri carnem, aut Sanguinem Christi in Sacramento, nisi Sacramentaliter, id est, sub specie panis & vini. Si autem fiat apparitio ex parte Sacramenti, tunc quidem est ibi vera species carnis & sanguinis, non tamen vera caro & sanguis sub illa specie, ut putat D. Thomas art. 8. & multi alij. Ratio est, quia id, quod apparet, solet aliquando multis annis asseruari. Est autem indecens carnem, aut sanguinem Christi asseruari extra Corpus Christi Domini.

Aliqui tamen contrarium sentiunt, vt Alexand. Alenfis loc. cit. Gabriel lectio 51. in canonem, & alij. Res incerta est.

QVÆSTIO X.

*An quando fit talis apparitio, sit ibi Christus præsens
Sacramentaliter?*

1 **P**rima Conclusio: Certum est, Christum manere præ-
~~amus~~
sentem Sacramentaliter sub specie panis & vini, quando in huiusmodi apparitionibus fit tantum mutatio ex parte videntium. Tunc enim ex parte Sacramenti manet idem, quod ante erat.


2 Secunda Conclusio: Quando autem mutatio fit ex parte specierum Sacramentalium, tunc distinguendum est. Nam si tanta fiat mutatio in qualitatibus illarum specierum, ut sub eis non possit substantia panis & vini conseruari; tunc non manet sub eis Christus, siue maneat eadem quantitas, siue non. Si autem non fiat tanta mutatio, tunc manet sub eis Christus. An autem ad prædictas apparitiones necessaria fit tanta qualitatum mutatio, ut sub eis non possit substantia panis conseruari, non facile à nobis definiri potest.

3 Hic primo queri potest; an liceat huiusmodi carnem, aut sanguinem apparentem adorare? Qui affirmant esse veram carnem aut sanguinem Christi hypostaticè unum personæ (Verbi,) consequenter & bene dicunt adorari posse. Qui negant esse verum sanguinem aut carnem Christi, dicunt quidem adorari posse, ita tamen, ut adoratio non

378 CAP. XIX. DE SACRAMENTIS
sistat in eo quod visibiliter appareat, sed transeat ad verum
Corpus Christi, sive in Sacramento latens, sive in celo
existens.

Quæri potest secundo, an species Sacramentales, in quibus fit talis apparitio, debeant consumi, an potius conseruari? D. Thomas docet conseruandas esse in loco Sacro & decente. Et hoc visitatum est passim in Ecclesia. Congruentia potest esse, quia species sub forma carnis aut sanguinis non possent sumi sine aliquo horrore.

Quæritur tertio, quid agendum sit Sacerdoti celebranti, quando post utriusque speciei consecrationem contingit talis apparitio. Ratio dubij est, quia natura sacrificij postulat, ut species consumantur. Respondeo. Si aliqua pars Hostie & vini consecrati maneat sine mutatione, illa consumi potest. Et hoc satis erit ad perfectionem illius sacrificij. Si autem integræ species sint mutatae; tunc aliqui putant necessarium esse ex præcepto diuino consecrare nouum panem & vinum, & postea consumere; quia præceptum diuinum est, ut Sacerdos perficiat sacrificium per sumptuositatem. Ita Sanctus Antoninus 3. part. tit. 16. cap. 6. §. 14. Et citat pro se Albertum Magnum. Alij tamen putant hoc non esse præceptum sed consilium. Ratio, quia in tali casu non potest impleri præceptum in prioribus speciebus consecratis, quæ iam mutatae sunt in formam carnis aut sanguinis; neque est præceptum, ut noua fiat consecratio, quia hoc non esset prius sacrificium perficere; sed aliud inchoare; quod ex vi prioris consecrationis præceptum non est. Deinde dubium est, an consumptio specierum pertineat ad substantiam sacrificij, de quo infra disputabitur.



CAP V T XX.

De accidentibus quæ remanent in hoc Sacramento.

DICAM primo, an quantitas panis & vini maneat sine subiecto. Secundo, an reliqua accidentia maneat sine subiecto. Tertio, an huiusmodi accidentia possint agere & pati. Quartio, an ex illis possit aliqua

qua substantia generari, aut nutriti; quod sanè est difficultatum ob Hæreticos putantes ibi esse substantiam panis & vini cùm nutriat.

QVÆSTIO I.

An quantitas panis & vini maneat sine subiecto?

1. **N**on tam disputabo, an quantitas maneat sine subiecto, cùm hoc certum sit ex fide; quām quomodo maneat. Poteſt autem quæri. *Primo*, an quantitas panis, quando separatur à subiecto, amittat aliiquid reale. *Secundo*, an acquirat aliiquid reale. *Tertio*, an conseruetur per eandem actionem extra subiectum, qua prius conseruabatur in subiecto.

2. **P**rima Conclusio: Quantitas panis, quando separatur à subiecto, amittit aliquem modum realem & posituum. Ratio; quia antea realiter inhærebat subiecto, & cum illo realiter erat unita; quam inhærentiam & unionem deinde amittit. Neque de hac re dubitari potest.

3. **S**ecunda Conclusio: Quantitas panis acquirit modum realem posituum per se existendi repugnantem actuali inhærentiæ. Nota, quantitatem duobus modis posse existere sine subiecto. *Primo*, effectiue, per actionem Dei conservantem & sustentantem. *Secundo*, formaliter, per intrinsecum modum existendi per se. Scotus putat illam existere priori modo; quod est probabile: nos posteriore modo. Ratio, quia hic modus existendi est impossibilis. *Secundo*, quia per eum facilius defenditur transubstantiatio, ut dictum suprà. *Tertio*, quia est magis proportionatus. Sicut enim substantia existit separatim per subsistentiam, qui est modus illi intrinsecus: ita quantitas existere potest separatim per modum intrinsecum, qui sit similis & proportionatus subsistentiæ.

Dices: **H**ic modus existendi sine subiecto videtur impossibilis. Vel enim est substantialis, vel accidentalis. Non *primum*, quia quantitas, cùm sit accidens, non est capax modi substantialis. Nec *secundum*, quia de natura accidentis est aptum esse inhærere subiecto. Huic autem modo, quo quan-

titas dicitur per se existere, repugnat inhærente subiecto. Est enim modus per se existendi; ac proinde habet formalem effectum, qui directe & immediate contrarius est actuali inhærentiae.

Respondeo. Hic modus est accidentalis, non quod sit entitas realiter distincta à quantitate, sed quia est terminus quidam, quo terminatur & per se existit quantitas sine subiecto. Vnde propriè non inhæret quantitati, seu subiecto realiter distincto, sed afficit quantitatem per modum termini. Et quamvis inhæret quantitati, nihil esset absurdum. Non enim modus ille per se existendi repugnat actuali inhærentiae sui ipsius, sed quantitatis, ut dictum est.

4 Tertia Conclusio; Quantitas panis separata à subiecto, non conseruatur per eandem actionem, qua antea conseruabatur in subiecto, sed per distinctam. Ratio, quia sicut productio rei ex nihilo essentialiter differt à productione rei ex potentia subiecti: sic conseruatio quantitatis sine subiecto essentialiter differt à conseruatione quantitatis in potentia subiecti. Hæc enim essentialiter dependet à subiecto illa est independens.

Confirmatur à priore, quia actiones distinguuntur essentialiter à terminis formalibus. At productio rei ex nihilo, vel cōseruatio rei sine subiecto, tanquam terminum adæquatum respicit rem ipsam solam, non autem inhærentiam, aut dependentiam illius à subiecto. Productio verò vel conseruatio rei dependens à subiecto, non solùm respicit rem illam, sed etiam inhærentiam & vniōnem illius in subiecto. Sicut ergo inter terminos adæquatos est formalis distinctione, ita etiam inter actiones concipienda est.

Dices: Si conceditur hæc actio, qua quantitas per se existit independenter à subiecto, iam superfluous est ille modus per se existendi, quem diximus esse in quantitate. Nam sine tali modo potest quantitas separatim existere per solam actionem qua independenter à subiecto conseruatur. Respondeo, illa actio, qua quantitas separatim conseruatur, est quidem independens à subiecto, & sufficit ad hoc, ut quantitas non indigeat subiecto, non tamen sufficit ad hoc, ut quantitas separetur à subiecto. Vnde præter illam actionem

actionem requiritur modus quidam per se existendi, qui repugnet actuali inherentiæ, & efficiat, ut quantitas necessariò separetur à subiecto; alioqui non fieret transsubstantiatio, vt dixi de transsubst. quest. 5. concl. 3.

Q V A E S T I O I I .

An reliqua accidentia panis maneant sine subiecto?

1 **C**ertum est, quædam accidentia non posse manere si ne substantia panis, vt sunt relationes aliquæ, quæ immediatè fundantur in substantia panis. Item duratio ipsius, localis præsentia, & similia, quæ non distinguuntur realiter à substantia, sed sunt modi quidam substanciales, qui sine substantia existere nequeunt. De his ergo non est quæstio, sed de qualitatibus, quæ habent distinctam entitatem à substantia, verbi gratia, de albedine, calore, &c.

2 Prima Conclusio. Qualitates panis & vini post consecrationem inhærent quantitati tanquam subiecto. Ita D. Thom. art. 2. vbi supponit duo principia. *Primo*, quantitatem esse realiter distinctam à substantia, & sine illa conservari posse. *Secundo*, quantitatem esse primam dispositionem materiæ, qua mediante recipit alias formas accidentales, ita ut proximè inhærent quantitati, & remotè inhærent materiæ. Hinc concludit D. Thomas ablato subiecto primario, seu fundamentali accidentium, quod est substantia, solum mutari quantitatem quoad modum existendi; reliqua verò accidentia eodem modo manere in quantitate, seu in subiecto immediato, sicut antea manebant.

Confirmatur *primo*, quia qualitates post consecrationem manent inter se unitæ, vt patet ex motu locali. Quando enim albedo Hostiæ transfertur de loco in locum, simul transferuntur aliæ qualitates quæ sunt in eadem Hostia; quod non fieret, nisi essent inter se unitæ: aut certè, nisi fingamus nouum miraculum, quod sine causa fieri non debet. At non possunt tales qualitates uniri inter se immediate, sed in aliquo tertio. Et non datur tertium, nisi quantitas. Ergo unitur in quantitate.

Secundo,

Secundo, confirmatur, quia hæ qualitates (color) possunt intendi, remitti & expelli per naturalem alterationem. Ergo debent esse in aliquo subiecto. Nam una qualitas non potest aliam naturaliter expellere aut alterare, nisi in aliquo subiecto. Nam extra subiectum non repugnant inter se formaliter & effectiuè.

Dices. Qualitas panis non est in subiecto post consecrationem, vt omnes fatentur, & potest tamen naturaliter rarerfieri & condensari. Ergo similiter potest qualitas alterari, licet non sit in subiecto. Respondeo, raritas & densitas sunt qualitates, quæ recipiuntur in quantitate tanquam in subiecto. Et ideo agens naturale, quando condensat aut rarefacit quantitatem, non agit sine subiecto.

Tertio confirmatur, quia albedo Hostiæ est extensa loca-
liter. Ergo per quantitatem est extensa. At quantitas non inhæret albedini. Ergo albedo inhæret quantitati; quia quantitas est immediata substantiæ.

3 Secunda Conclusio. Hæc inhærentia qualitatum in quantitatē tanquam in subiecto non sit per nouum miraculum; sed facta erat naturaliter ante consecrationem, & ita naturaliter manet post consecrationem. Probatur *Primo*, ex dictis. *Secondo*, à signo seu posteriore, quia aliter vniuntur in eodem subiecto superficies & albedo, quam albebo & calor. Sed albedo & calor non vniuntur immediatè inter se, sed in uno tertio, nempè in subiecto. Ergo albedo & superficies magis debent inter se vniri, quam in illo tertio. Ergo immediate inter se vniuntur, sicut actus & potentia.

Maior pater, quia calor propter solam vniōnem, quam habet in subiecto cum albedine, non sit per se visibilis, sed tantum per accidens. Superficies autem sit aliquo modo per se visibilis tanquam sensibile commune faltem secundum extensionem quam causat in ipsa albedine. Ergo inter superficiem & albedinem est maior vniō, quam inter duas qualitates.

4 Tertia Conclusio. In qualitatibus panis & vini nulla fit mutatio vi consecrationis. Probatur ex dictis, quia illæ qualitates non mutant inhærentiam, ac proinde non acquirunt nouum

nouum modum per se existendi, sicut acquirit quantitas; neque nouam actionem conservatiuam independentem à subiecto. Ergo nullo modo realiter mutantur.

Dices: Amittunt vniōnem, quam habebant cum substantia panis & vini. Respondeo, non habebant immediatam vniōnem cum substantia, vt dixi, sed solum mediante quantitate; ac proinde non mutantur in se & in sua entitate, sed in quantitate. Sicut si humanitas Christi amitteret vniōnem personalem cum Verbo, accidentia eius non mutant modum existendi in se, sed tantum in humanitate, quia non vniuntur immediate Verbo, sed mediante solum humanitate.

Q V A S T I O . III.

An hac accidentia possint agere & pati?

I Prima Conclusio. Hæc accidentia separata à substantia panis & vini possunt habere omnem actionem, quam poterant habere coniuncta cum substantia panis & vini. Ita D. Thom. art. 3. & patet inductione. Primo, quia possunt imprimere species sensibiles. Secundo, possunt alterare. Tertio, possunt corrumpere & generare. Quæ omnia confirmantur per experientiam, quia hostia videtur, &c. Ratio à priori est, quia qualitates actiuae, quæ sunt in hostia conservata, retinent eundem modum existendi, quem ante habebant. Ergo possunt eodem modo agere sicuti antea poterat.

Dices: non possunt generare, vel producere substantiam, sicut antea poterant. Ratio, quia licet retineant eundem modum existendi in quantitate, vt in subiecto immediato; non tamen retinent modum existendi in substantia, vt in subiecto remoto. Ergo non retinent vim producendi aliam substantiam, sed virtute substantiae cui inhærent. Ergo si sint separata ab hac substantia, iam non retinent illam vim producendi.

Respondeo, solutio pendet ex quæstione physica hac: quomodo accidentia attingant productionem substantiarum. Aliqui docent qualitatem actiueam, quatenus est virtus substantiarum,

384 CAP. XX. DE SACRAMENTIS
stantiæ, immediatè educere formam substancialē ex po-
tentia materiæ; ita vt sola qualitas actiūe concurrat, non
autem substantia cui inhæret. Hi consequenter dicunt per-
inde esse siue qualitas sit coniuncta cum substantia, siue se-
parata, quia tota vis agendi est à sola qualitate, non autem
a substantia.

Alij docent dispositiones præuias fieri posse à qualitati-
bus actiuis, non tamen eductionem formæ substancialis.
Hanc enim fieri tum à qualitatibus actiuis, tum à forma
substanciali simul concurrente & adiuuante. Hi consequen-
ter dicunt qualitates actiua, quæ sunt in Eucharistia, per
se non sufficere ad eductionem formæ substancialis, nisi
Deus concurrat supplendo illam efficacitatem, quam sub-
stantia panis & vini conferret, si præsens esset in Euchari-
stia. Atque ita hæc sententia ponit miraculum.

Dices: hoc est fingere nouum miraculum sine necessitate. Respondeo, non ponimus hic nouum miraculum; sed na-
turalem modum concurrendi Primæ causæ. Quando enim
agentia particularia producunt sufficientes dispositiones
ad introducendam formam substancialē, si postea sit de-
fectus in ipsa introductione formæ substancialis, tunc causa
prima & vniuersalis debet supplere illum defectum secun-
dum naturalem exigentiam.

2 Secunda Conclusio. Hæc accidentia separata à substan-
tia panis & vini possunt pati mutationem, quam poterant
pati coniuncta cum substantia panis & vini. Probatur si-
mili inductione. *Primo*, quia possunt moueri localiter. *Se-
cundo*, possunt alterari, id est, calefieri, frigesieri, intendi, re-
mitti. *Tertio*, possunt diuidi. *Quarto*, corrumpi. Hæc omnia
patent per experientiam, excepto ultimo puncto de cor-
ruptionē.

Quamvis enim certum sit qualitates panis & vini posse
naturaliter corrumpi, tamen de quantitate potest esse que-
stio. Nam aliqui putant quantitatem inesse toti composito,
ac proinde per accidens corrumpi ad corruptionem sup-
poniti. Hi consequenter dicunt quantitatem panis cor-
rumpi, quando qualitates sufficienter alteratæ & dispositæ
sunt ad corruptionem compositi; quia tunc succedit alia
substan-

substantia, quæ secum adfert nouam quantitatem; & sic
necessæ est priorem perire.

Alij docent, quantitatem immediate inhærere materiæ primæ, ac proinde non aliter corrumpi, aut produci, nisi quando materia corrumpitur, aut producitur. Hi conſequenter dicunt, quantitatem panis, non corrumpi, etiamſi qualitates alterentur, aut corrumpantur, ſed manere incorruptam, & vñiri nouæ materiæ quæ poſtea ſuccedit in locum materiæ panis. De hac noua materia dicetur in ſequenti quæſtione.

QVÆSTIO IV.

An ex his accidentibus possit aliqua substantia generari aut nutriti?

Prima opinio negat id fieri posse. Ratio, quia genera-
tio & nutritio requirunt materiam. Hęc autem acci-
dētia sunt separata à materia. Ita Angelus lib. 2. de hoc Sa-
cramento, cap. 1. Quidmundus lib. 2. de eodem Sacramento, &
Thom. Vualdens. tom. 2. de Sacram. cap. 26. Secunda opinio af-
firmat fieri posse. Ratio est, quia ad generationem & nutri-
tionem non est necessaria materia, sed sola quantitas po-
test sufficere, & supplere defectum materiae. Ita Ferrar. 1. 4.
contra agentes, cap. 66. Henricus Gandauenſ. quodlib. 8. quæſt.
36. Ioannes Figuerius in *summa*, tract. de *Eucharistia*, vers. 9.
Ruardus Tapperus art. 13. p. 117. qui omnes affirmant quan-
titatem posse informari per formam substantialem non
minus, quam si esset materia substantialis. Et putatur esse
sententia sancti Thom. art. 5. & 5.

Tertia opinio est, generationem & nutritionem fieri non ex solis speciebus consecratis, sed simul ex noua materia accedente siue per creationem, siue alio modo. Sit ergo.


2 Prima Conclusio. Certum est ex accidentibus consecratis fieri nutritionem substantialem, ut experientia docet. *Primo*, quia constat hominem posse satiari & sustentari pane & vino consecrato, si in magna copia consecratur. *Secundo*, constat vermes generari ex speciebus panis & vini corruptis.

3 Secunda Conclusio. Ut species consecratae seruant

nutritioni aut generationi substantiali non sufficit quantitas, sed necessaria est aliqua materia. *Primo*, quia agens naturale non potest educere formam substantialiem ex solo accidente; sed ex substantiali potentia materiae. *Secundo*, quia sola accidentia non possunt nutrire, cum ad nutritionem requiratur alimentum substantialie.

4 *Tertia Conclusio.* Illa materia à Deo tanquam ab auctore naturæ creatur in eo instanti quo species Sacramentales sufficienter dispositæ sunt ad nutritionem, vel generationem substantialiem. Et hoc sit sine miraculo. Sicut enim, cum sufficienter est disposita materia corporis humani, Deus animam creat & infundit sine ullo miraculo, quia hoc exigit ordo rerum à Deo institutus: Sic etiam quando per alterationem specierum Sacramentalium facta est sufficiens dispositio ad nutritionem, vel generationem; tunc exigente rerum ordine Deus materiam substituit, & in illam introducitur forma substantialis sive per educationem ex potentia materiae, ut cum generantur vermes, sive per unionem formæ cum materia, ut quando nutritur homo ex speciebus Sacramentalibus.

Hic aliqui curiosè disputant. *Primo*, an haec materia à Deo substituta, sit illa ipsa quæ priùs fuit in substantialia panis & vini, antequam fieret transubstantiatio. *Secundo*, per quam actionem fiat haec materia, an per simplicem creationem, an per reproductionem; an per conuerzionem aliquius rei præexistentis. Nihil certi definiri potest.



C A P V T X X I .

De forma huius Sacramenti.

Ilyus Thomas ostendit. *Primo* formam huius Sacramenti consistere in his verbis: *Hoc est Corpus meum. Hic est sanguis meus.* *Secundo*, agit de vi & efficacia horum verborum. *Tertio*, de veritate ipsorum. Nos hoc ordine progrediemur. *Primo*, an sit aliqua forma huius Sacramenti. *Secundo*, quænam illa sit. *Tertio*, an Christus hac forma usus sit. *Quarto*, quæ sit virtus & efficacia huius formæ. *Quinto*, quomodo sit vera,